AF

THEO'L SEMINARY.
REC'D FROM THE
AS. REF. SYNOD.

# HERMANNI VENEMA
# INSTITUTIONES
# HISTORIAE ECCLESIAE
VETERIS ET NOVI TESTAMENTI

TOMUS VI.

SEU

NOVI TESTAMENTI, AUT ECCLESIAE CHRISTIANAE

QUARTUS.

AB INITIO SEC. XII. AD XVI. FINEM.

NEWBURGH COLLECTION

*LUGDUNI BATAVORUM,*
Apud SAMUELEM et JOHANNEM LUCHTMANS,
*LEOVARDIÆ,*
Apud GERARDUM TRESLING.

MDCCLXXXII.

V44
Ens.
1777-
1783
c. 2

# SECULUM DUODECIMUM.

## SCRIPTORES ET STUDIA.

§. I. G*Raecorum*, quorum notitiam praemittere soleo, ſtudia cum circa Theologica, jus canonicum, quaeſtiones cum Latinis, ac hiſtoriam, fuerint verſata, hoc ordine procedam in praecipuis eorum recenſendis. Inter Theologos primum ordine temporis meretur locum *Euthymius Zigabenus*, Monachus CPolitanus, tempore Alexii Comneni, in cujus florente fuit gratia, qui ejus etiam ope Bogomylos, de quibus poſtea, profligavit. Encomium ejus minime vulgare exſtat apud Annam Comnenam *Alexiados* lib. XV. Praecipuum ejus opus eſt *Panoplia dogmatica orthodoxae fidei* contra haereſes, juſſu Alexii conſcripta, ſed quae antiquorum Patrum eſt collectio, unde multa tranſumſit Niceta Choniata in *theſauro fidei.* Adſervatur quidem Graece in Bibliothecis, ſed Latine proſtat ex verſione Petri Zini etiam in Bibl. M. Patrum vol. XX. Produxerunt tantum nonnulla Graeca Petavius in Dogmat. Theolog., Cotelerius ad monumenta Graeca, alii, Sylburgius vero totum titulum 28*vum* de *Saracenicis.* Adpendicem quoque panopliae, ſeu victoriam et triumphum de

Meſſalianis et Bogomylis una cum duodecim anathematiſmis, iis oppoſitis, Gr. et Lat. dedit Tollius in *Itinere Italico.* Praeterea ſupereſt *commentarius* ejus in Pſalmos, et decem Scripturae cantica, ſed Latine; cujus praefationem Graece edidit Moyne Var. S. tom. I. Prodiit etiam Latine ejus commentarius in *quatuor Euangelia*, ſed ex Chryſoſtomo et aliis compilatus. Reliqua ejus ſcripta mitto, inter quae eſt, teſte L. Allatio de *conſenſu* etc. p. 642., contra Latinos de proceſſione Spiritus S., unde patet, eum adverſariis Latinorum eſſe accenſendum. Circa medium ſeculi floruit *Iſaacus Armenius*, magnae Armeniae Catholicus, ſeu Metropolitanus, qui, Armeniorum primum inbutus opinionibus, dein earum ſeſe praeſtitit acerrimum oppugnatorem, cujus duae exſtant invectivae contra Armenos, ſectatores Eutychetis etc., et Aphtardocetarum, in auctario novo Combefiſii tom. II.

§. II. In jure *Canonico* colligendo et illuſtrando operam collocarunt, praeter Conſtantinum Harmenopolum, qui edidit epitomen canonum, et alios, in primis Johannes Zonaras, Alexius Ariſtenus, et Theodorus Balſamon: quorum aliqua danda eſt notitia. *Johannes Zonaras* primum magnus Drungarius, ſeu praefectus Vigilum, et primus a ſecretis ſub Alexio Comneno, dein factus Monachus, praeclara reliquit monumenta, praecipue hiſtorica et canonica. Scripſit enim Annales in duas partes, et octodecim libros, diviſos, ab orbe condito ad a. 1118., inter ſcriptores Byzantinos: ubi in hiſtoria Inperatorum Romanorum deſcripſit fere Dionem Caſſium, uſque ad ipſa nonnunquam verba. Commentarii vero ejus in Canones Apoſtolorum, et Conciliorum, epiſtolaſque Patrum Canonicas, optime editi ſunt et illuſtrati a Beveregio in *Pandectis* canonum. Inhaeret autem verbis et ſenſui canonum. Sed exſtat etiam canon ejus, ſeu hymnus in virginem Deiparam adverſus haereſes, in *monum. Vet.* Cotelerii tom. III., nec non tractatus de *nuptiis conſobrinorum* ibid. tom. II. *Alexius*

*Ariſtenus*

*Ariſtenus* Nomophylax, et magnae Eccleſiae CPol. Oeconomus, poſt Zonaram, ſed ante Balſamonem, qui eum citat, ſcripſit circa a. 1160. *epitomen* canonum, qui jam ante exſtiterant: ibid. in Pandectis Beveregii. Illuſtrior eſt *Theodorus Balſamon*, juris, in primis Eccleſiaſtici, prae omnibus ſuae aetatis conſultiſſimus, ſecundum Nicetam in Iſaacio Angelo, et Johanne Citri Epiſcopo in reſponſis ad quaeſtiones Conſtantini Cabaſilae, acerrimus inſuper Latinorum adverſarius. Fuit autem Eccleſiae CPol. diaconus, nomophylax, et chartophylax, titulo tenus Patriarcha Antiochenus, non functus eo munere, quia a Latinis occupata et poſſeſſa erat Antiochia. Spe quidem Patriarchatus CPol. eſt ab Iſaaco Comneno lactatus, ſed compos non factus. Floruit circa a. 1159., et ſeptuaginta fere annis poſt Zonaram Canones illuſtrare adgreſſus eſt, cujus ſcrinia ſaepe compilavit, licet eum ſemel tantum in *epiſtol.* Canon. Athanaſii laudaverit. Commentatus eſt in eoſdem ac Zonaras canones, ſed concordiam juris civilis ac Eccleſiaſtici praecipue intendit demonſtrare. Exſtat in Pandectis Beveregii. Condidit etiam Inperialium conſtitutionum, ad res Eccleſiaſticas ſpectantium, collectionem; quae in Juſtelli Bibliotheca Canonica exſtat, tom. II., nec non varia edidit reſponſa ejuſdem generis, in Jure Graeco-Romano Leunclavii et Freheri. Denique duae ejus epiſtolae, una ad Antiochenos de *jejuniis*, altera ad Theodoſium Abbatem, de *raſophoris* monachis, ſeu raſo aut viliore panno indutis, apud Cotelerium monum. Gr. tom. II. et III.

§. III. Ingens fuit ſcriptorum Elencticorum copia, quorum opera fuit verſata in Latinis refutandis, et Graecorum fide ac religione rituali defendenda, ſed quorum ſcripta maximam partem adhuc latent: fragmenta exſtant apud Leonem Allatium de *conſenſu* Graecorum et Latinorum etc. *Euſtratius*, ut aliquos recenſeam, Metropolita Nicaenus, ſub Alexio Comneno, laudatus ab Anna Comnena Alexiad. l. XIV., praeter alios tractatus, quos exhibet Leo Al-

latius l. II. c. 20. operam Aristoteli illustrando inpendit; et exstant commentarii ejus in posteriora analytica, ac ethica Aristotelis. *Nicolaus Methonensis*, in Peloponneso Metropolita, plura contra Latinos scripsit, ut de Primatu Papae, processione Spiritus S., azymis, jejunio et conjugio: sed quorum nihil exstat editum. Tantum breve ejus scriptum de *corpore et sanguine Christi*, contra eos, qui dubitabant, num panis consecratus sit corpus Christi, prodiit inter Liturgias Jacobi, Basilii etc., edit. Paris. a. 1560. *Niceta Seidus*, Latinos antiquitate gloriari animadvertens, exaravit opusculum, *non simpliciter antiqua novis venerabiliora* etc., unde multa produxit fragmenta Leo Allatius lib. cit. variis in locis, uti I: 24, II: 2. et III: 12. *Basilius Achridenus*, Metropolita Thessalonicensis, ad Ecclesiae Graecae, tanquam schismaticae, renunciandum a Papa Hadriano incitatus, scripta ad eum Epistola, quae Gr. et Lat. exstat in *jure Graeco-Romano*, et Latine apud Baronium, demonstrat, Graecam non esse schismaticam, nec ea esse superiorem Romanam, negat quoque quaestiones illas esse fidei. *Andronicus Camaterus*, sub Manuele Inperatore, qui ab a. 1153 ad 1180. praefuit, Praefectus urbis CPol., vir *admirabilis* dictus Vecco, qui seculo sequente contra ipsum scripsit, edidit quoque quaedam contra Latinos, quorum partem de processione Spiritus S. refutavit Johannes Veccus, Patriarcha CPol. ab a. 1274. vulgavit Leo Allatius in *Graecia Orthodoxa*. Praeterea *Georgius Corcyrensis*, Metropolita Corcyrae, sub Manuele Comneno, de quo vid. Leo Allatius de *Georgiis*, scripsit contra Latinos de *purgatorio*, cujus fragmentum exhibet Leo Allatius de *libris Ecclesiasticis Graecorum* differt. II., nec non de *azymo*; plures denique epistolas, quarum aliquas recenset Baronius in Annalibus tom. XII. Acerrimus etiam fuit Latinorum adversarius *Michael Anchialus*, Patriarcha CPol. a. 1167. quem autorem, praeter decreta quaedam Synodalia in Jure Graeco-Romano, habet *dialogus* cum Manuele, quo tempore

re Legati Papae pervenerant CPolin, unde quaedam in lucem protraxit Leo Allatius de *Consensu* etc. l. III. Denique in elencticorum classem etiam referri potest, et propterea hic memorandus, *Nicetus Byzantius*, vitae instituto Philosophus, circa a. 1120., autor tractatus *apologetici* pro Synodo Chalcedonense contra Armeniae Principem, in *Graecia orthodoxa* obvii, cujus fragmenta hic illic repraesentat Allatius. Interea Rex Armeniae sese ita explicat, ut disputatio in logomachiam exeat.

§. IV. Succedant Historici, qui haud exiguo quoque numero floruerunt inter Graecos, praeter Zonaram, cujus supra memini, qui in corpore Byzantino prostant, strictim recensendi. *Nicephorus Bryennius*, Caesar, et *Anna Comnena*, Alexii Comneni filia, conjuges, primum merentur locum. Condidit Bryennius quatuor libros *commentariorum* de rebus Byzantinis, ab Isaaci Comneni principatu, a. 1057. usque ad initia Alexii Comneni a. 1081. *Anna* vero, supra multos viros docta, egregium opus, dictum *Alexiados*, de rebus Alexii Comneni, parentis sui, quindecim librorum, quorum primi duo res ante inperium ejus ab a. 1069., reliqui ejus gesta complectuntur, ab initio Inperii a. 1081. ad mortem a. 1118. *Michael Glycas*, hujus, ut putatur, seculi, nec patria Siculus, sed Byzantius (pro σικελιώτȣ enim legendum esse σικιδιώτȣ, quod ejus nomen est apud Nicetam, contendit Joh. Boivinus apud Fabricium Bibl. Gr. vol. X., σικύδιον autem Graecis recentioribus idem est ac συκίδιον *ficulus*) nomen Glycae sumsit, ut putatur, cum monasticum induit habitum. Scripsit *Annales* ab orbe condito ad a. 1118., quos continuavit Leunclavius, usque ad captam CPolin a Turcis. Sed opus Glycae non solum est historicum, sed et Physicum ac Theologicum, quae materiae ubique inmiscentur: praemissae etiam Annalibus sunt duae disputationes, et ex Epistolis ejus, quas plures scripsit, varia excerpta exstant apud Leonem Allatium, haud uno in libro. Sed Michaelem Glycam sec. XV. demum

 vixisse,

vixisse, post Oudinum non male disputat Lami in *deliciis Erudit.* p. I. in praef,, ubi epistolas, seu disputationes, ejus ineditas in lucem protulit, simul docet, eum vere fuisse Siculum, et ex Glycetarum familia, indeque esse nomen Glycae repetendum.

§. V. *Constantinus Manasses*, qui sub Manuele Comneno circa a. 1150. floruit, *Annales* quoque contexuit, seu Synopsin historicam, ab orbe condito ad Alexii Comneni initia a. 1081. non prosa, sed versibus prosae similibus, quos *politicos* vocant Graeci recentiores. *Johannes Cinnamus*, Grammaticus βασιλικος, seu notarius, scripsit, post mortem Manuelis Comneni, a. 1080. defuncti, gesta duorum Comnenorum, Johannis et Manuelis, sed illius breviter, hujus fuse, utriusque ab a. 1118. ad 1176. stylo terso. Imitatus est Procopium, usque ad ipsam sententiam de disputationibus Theologicis; dicit enim l. VI. c. 2. sibi semper *nefas visum, naturam Dei curiosius inquirere.* Sed permiserat illud paulo ante Doctoribus, et summis sacerdotibus, etiam Inperatoribus, *propter dignitatis forte excellentiam.* Quod satis singulare est. In Romanum autem Pontificem vehementer invehitur l. V. c. 20., quod sibi potestatem creandi Inperatores adrogat, eosque indignissime tractat, adeo etiam ut stratoris vice fungantur. Exstat hoc opus, cum versione Tollii, qui primus vulgavit, in Corpore Byzantino, cum notis du Fresne, qui versionem etiam emendavit, et *Paulum Silentiarium*, de Templo S. Sophiae, addidit. Denique *Nicetas Acominatus Choniates*, seu Colossensis Phrygiae (Colossae enim postea *Chonae* sunt adpellatae) a Michaele fratre doctrina et moribus inbutus, vitam in aula CPolitana trivit, variis functus dignitatibus est, usque ad captam a Latinis CPolin a. 1204., quando cum familia Nicaeam discessit, ubi defunctus est, non ante postrema Henrici Inperatoris, mortui a. 1216. Exstant historiae ejus Byzantinae libri XXI, eleganter et fideliter conscripti, ab initiis Johannis Comneni a. 1118. usque ad

Balduini

Balduini Flandri mortem a. 1206. Fragmentum vero ineditum, ad finem cap. 3. de Balduino Flandro inſerendum, de *ſtatuis aeneis igni traditis*, capta CPoli a Latinis, exhibet Fabricius Bibl. Gr. vol. VI. Compoſuit praeterea *theſaurum orthodoxae fidei*, libris 27, poſt captam CPolin. Quo in opere, orthodoxa fide expoſita, recenſet et refutat omnes haereſes. Latet adhuc in Bibliothecis, ſed ſingulorum librorum argumenta evulgavit Montfaucon Palaeogr. Gr. l. IV. p. 327. Quinque tantum libri Latine proſtant editi a Morellio, indeque in Bibl. M. Patrum tom. XXV.

§. VI. Ad *Latinos* pergam, poſtquam verbo memoravero, inter Graecos ſeſe aliquos hoc ſeculo ad ſtudia quoque Philologica adplicuiſſe, inter quos celeberrimus ille eſt *Euſtathius*, Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, qui ſub Comnenis, Manuele, Alexio, et Andronico, floruit, inſignis commentator Homeri, et Dionyſii Periegetis. Verſata fuerunt inter Latinos in quovis fere ſcientiarum genere ſtudia, quae ad rem Theologicam, Jurisprudentiam, et Hiſtorias referri poſſunt. Theologiae vero, qua Syſtematicae, qua Scripturariae, operam dederunt. Introducta enim eſt *Syſtematica* per Petrum Abaelardum, Lombardum, et Hugonem Victorinum. De quibus paulo accuratius eſt diſſerendum. *Petri Abaelardi* vita et ſingularia fata ex ipſius Epiſtola ad amicum praecipue petenda ſunt: ex recentioribus, praeter ſatis notos, conſulendus in primis eſt, praeter Tomaſium in *hiſtoria ſapientiae et ſtultitiae* tom. I., qui vitam ejus compendioſe enarravit, du Bois in hiſtoria Abaelardi, Gallice conſcripta. *Abaelardus*, Bernardo dictus Abeillardus, velut *apis de Francia*, Johanni vero Saresberienſi *Peripateticus Palatinus*, a ſtudio in eam Philoſophiam, et a patria (fuit enim natione Armoricus, in oppido minoris Britanniae Palatio oriundus ex Patre Equite a. 1080.) militiae renuncians, ſeſeque ſtudiis conſecrans, praeceptores habuit in dialectica Roſcelinum, in Philoſophia Gulielmum Campellenſem, Peripateticae Philoſophiae Profeſſorem Pariſienſem, poſtea Catalau-

talaunensem Episcopum, de quo, ejusque laudibus, vid. Mabillon. ad Bernardum epist. III., in cujus mox incidit odium et invidiam, ob nimiam disputandi virtutem. Conjecit enim, ut traditur, eum inter alia in tantas angustias, ut sententiae de unitate essentiae universalis in omnibus individuis renunciare debuerit. Quae Campellensis opinio, ut id obiter observem, haud multum ab ea distare censetur, quam Scotistae, universale formale a parte rei statuentes, postea tenuerunt, et Spinosa latius deduxit et prostituit. In Theologicis vero usus est Anselmo Laudunensi, sed quem sprevit. Cum vero Parisiis, schola aperta, summo cum adplausu dialecticam doceret, et Theologiam, Heloissae, quod idem nomen est ac Loissae, seu Ludovicae, dulcissimae et pulchrae, simul doctae, puellae amore captus, multiplex sibi malum conciliavit, et corporis singulare tulit damnum. Fulbertus enim Canonicus Parisiensis, cujus erat neptis, et in cujus domo versabatur, desiderio quidem Heloissae litteris inbuendae ductus, sed nimis avarus, Abaelardum in domum recepit, eique neptem, satis inprudens, noctes atque dies commisit instruendam ac regendam. Qua occasione Abaelardus sese in ejus amorem adeo insinuavit, ut illicitum cum eo exercuerit commercium, unde gravida est puella facta. Quo animadverso Abaelardus curavit, ut, furtim inde sublata, in Brittanniam fuerit ad sororem ejus translata, ubi peperit filium, adpellatum *Astrolabium.* Sed Fulbertus cum aliis cognatis tanta propterea exarsit ira, ut, non nisi inito conjugio placari se posse, declaraverit. Cum vero Heloissa dissuaserit Abaelardo conjugium, tanquam Philosopho et Canonico satis absurde reputans indignum, multisque cum molestiis conjunctum, et in secretum conscientiae matrimonium consenserit, Fulbertus vero illud divulgaret, et Heloissam, quod se uxorem ejus negaret, propterea vexaret, Abaelardus eam ad monasterium Argenticoli, prope Parisios, transmisit, autorque fuit, ut monasticum induat

habi-

habitum. Quo facinore in malam partem a Fulberto et cognatis rapto, acsi se ab ea voluisset liberare Abaelardus, aliquos subornarunt, qui, in ejus cubiculum noctu irruentes, eum dormientem fecerunt eunuchum, exsectis virilibus. Quam ob rem pudore confusus monasticam et ipse vitam elegit in Abbatia S. Dionysii, Heloissa vero, primum Priorissa in monasterio Argenticolensi, dein Abbatissa in Paracletensi, ab Abaelardo conctructo, nihil a lasciva sua indole remisit, ut ex ejus epistolis patet: ubi inter alia dicit, se ejus amicam et meretricem semper magis amasse haberi, quam uxorem, ipsique magis quam Deo devotam esse. Testatur nihilominus Abaelardus eam dein vitam degisse religiosissime, quo nomine eam quoque coluit Bernardus, et Petrus Mauricius, Cluniacensis Abbas.

§. VII. Abaelardus vero novos deinceps nactus est adversarios, nec aemulos tantum Albericum et Lotulfum, Rhemensium Scholarum magistros, sed et Sandionysianos Monachos, ipsi duplice nomine infensos; uno, quod, si Abaelardo hoc referenti sit fidendum, vitam eorum dissolutiorem liberius carperet, altero, quod Dionysium Areopagitam statuerit, cum Beda, non Atheniensium, sed Corinthiorum fuisse Episcopum. Ex quo cum sequeretur, Dionysium, Galliarum Apostolum, qui Atheniensis habebatur, non fuisse Dionysium Areopagitam, aut Apostolum, Dionysiani Monachi illud acerbissime tulerunt, eumque propterea, more zelotarum, tanquam Francorum hostem traduxerunt. Unde varia ejus vexatio orta est. Aemuli modo memorati haeresios notam ipsi inurendi ansam adripuerunt ex libro ejus de *Theologia*, hoc tempore vulgato, in quo, ut discipulis, qui nihil credi voluerunt, nisi quod sub intelligentiam caderet, gratificaretur, de *unitate* et *Trinitate* philosophice et subtiliter disseruit: adversarii itaque illi, eum Tritheismum inculcare et tres Deos praedicare illo in libro, arguerunt, et eo nomine accusarunt.

Synodo itaque Suessionense a. 1111. a Rudolpho Rhemensi Archiepiscopo, re cum Conone, Praenestino Episcopo, et sedis Apostolicae legato, communicata, convocata, citatus est Abaelardus, et, sine ullo libri examine instituto, eum flammis tradere, et sanam fidei confessionem, Symbolum Athanasianum ex scripto recitando, edere coactus est. Quo facto Abbati S. Medardi traditus est, ut ejus claustro, instar carceris, concluderetur. Unde postea ope Legati Apostolici dimissus, et ad coenobium Dionysianum remissus, in novas illas lites cum Monachis Sandionysianis incidit, quarum modo memini. Ceterum concilii istius historia ex ipso Abaelardo, epist. citata, Bernardo epist. 193. ad Ivonem Cardinalem, et Ottone Frisingensi de gestis Frederici cap. 47. peti potest.

§. VIII. Vexationibus illorum Monachorum ad monasterium deserendum compulsus, nec se ab Abbate revocari passus, licentiaque accepta ad quamcunque vellet solitudinem transeundi, modo nulli Abbatiae nomen daret, secessit in solitudinem agri Trecensis; ibique, adnuente Episcopo, *oratorium* construxit in nomine Trinitatis, et scholam aperuit; ingente dein discipulorum copia ad ipsum confluente, oratorium longe amplificavit, illudque, quia ibi respirabat, nomine *Paracleti* insignivit. Unde nova rursus ei creata est accusatio, quod, contra Ecclesiae morem, uni tantum Trinitatis personae illud consecrasset: quam diluit, dicendo, tum illud nomen toti Trinitati convenire tum, si vel Spiritus S. solus intelligeretur, se nihil rationi egisse contrarium, quia Spiritus Sancti sumus Templa, et ejus ductu Ecclesia gubernatur. Ex hoc autem oratorio dein vocatus ad Ruiense monasterium dioecesis Venetensis in Britannia Armorica regendum, eam praefecturam mox abdicavit, quod Monachorum pessimos mores, et continua vitae pericula, ab ipsis concitata, ferre non posset, ut ipse declarat, et Trecensem repetiit solitudinem; in quam etiam recepit Heloissam, cum ejus sanctimonialibus, a Lugerio,

rio, Abbate S. Dionyſii, expulſis ex Argentolio ob inpudicitias. Propter quod male rurſus audiit Abaelardus, ut ipſe conqueſtus eſt. Sed tantum abeſt, ut quies ipſi eo loco fuerit conceſſa, ut graviores contra ipſum concitati ſint motus per Gulielmum, Abbatem S. Theodorici: qui in ejus librum de *Theologia* incidens varios ſibi obſervare errores periculoſos in eo viſus eſt; quos, ſcripta diſputatione, exhibuit Gaufredo Carnotenſi, et Bernardo Claraevallenſi. Quibus valde commotus Bernardus, eos ubique divulgare non ceſſavit, donec cauſa ad concilium Senonenſe a. 1140. delata eſt.

§. IX. Errores autem illi ſunt numero octodecim, petendi ex Abbate Theodorici, Bernardo epiſt. 190. ad Innocentium I. Papam, Anonymo in diſputatione contra Abaelardum, et Ottone Friſingenſi de geſtis Frederici l. I. c. 47. 1. *Primus*, ipſi inputatus, habet, gradus dari in Trinitate, Patrem eſſe primam potentiam, Filium quandam potentiam, Spiritum S. eſſe nullam potentiam, porro Filium ſe habere ad Patrem, ut aereum ſigillum ad aes, ſpeciem ad genus, hominem ad animal. Sed Abaelardus in *apologia*, ſeu fidei confeſſione, hunc verborum ſuorum ſenſum diſerte repudiat, et, eo ſenſu ſe ea dixiſſe, negat: in libris quoque ipſis de *Theologia*, ubi ſimilia occurrunt verba, adfirmat, ſe eandem naturam, et proprietates, agnoſcere in tribus Perſonis, ſed juxta *perſonales* proprietates, quae perſonas diſtinguunt, ſtatuere, Patrem eſſe *potentiam*, Filium *ſapientiam*, Spiritum S. *charitatem*, eoque reſpectu tantum dixiſſe, Filium eſſe *aliquam* potentiam, quatenus ſapientia eſt pars tantum potentiae, quippe diſcernendi, non operandi potentia, Spiritum S. nullam potentiam, quia charitatis idea nullam potentiae involvit. Ceperunt itaque ejus mentem male, ſed et ipſe nimis ſubtiliter diſſeruit, et anſam potius perſonalem ſubſiſtentiam deſtruendi praebuit. 2. Eadem ratione diluit *ſecundum* errorem, Spiritum S. *procedere* quidem ex Patre Filioque, ſed non eſſe de eorum

*Substantia*; quatenus Spiritus S., qui respectu proprietatis, qua Patris et Filii *charitas* est, nec est potentiae, nec sapientiae, pars, rectius *procedere*, quam *gigni* dici, cum *procedere* denotet, Deum se per charitatem ad alterum extendere. Unde est, quod in confessione neget, se ea verba, scilicet eo sensu, protulisse. Constant haec ex libris ejus de *Theologia*. 3. Ex quibus etiam elucescit, ipsum Spiritum S. dixisse *animam mundi*, qui *tertius* fuit error, quatenus ea, quae Philosophi de anima mundi dixerant, ad Spiritum S. catholico sensu transtulerit, tanquam causam vitae et sanctificationis. 4. Nec mentem ipsius adsecuti sunt, dum ipsi inpegerunt, Christum θεάνθρωπον non esse tertiam personam in Trinitate, seu Deum proprie hominem non esse dicendum, quod Nestorianismum redolere censebatur: ipse enim in Christo diserte agnovit unam personam et duas naturas; tantum, naturarum permixtionem ut vitaret, adseruit, Deum non esse proprie hominem; ut ex iisdem patet libris. 5. Quid veri *quintus* error habeat, Christum in carnem venisse, et passum esse, tantum ad nostram verbo et exemplo institutionem, et ut per charitatem Dei erga nos, in Filii missione elucentem, ad ejus amorem accenderemur, vix definiri potest. Utique similia quidem prostant in commentario ejus in Epist. ad Romanos, sed praecipue intendit demonstrare, nos ex potestate Diaboli non esse a Christo redemtos, acsi is in nos aliquid juris habeat; et in confessione dicit, Filium Dei esse incarnatum, ut nos a servitute peccati, et jugo Diaboli, liberaret, et supremae aditum vitae morte sua nobis reseraret. Inputatum quidem ei 6. quoque est, ab Adamo non trahi originalis peccati *culpam*, sed *poenam*: uti in comment. ad Rom. V: 12 dixit: verum, cum in fidei expositione adserat, ex Adamo tam culpam, quam poenam, nos contraxisse, quia illius peccatum nostrorum peccatorum omnium origo exstitit et causa, mens ejus videtur fuisse, originalem corruptionem, quae in hominibus,

minibus, rationis usu nondum gaudentibus, existit, non inputari ad poenam, sed hanc ab Adami peccato eos habere, eoque sensu originale peccatum magis ad poenam quam culpam esse referendum: sicut ipse se ibi explicat.

§. X. 7. Dixit quidem, nullum esse peccatum nisi in consensu et contemtu Dei, sed peccatum intelligit, per quod reus constituitur homo: ut ex eodem commentario l. cit. manifestum est. 8. Sic et *ignorantiae* peccatum non damnare hominem dixit quidem, sed ad ignorantiam invincibilem restrinxit; ut ex problematis 13*tii*, ab Heloissa propositi, solutione, et ex confessione, liquet. 9. Libero arbitrio, sine adjuvante gratia, nos posse bene velle et agere, sentire quidem Abaelardus in comment. ad Ep. ad Rom. lib. IV. videtur, cum gratiam, per quam credimus, in sola ratione et doctrina ponat: sed in fidei expositione diserte confitetur, gratiam Dei nos *praevenire*, ut velimus, *subsequi* ut possimus, *consociare* ut perseveremus. 10. Fidem esse *aestimationem rerum*, *quae non videntur*, cum dixerit, adversarii de fide dubia et fluctuante interpretati sunt, sed ipse firmam persuasionem et convictionem intellexit, ut ex initio ejus Theologiae, seu introductionis in eam, patet. 11 Deum plura non posse facere, quam quae facit, imo Deum non potuisse mundum aliter fecisse ac fecit, non posse peccatum inpedire, statuit quidem, sed explicuit, quatenus Deum non *deceat*, non conveniat ipsi aliter facere, uti ex toto ratiocinio lib. III. *introductionis* patet: sic et in *confessione*, *Deum ea solummodo posse facere*, *credo*, *quae ipsum facere convenit*, *et quod multa facere potest*, *quae nunquam faciet*. 12. Animam Christi per se non descendisse ad inferos, sed per potentiam et efficaciam passionis, legitur quidem in ejus expositione *Symboli Apostolici*: sed negavit in *confessione* hunc esse sensum. Videtur itaque descensum tantum negasse, qualis est corporis. Hi praecipui sunt errores, ipsi inputati, alios praetereo. Illud addo, Abaelardum de Philosophis gentilibus, eorumque sa-

 lute

ſalute, in benigniorem judicaſſe partem, imo ipſis myſteriorum fidei, ut Trinitatis, et incarnationis, cognitionem, adtribuiſſe, partim per revelationem, partim per rationem: ut ex libris de Theologia in *theſauro novo Anecdotorum* Martene. lib. V. manifeſtum eſt.

§. XI. Hi errores cum Abaelardo ubique objicerentur, indeque ipſi invidia et odium crearetur, petiit ab Archiepiſcopo Senonenſi, ut ſibi in publico conventu liceret ſe purgare. Indicta ergo eſt Synodus Senonenſis a. 1140. et Bernardus Claraevallenſis, ut eos refutaret, ad eam invitatus eſt. Interfuit quoque ipſe Galliarum Rex Ludovicus VI., ſed, ſtatim ac errores ex ejus libris eſſent producti, ipſe ſe ſubduxit et Papam adpellavit. Quod metu ſeditionis popularis ab ipſo eſſe factum, tradit Otto Friſingenſis; Berengarius vero, ejus diſcipulus, in *apologetico* Abaelardi, qui inter ejus opuſcula comparet, refert, omnia in Synodo fuiſſe turbulenter acta, et Patres illos maximam partem fuiſſe ebrios. Quod ſi verum, ſumma ratione ſe ſubtraxit. Synodus itaque errores quidem condemnavit, ſed in Abaelardum, prae Papae reverentia, nihil ſtatuit, relationem tantum ad Papam Innocentium II. miſit, eumque rogavit, ut in errorum condemnationem conſentiat, et autorem coerceat: addidit quoque Bernardus duas ad Papam litteras, quae ſunt 189. et 190. Qua relatione accepta, et Cardinalium ac Epiſcoporum *communicato* conſilio, Papa eadem mox, cum ipſo autore, damnavit capitula, teſte epiſtola ejus, quae eſt 194. ad Bernardum. Juſſit quoque in alia epiſtola, Abaelardum, et Arnaldum de Brixia, de quo poſtea, haereticos, in religioſis locis ſeparatim includi, et libros eorum comburi. Sic ſatis praecipitanter damnatus eſt, ut Berengarius l. cit. demonſtrat, ſed poſtea cum Bernardo in gratiam rediit, et ipſi Pontifici reconciliatus eſt, ope Petri Venerabilis, Abbatis Cluniacenſis, a quo etiam Cluniaci ſuſceptus eſt: ut ex Petri epiſt. ad Innocentium liquet, ſcripto quoque *apologetico*, qui supereſt,

ſe

ſe ab haereſios ſuſpicione penitus purgavit, *praedictorum capitulorum*, verba ſunt Ottonis Friſingenſis, *partim verba, ex toto autem ſenſum abnegans*. Denique ab eodem Petro Cabilonem, ſanitatis ergo, miſſus, ibi poſt continua pietatis et laborum exercitia, defunctus eſt a. 1142., ejuſque corpus ad Heloiſſam miſſum in monaſterium Paracletenſe. Vid. Epiſt. Petri Venerabilis ad Heloiſſam.

§. XII. Opuſcula ejus, in unum volumen redacta et edita ſunt ſtudio Franciſci Amboeſii, Equitis, Pariſiis, cum notis Andreae Quercetani, ſive Ducheſnii, inſertis etiam epiſtolis, reſcriptis, aliiſque ad cauſam ejus pertinentibus, ut et Apologetico ejus, autore Berengario Pictavienſi, diſcipulo ejus. Sunt autem opera ejus, Epiſtolae, expoſitio orationis Dominicae, et ſymbolorum Apoſtolici et Athanaſii, commentarius in Epiſt. ad Romanos, denique tres libri de Trinitate, ſeu Introductionis in Theologiam. Praeterea quinque libri Theologiae Chriſtianae, qui ibi deſiderantur, exſtant in theſauro *anecdotorum* Martene tom. V., quos Petrus Lombardus maxime ſecutus eſt: ubi etiam commentarius Abaelardi in Hexaemeron reperitur. Ceterum ex dictis eluceſcit, et ex libris ejus, Abaelardum fuiſſe inſignem Dialecticum, cujus praecipua fuit ars diſputandi ſecundum ſubtilia logices praecepta, praeterea Ipſum ſubtilium et abſtractarum ratiocinationum circa myſteria fidei jeciſſe fundamenta, etiam propterea a communi regula in multis deviaſſe.

§. XIII. *Hugo Victorinus*, ſeu de S. Victore, ſive Saxo fuerit, ut Meibomius in diſſert. de ejus *patria* tom. III. Scriptorum German. probare conatus eſt, ſive Belga Iprenſis, ut ex vetuſto codice, et aliunde, Mabillon. in Analectis, Canonicus fuit regularis in coenobio Victoris ad muros Pariſienſes; unde nomen tulit, mortuus a. 1142., ut evicit Pagi ad Baronium. Fuit ſummus Auguſtini ſectator, dictus etiam propterea alter Auguſtinus, vel lingua Auguſtini. Exſtant opera ejus *tribus* in fol. voluminibus, et praeter

adnotationes in Script. S., ac scripta didascalica, moralia etc. continent *summam sententiarum*, septem tractatibus comprehensam, quorum *primus* est de fide, spe, et charitate, Trinitate et Incarnatione, *secundus* de creatione et Angelis, *tertius* de creatione et statu humanae naturae, *quartus* de sacramentis in genere et praeceptis divinis, *quintus* de baptismo, *sextus* de sacramentis confirmationis, eucharistiae, poenitentiae, et extremae unctionis, *septimus* de sacramento conjugii. Sed praeter hanc summam, quae Theologiae tantum comprehendit epitomen, composuit alios duos libros, de *sacramentis Christianae fidei*; quod praecipuum ejus opus systematicum est, in quo veritates fidei fusius pertractat, quaestionesque praecipuas, sed missis difficilioribus, explicat dilucide, et ex Scriptura S., sed secundum Patrum interpretationes, demonstrat, methodo et terminis dialecticis spretis. Commentarii vero ejus in Scripturam S. duplicis sunt generis, in aliis enim sensum litteralem et historicum magis sectatur, in aliis vero allegorias et locos communes: quorum pleni sunt libri 24 *excerptionum*, de quorum genuinitate non sine ratione dubitatur. Alter *Hugo*, Rothomagensis per 30. annos Archiepiscopus, mortuus a. seculi 4*to*, de quo Robertus de Monte in adpendice ad a. 1130. ad calcem operum Guiberti edit. Dacherii legendus est, utilissimum condidit opus, ibid. a Dacherio editum, *de haeresibus sui temporis*, quippe in quo fidem Ecclesiae de praecipuis capitibus, ordines Ecclesiasticos, ac religiosos, nec non sacramenta baptismi, confirmationis eucharistiae, et conjugii etc. breviter et clare admodum exposuit.

§. XIV. *Petrus Lombardus*, genuinus Theologiae Scholasticae conditor, a patria sic dictus, primum fuit Doctor Parisiensis, et Canonicus Carnotensis, dein Scholarum Parisiensium Praeses, denique Episcopus Parisiensis ab a. 1159., defunctus a. 1164. Celeberrimum autem ejus est nomen per quatuor libros *sententiarum*, unde Magistri sententiarum titulus

titulus ipsi adhaesit. Scripsit praeterea commentar. in Psalmos, et collectanea ex Patribus in omnes Pauli epistolas. Methodus ipsius est, resecare disputationes, et quaestiones philosophicas, et dialecticas, seque per omnia Patrum definitionibus, et decisionibus adligare. Praecipuum vero, ut dixi, opus est, quod quatuor libros *sententiarum* complectitur, quod pro basi et norma deinceps habuerunt Scholastici, et in quod prolixos scripserunt commentarios, sed a methodo Lombardi longe discedentes, cum dialectice et Scholastice instituant; a quo eos abstrahere conatus erat Lombardus. Agit vero in libris sententiarum 1. de Deo, Trinitate, adtributis divinis, praescientia, et praedestinatione 2. de creatione, Angelis, et homine lapso, de libero arbitrio, gratia, peccato originali etc. 3. de Incarnatione, ejusque caussis et effectis, charitate Dei et proximi, et 4. de sacramentis, seu de baptismo, eucharistia, poenitentia, potestate clavium, extrema unctione, ordinibus Ecclesiasticis etc, denique de novissimis. Ceterum imitatus est Johannem Damascenum, tunc in linguam Latinam recenter conversum, praeterea Abaelardum. Tradunt quidem nonnulli, eum compilasse Blandinum, obscuri nominis virum, cujus summa Theologiae sec. XVI. prodiit Viennae, sed de ipso, tanquam ante Lombard., nihil constat, et rectius forte pro epitome Lombardi habetur ejus opus. Incidit quoque Lombardus in haeresios suspicionem, ejusque accusatus est, ac condemnatus, tum in concilio Turonens. a. 1163., tum ab Alexandro III. Papa in epist. ad Gulielmum Senonensem, postea Rhemensem, Archiepiscopum, scripta. Inputatus ipsi fuit error, Christum, secundum quod homo, non esse *aliquid*, verbumque divinum corpori et animae ita unitum fuisse, ut indumento; quem refutavit Johannes Cornubiensis, Anglus, circa a. 1173. in libro ad Alexandrum III., apud Martene in thesauro anecdot. tom. V., ubi vid. admonitio ejus praevia. Condemnati etiam sunt Parisiis a. 1277. nonnulli ejus errores, qui

ad calcem librorum ſententiarum adjungi ſolent, cum hoc titulo, *articuli in quibus magiſter ſententiarum communiter non tenetur.* Proteſtantes quoque plura apud Lombardum inveniri ſaniora, et Pontificiis adverſa, contendunt, apud Flaccum Illyr., Uſſerium, Forbeſium, et alios obvia. De converſione panis in corpus Chriſti, ut unum hoc proferam, dixit, *num ſubſtantialis ſit, an alterius generis, definire non ſufficio.* Illud adhuc notari meretur, eodem tempore, quo Lombardus veterum Patrum ſententias collegit, et Scholaſticorum Magiſter adpellatus eſt, Gratianum ſacros canones in unum corpus redegiſſe, et Canoniſtarum factum eſſe Magiſtrum. De quo poſtea.

§. XV. *Robertus Pullus*, Anglus, ſtudiis abſolutis Pariſiis, in Angliam redux, ibi *Scripturas divinas, quae per idem tempus in Anglia obſoluerant, prae Scholaſticis quippe neglectae, interpretatus eſt per quinquennium*, clarus circa an. 1144., ut Angli ſcriptores teſtantur. Quando Romam ab Innocentio II. evocatus, et a ſucceſſore ejus Coeleſtino II. Cardinalis factus eſt, dein Cancellarius a Lucio II., quo munere in initiis Eugenii III. adhuc functus eſt. Scripſit *Sententiarum* de Trinitate libros octo, quos una cum Petro Pictavienſe edidit Hugo Mathout Benedictinus. In quo libro tractat 1. de Deo et Trinitate 2. de Creatore, Angelis, homine, et ejus lapſu 3. de lege, circumciſione, gratia, et incarnatione, 4. de fide, ſpe, et charitate, de purgatorio, et ſtatu animarum poſt mortem 5. de reſurrectione Chriſti, de baptiſmo, confirmatione, et remiſſione peccatorum 6. de effectis peccati, tentationibus, poenitentia etc. 7. de operibus poenitentiae, ordinibus ſacris, et conjugio 8. de euchariſtia, et de noviſſimis. Abſtinet et ipſe a quaeſtionibus metaphyſicis, et ex Scriptura ac Patribus, non ex logica et Philoſophia, ratiocinatur. Ceterum, etſi hic unus Scholaſticorum, qui minus periculoſe erraverunt, habeatur, ab omni errore non fuit cenſitus inmunis ex. gr. quod dixerit, Patrem et Filium eſſe duo principia Spiritus S., poenitentiae ſacramentum

tum non culpam, sed poenam remittere, Deum vero culpam, poenas damnatorum posse inminui, Daemones nondum infernalibus esse in cruciatibus, eosque mox a creatione peccasse, sanctos personaliter non descendere in terram, intentionem ministri non necessario requiri in conficiendo sacramento, infantes non baptizatos damnari, et propterea in terra sancta non sepeliri. etc.

§. XVI. *Petrus Pictaviensis*, cujus modo memini, una cum ipso a Mathout publicatus, Petri Lombardi fuit discipulus, et, propter ingenii subtilitatem, meruit cum Lombardo, Abaelardo, et Gilberto Porretano, de quo mox, accenseri *quatuor Galliae labyrinthis*, ut fecit Gualterus, Prior S. Victoris, qui circa a. 1180. vixit, scriptis contra eos quatuor libris. Vid. Launoius de *varia Aristotelis fortuna*, cap. 3. Docuit autem Petrus Theologiam Parisiis, dein Cancellarius, denique Episcopus Ebredunensis, factus ab a. 1201., mortuus a. 1205. Scripsit quinque libros sententiarum, in quibus Magistri quidem sententiarum vestigia, quoad doctrinam, premit, sed alia prorsus utitur methodo, quaestiones ex principiis Philosophicis solvens, et syllogistice etc.

§. XVII. *Gilbertus Porretanus*, ut de eo mox agam, patria Pictaviensis, primum Scholae Parisiensis Rector, et Canonicus Pictaviensis, dein urbis patriae Episcopus ab a. 1141. ad a. 1145., sicut summus celebratur Philosophus, ita ex *ingenii subtilis magnitudine, ac rationum acumine, praeter communem hominum morem multa fertur dixisse:* ut habet Otto Frising. de *gestis Frederici* l. I. c. 46. Damnatae etiam sunt ejus opiniones in Synodis Antisiodorense et Parisiense a. 1147. et Rhemens. a. 1148., accedente autoritate Papae Eugenii III. Inter ejus adversarios praecipui fuerunt Praesules Gallicani, et Bernardus Claraevallensis. Errores vero, ipsi inputati, apud Bernard. Sermon 80. in Cantica, et Otton. Frising. l. cit. 1. 50., Matth. Paris. ad a. 1119., ac alios, fuerunt sequentes. 1. Primus et palmaris, quod inter Deum et Divinitatem, seu adtributa Dei

 distinxe-

distinxerit, statueritque, Divinitatem non esse Deum, sed esse Divinitate Deum, nec personarum proprietates esse ipsas personas etc., sine qua distinctione censuisse traditur, vel tres Deos cum Arianis, vel unum numero Deum, aut unam personam, cum Sabellio, admitti, nec non totam essentiam divinam indeterminate incarnatam statui debebe. Sed nihil aliud forte intendit, ac inter essentiam et personam adcuratius distinguere, ita ut tres dici possent personae, seu tria subjecta, eandem possidentia Divinitatem: Divinitatem vero et Deum distinxit, sicut naturam abstracte et concrete consideratam, et non acsi natura esset quid reale, a persona seorsim subsistens, aut accidentale, quod ab ea abesse posset. Quo tamen sensu videtur haec sententia damnata, vel quia adversarii ejus unitatem, sic proprie dictam, numericam, ut adpellari solet, statuerunt. Qua ratione mentem Gilberti exposuerit Otto Frisingensis; qui scire velit, adeat eum de *gestis Frederici* lib. I: 53., qui excursum suum ita concludit: *quid senserit posui, quid sentiendum sit, judicent alii* 2. *Meritum humanum adtenuando, nullum mereri praeter Christum*, dixisse fertur, ut verba habent Ottonis; quae adsertio hoc itaque tempore fuit male sana habita. 3. Tertius fuit error, quod, ut idem autor tradit, *Ecclesiae Sacramenta evacuando diceret, nullum baptizari nisi salvandum* Sed Porretanus, sive commoda explicatione, sive errorum renunciatione, postea in gratiam cum Papa et Ecclesia rediit. Vid. Otto Frisingensis, et Gaufredus in vita Bernardi l. III. cap. 5., obiit a. 1154. Superest commentarius ejus in Boetium de Trinitate inter opera Boetii, et Epistola ad Matthaeum, Abbatem Florentii, apud Dacherium in adpendice ad opera Guiberti, et Martene thes. Anecdot. tom. I., ubi, quod notandum, inter alia, dicit, posse quem communicare vel in *solius calicis*, vel *solius panis*, sacramento, et pueros baptizatos in solo calice, infirmos in solo pane, esse enim totum Christum in singulis elementis, seu carnem et sanguinem in pane aeque ac in vino.

§. XVIII.

§. XVIII. *Commentatores* Script. S., ut ad eos veniam, novam adoptarunt hac parte methodum, quod ante omnia eſt obſervandum. Cum enim antiqui Scripturam litteraliter et allegorice explicarent, ſequentes vero non niſi ſuperiorum fuerint compilatores, ac *catenarum* confectores, aut *ſcholiorum* conditores, hoc ſeculo non tantum gloſſas ad litteralem intellectum, quod et antea, fecerunt, ſed et eadem methodo, qua in Theologia tractanda, uſi ſunt, per principia dialectices, et varias quaeſtiones ſubtiles Theologicas et locos communes ventilando. In ſeculi initio floruit *Anſelmus*, Scholaſticus, et Canonicus Laudunenſis, in Gallia, a. 1117. mortuus; quem audivit, ſed minus probavit, Abaelardus. Autor habetur *gloſſae interlinearis* et *marginalis* in totum Vetus et Novum Teſtamentum, editae cum gloſſa ordinaria Hugonis a S. Caro, et Lyrae. Aliae enarrationes in Scripturam, ipſi adtribui ſolitae, alium habent autorem. Celebrior novae Methodi commentator eſt *Rupertus Tuitienſis* Abbas, e regione Coloniae Agrippinae, a. 1135. defunctus: qui in totam Scripturam S. commentatus eſt, et locos communes, ut adpellantur, pertractavit: tantum in duodecim Prophetas antiquam ejus commentarii redolent methodum, ſed ſunt valde allegorici. Scripſit et alia, ut de *Divinis officiis* per anni circulum; ubi de ritibus et ceremoniis ſacris agit, et rationes tradit myſticas. Exſtant opera ejus duobus voluminibus in Fol. ex editione Pariſienſi. Ceterum hic antiquam ſententiam de unione divinae naturae cum pane et vino in euchariſtia renovavit, et clarius explicuit. De quo poſtea. Antichriſti characterem in perſecutione ſitum recte quoque expreſſit ad Apoc. Johannis c. XIII., inter alia dicens, *Verus Deus non coacta, ſed ſpontanea, ſervitia vult. Ergo et in hoc, imo maxime in hoc, palam faciet ſenſum habentibus, et ratione pollentibus, quod vere ſit Antichriſtus, quod vere non Chriſtus, ſed ſecundum nomen ſuum Chriſto ſit contrarius: hic eſt Chriſtus qui ſanguinem ſuum fudit, hic eſt Antichriſtus, qui ſanguinem fudit alie-*

*num.* Paulo ante dixerat, *hoc eſt ſignum, in quo cognoſcant hi, qui ex Deo ſunt, ex maligno eſſe malignum illum, quia occidit, ſicut jam dictum, et in capitivitatem ducit, quod non facit, nec fecit, omnis qui ex Deo eſt. Hoc audiat ſi quis habet aurem, hoc ad memoriam revocet quiſquis fidelem habet rationem* etc.

§. XIX. Nullus fuit *Bernardo* Claraevallenſe celebrior, dignus, qui adcuratius deſcribatur, et innoteſcat. Indoles et labor ejus fertur matri, cum eum in utero gerebat, per ſomnium revelatus. Vidit enim catellum totum candidum, in dorſo ſubrufum, et clare latrantem. Praeſtitit utique ſe talem, ſed in bonos aeque ac malos, uſque etiam ad morſus caninos. Nobili ortus genere primum fuit Monachus Ciſtercienſis, dein Abbas Claraevallenſis ab a. 1115. Stephani enim Abbatis Ciſtercienſis juſſu coloniam Monachorum duxit ad Claraevallem, in territorio Lingonenſi, ibique conſtructo Monaſterio functus eſt Abbatis munere, ita tamen, ut in tuguriolo ad latus poſito ipſe latitans totus incubuerit ſtudiis et devotioni. Sed hinc abſtractus curam fere totius Eccleſiae geſſit, ita ut omnia pene ab ejus ore et autoritate pependerint. Interfuit a. 1128. Trecenſi concilio, ejuſque juſſu compoſuit regulam, in uſum Templariorum, ad cujus ordinis confirmationem multum contulit. Dein ad Gulielmum IX., Aquitaniae Ducem, miſſus eſt a. 1130., ut eum a partibus Anacleti ad eas Innocentii II. adduceret: quod tamen non niſi poſt quinquennium, iterata legatione, effecit. Adfuit Innocentio in omnibus, et conciliis ab ipſo in Gallia celebratis interfuit. Mediolanenſes ad Eccleſiam illam Papae reconciliandam adiit a. 1130, ingente cum honore receptus eſt, et eos ad obedientiam ſedis Romanae reduxit, ſimul permovit, ut, Conrado miſſo, Lotharium ſuſceperint Inperatorem. Recuſavit quidem Archiepiſcopatum Mediolanenſem, ipſi oblatum, ſed Mediolanum introduxit Ciſtercienſes, condito ibi monaſterio Claravalle, a. 1135. quod primum eorum fuit: fundavit etiam ibi tertium ordinem *humiliatorum*, praeſcripta quoque regula: unde *fratres*

*S. Ber-*

*S. Bernardi* adpellati ſunt. Paci inter Rogerium, Siciliae Regem, et Innocentium, ſequebatur enim Rex partes Anacleti, ſanciendae incubuit a. 1137., ſed irrito ſucceſſu. Deinde bellum ab a. 1140. geſſit continuum cum haereticis, vel haereſios ſuſpectis, ut Arnaldo Brixienſi, Gilberto Porretano, Abaelardo, et Petro Bruſio: de quo poſtea. Fuit quoque novae expeditionis Cruciatorum, ut poſtea videbimus, praecipuus autor. Denique contradixit *inmaculatae conceptioni* Mariae Virginis, teſte Sermone ejus II. in Adſumtionem, et epiſt. 174. ad Canonicos Lugdunenſes, ubi ſeſe quoque feſto inmaculatae conceptionis in Eccleſia Lugdunenſi a. 1136. inſtituto oppoſuit, tanquam novitati, inconſulto Papa, invectae in Eccleſiam. Ceterum hoc feſtum etiam oppugnavit Potho Prumienſis, cujus opuſcula exſtant in Bibl. Patrum tom. XXI. in libro de *ſtatu domus* Dei lib. III. in fin., ubi feſtum S. Trinitatis, et transfigurationis Chriſti, etiam inprobat. Quod idem fecit Petrus Cellenſis l. VI. epiſt. 23., ſatis elegante, et pro more temporis eloquente, qui etiam ibid., et lib. I. epiſt. 10., diſputat, Mariam, licet non conceptam ſine peccato, natam fuiſſe ab eo liberam, et nunquam conſenſiſſe libidini carnali, licet a tentatione non liberam, ſecus ac Nicolaus, S. Albani in Anglia monachus, ſtatuebat, qui omni tentatione eam ſuperiorem fuiſſe contendit, cujus epiſtola ibid. reperitur, lib. IX. ep. 9. Inter peculiares Bernardi opiniones locum tenet, animas juſtorum ad plenam Dei viſionem non admitti ante reſurrectionem, eaſque in atrio eſſe ſub altari, nondum in domo Dei, videre tantum humanitatem Chriſti, nondum Divinitatem. Vid. Sermones 2, 3, 4. *de omnibus ſanctis*. Diem vero obiit ſupremum a. 1153. et ab Alexandro III. canonizatus eſt a. 1174. Vitam ejus plures conſcripſerunt, a Mabillonio editi, in praeclara operum ejus editione 2 vol. in fol., quae repetita eſt a Veronenſibus 3 vol., additis, quae Martene publicaverat. Conſtant ex Epiſtolis, ſermonibus, aliiſque tractatibus doctrinalibus et

moralibus. Ceterum fuit Bernardus religiosus quidem et peritus, acerrimus quoque et liberrimus corruptionis sui temporis, in primis aulae Pontificiae, reprehensor, vid. Libri de *consideratione* ad Eugenium Papam, commentar. ad Canticum Salomonis, ac epist. 290. ad Cardinalem Ostiensem; sed simul credulus, suspiciosus, superstitiosus, quodque pejus est, terribili Orthodoxiae zelo flagrans. Visionum, miraculorum, et adparitionum coelestium, etiam ejus ingens venditatur copia.

§. XX. Floruit porro circa medium seculi *Richardus Victorinus*, Canonicus regularis S. Victoris, prope muros Parisienses, denique Prior; mortuus a. 1173., autor variorum operum, quae 2 vol. in fol. prostant, complexa tractatus dogmaticos et spirituales, expositionesque multarum Script. S. partium, cum criticas et historicas, tum allegoricas et dogmaticas. Denique, innumeris aliis praeteritis, memorandus superest *Petrus Blaesensis*, Londinensis Archidiaconus, et Cancellarius Archiepiscopi Cantuariensis, Regisque Proto-Cancellarius ab a. 1160. Varia et ipse condidit opera, novissime in fol. edita a Petro Gassanvilla, et inde in Bibl. Patrum. Sunt autem Epistolae, sermones, aliique varii argumenti tractatus. In quibus vitia Clericorum et Monachorum acriter passim perstrinxit, adeo ut ipsi inputatum sit, quod Principum adulatorem, et Cleri ac monachatus calumniatorem, sese praestiterit: vid. sermo ejus IX., in quo sese defendit. Ceterum male censetur vocabulo Transubstantiationis primus usus, quod exstat epist. 140. Ante ipsum enim jam adhibuit, praeter alios, Stephanus Augustodunensis, et primus, ut videtur, Hildebertus Turonensis, a. 1139. defunctus. Vid. Beaugendre Benedictinus, qui opera ejus eleganter edidit in Fol., in notis p. 571. et 719.

§. XXI. Ad *canonicos* antequam accedam, varios *canones* colligendi modos non fuerit inutile praemisisse. 1. *Primus* est, quo canones nude recensentur, eo, quo in conciliis scripti sunt, ordine, sive unius sint concilii, sive plurium,

sub

ſub una ſerie numerorum. Quae collectio dicitur *Codex*, vel *corpus*, canonum; et, ſi plurium Synodorum canones una numerorum ſerie decurrant, ἀκολουθία κανόνων *conſequentia canonum.* 2. *Secundus* eſt, quo acta Synodorum cum canonibus recitantur, ſive *acta et ſancita.* 3. *Tertio* modo ſub certos titulos et rubricas referuntur canones diverſorum conciliorum, ſive citentur tantum canones, verbis non additis, ſive verba etiam recenſeantur: prius dicitur *breviatio* canonum, poſterius eorum *concordia.* 4. *Quartus* eſt, quo concordes Inperatorum leges adjunguntur, vel ſubjiciuntur: quam collectionem adpellant *Nomo-canones.* Denique 5. *quinto* inſuper adduntur Epiſtolae decretales Pontificum, ac Epiſcoporum, nec non ſententiae Patrum. Vixit etiam hoc ſeculo *Bernardus Circa*, Papienſis Praepoſitus, et poſtea Antiſtes Faventinus, qui primus Pontificum decretales, et conſtitutiones, ſeorſim collegit. De quibus omnibus vid. G. Maſtricht hiſt. jur. Eccleſ. Conditum vero eſt hoc ſeculo famoſum illud opus Gratiani, quod publice receptum, et principium Juris Canonici, quod ſtudium hoc ſec. vigere coepit, factum eſt. *Gratianus* fuit Tuſcus, et coenobii Felicis Bononienſis Monachus Benedictinus, celebris Juris Eccleſiaſtici Interpres, indeque *Magiſter* dictus. Condidit autem ſub Eugenio III. a. 1151. famigeratiſſimum illud opus, ſeu collectionem canonum, ex Patrum ſcitis, Synodorum canonibus, ſpuriis etiam Pontificum decretalibus, aliiſque pſeudepigraphis: quod opus ipſe *concordantiam diſcordantium* canonum adpellavit, ſed Innocentius *corpus decretorum.* Conſtat ex tribus partibus, 1. *diſtinctionibus* 101, quae ſingulae in capitula dividuntur. 2. *Cauſis* 36, quae ſingulae varias continent quaeſtiones, in capitula diviſas. 3. Pars tertia de *conſecratione* agit, in quinque diviſa diſtinctiones. Huic collectioni quaedam capita addidiſſe fertur diſcipulus ejus *Cotta Palea*, quibus Paleae nomen eſt inditum. Sed antiquioribus in Mſſ. non reperiuntur. Hoc Gratiani opus, licet ab Eugenio III., ut vulgo putatur, etiam ab autore

vitae Gratiani, et Trithemio, traditur, non fuerit adprobatum, ut Antonius Augustinus dialogo III. demonstravit, imo corpus decretorum Gratiani nunquam directe sit a Papis confirmatum, obtinuit tamen sensim authenticam autoritatem, usu et observantia forensi, plane ut Jus Justinianeum, multum eo tribuentibus Decretistis in Academiis, opposite ad Glossatores Juris Romani. Vid. Boehmer Jur. Eccles. l. I. tit. II. Sed ipsi Pontificii varias fovent de ejus autoritate opiniones. Vid. Mastricht l. cit. §. 308. Alexander vero III., ut illud obiter observem, decretales sui temporis epistolas, in unum volumen redactas, *consulta* Alexandri adpellari, et Gratiani compilationi addi, voluit, ut inservirent juri Canonico, vid. adpendix concilii Laterani III., ubi haec exstat collectio. Ceterum, cum multos in hoc condendo opere commiserit Gratianus errores, sive a Burchardo et aliis, quos secutus est, sive ab Interpretibus, Linguae Gracae quippe ignaris, deceptus fuerit, sive spuria pro genuinis habuerit, sive autores et concilia confuderit, varii sec. XVI. illud emendare instituerunt, sicut et correctum prodiit a. 1580. cum approbatione Gregorii XIII. Interea dum hoc fiebat, manus ei admovit Antonius Augustinus, Tarraconensis Archiepiscopus; scriptis dialogis de *emendatione Gratiani*, quos optime cum notis edidit Baluzius. Denique, quae in hoc opere occurrunt, Romano Catholicis minus faventia, studiose a Protestantibus collecta sunt, ut Pfaffio, de dogmatibus *Protestantium ex jure canonico comprobatis*, sed jam antea in catalogo *testium veritatis* l. XV., et ab Alstedio Encycloped. l. XXV. Theolog. sect. IV. qui ex Johanne Hallero ideam exhibuit *symphoniae* juris *canonici*, seu *decreti Gratiani* cum Scriptura S. in 35 capitibus.

§. XXII. Succedant *Historici*, sive compilatores, sive autores, fuerunt. Floruit utique celebris iste *Historiae Scholasticae* conditor, qui libris sedecim in compendium redegit libros historicos Vet. et Nov. Test., sed admixtis

histo-

historiis externis, et fabulosis narrationibus, *Petrus Comestor*, seu manducator, quo nomine venit autor, etiam dictus Magister historiae Scholasticae: fuit Trecensis natione, et aliquando Cancellarius Parisiensis: autor haud magni pretii, sed cujus notabile memoratur ex MSS. Gyraldi, ejus discipuli, apud Cave hist. Litter., dictum, *nunquam hostem antiquum in aliquo articulo adeo Ecclesiam Dei circumvenisse, sicut in voti continentiae sacerdotum emissione.* Opinatus quoque est, Mariam sine *peccato conceptam esse*, *ex particula seminis, quae ex Adamo per omnes generationes incorrupta descenderit*; ut Molanus in MSS. Biblioth. sacra ex libro ejus de *laudibus Mariae* observat in Scholiis ad Henricum Gandavensem; in Biblioth. Eccles. Fabricii. Aliorum vero historicorum, sive universalem condiderint historiam, sive hujus illiusve nationis, aut eventus, sive vitas sanctorum conscripserint, nimia est copia, quam ut vel recensere liceat: quare nonnullis illustrioribus ero contentus. Initio seculi Chronicon ex Chronicis composuit ab Orbe Condito ad Henricum I. seu a. 1117., ab anonymo continuatum ad a. 1147., *Florentius Bravonius*, Monachus Wigorniensis in Anglia: quod Matthaeo Westmonasteriensi subnecti solet. Utitur hic autor duplice aera Christi, una Dionysii Exigui, altera secundum Euangelium, easque, quod paradoxum est, 22 annis differre dicit, adeo ut annus 1*mus* aerae Vulg. sit 23*tius* secundum Euangelium. Circa idem tempus scripsit *Hugo*, Floriacensis monachus, in dioecesi Aurelianensi super Ligerin, Chronicon, a Nino Assyriorum Rege usque ad Ludovici Pii obitum a. 840., editum a Rottendorpio, sed mutilum, ultra Constantinum M. non progressum. Sed memorabiles etiam ejus sunt duo libri, *de Regia potestate*, et *sacerdotali dignitate*, publicati a Baluzio Miscell. tom. V.

§. XXIII. Bonis historicis adnumerandus est *Ordericus Vitalis*; Anglus quidem natione, sed qui, in Normanniam ablegatus, vitam fere exegit in coenobio Uticensi, cujus

praecipuas partes ipse recenset ad calcem lib. XIII. historiae suae. Scripsit autem tredecim libros Historiae Eccles. utilissimos, a Christo nato ad a. 1142., inter Scriptores antiquos Normannorum historiae Du Chesne. Sed nemo forte praeferendus *Ottoni Frisingensi*, qui et genere fuit illustris, et vita ac scriptis celeberrimus, historicus laudabilis, ac veritatis studiosus. Ex filia Henrici IV. natus, frater uterinus Conradi III., patruus Frederici Barbarossae, Episcopus Frisingensis, ab a. 1138. Fratrem fuit in expeditione sacra comitatus, et domum redux, abdicato munere Episcopali, monachus Cisterciensis, et Abbas Morimundensis coenobii in Burgundia, defunctus est a. 1158. Scripsit de rebus gestis Frederici, nec non Chronicon ab Orbe Condito ad a. 1146. libris septem, addito octavo de *fine mundi, Antichristo, et extremis.* Edita sunt haec opera, post alios, a Christiano Urstitio inter Historicos Germanos. Sed libri de *gestis* Frederici novissime sunt recusi, collato etiam novo MSS., una cum *Radevico*, ejus etiam temporis, canonico Frisingensi, qui ulterius perduxit, a Muratorio inter Scriptores Italiae tom. VI., ubi etiam comparet utriusque operis continuatio per Ottonem de S. Blasio, nec non alii Scriptores aequales gestorum Frederici in Italia, uti Otto Morena, Sire Raul, seu Radulphus, Mediolanensis, etc. Exstat etiam ibid. tom. VII. Romualdi, Archiepiscopi Salernitani, Chronicon ab O. C. usque ad a. 1178. Vulgavit etiam Muratorius Antiq. Ital. Med. aevi in adpendice tom. IV. *Richardi*, monachi Cluniacensis, chronicon, a temporibus Caroli M. ad a. 1162., quod MSS. exstat ab Orbe condito, lectu non indignum, in primis quoad expeditiones Cruciatas, et nonnulla geographica, hic illic inspersa: subjunctus est etiam catalogus Pontificum Romanorum, a Petro usque ad Hadrianum IV, seu sec. XII. medium. Denique, negligendus non est *Godefridus Viterbiensis*, a patria sic dictus, munere Presbyter, et tribus Inperatoribus, Conrado III., Frederico I., et Henrico VI., a sacris et secretis.

Scripsit,

Scripſit, poſt 40 annorum peregrinationem, *Pantheon*, ſeu Chronicon Univerſale ab O. C. uſque ad a. 1187., dedicatam Urbano III., inter Scriptores German. Piſtorii, ſed pars XVI*ta*, quae incipit cum ſec. IV., recuſa eſt a Muratorio Script. Ital. tom. VII.

§. XXIV. Nationum et rerum particularium Scriptores magnum faciunt numerum. Recenſeamus aliquos, initio a rerum Anglicarum facto. *Henricus Huntindonenſis*, vel Huntingtonenſis, Archidiaconus, hiſtoriam Anglorum ab originibus gentis, in primis Anglorum et Saxonum tranſitu in Britanniam, ſcripſit, uſque ad Stephani Regis mortem, a. 1153., inter Savilii Scriptores rerum Anglicarum. Libellum ejus de *contemtu mundi* publicavit Dacherius in Spicilegio tom. III., *Gulielmus Malmesburienſis*, a coenobio, cujus monachus fuit et Bibliothecarius, ſic dictus, ſcriptor eruditus et fidelis, poſt annum 1143. brevi mortuus, librorum quinque autor eſt, de *geſtis Regum Anglorum*, a primo Saxonum adventu a. 449., uſque ad a. 18*vum* Henrici I., ſeu a. 1127., dein librorum duorum *hiſtoriae novellae*, inde ad a. 1143., denique de geſtis Pontificum Anglorum ad a. 1125., quae omnia opera in collectione Saviliana proſtant. Ejus etiam eſt, ut alia mittam, continuatio hiſtoriae Eccleſiaſt. Bedae, quae inter Scriptores minores rerum Britannicarum etiam comparet. Ceterum carmen jambicum ejus, in hiſtoria ejus l. III. c. 28. obvium, de *corruptione ſui temporis*, omnem meretur animadverſionem. *Gulielmus Neubrigenſis*, alias Novoburgenſis, in Anglia, dictus etiam Gulielmus Litle, ſeu parvus, ex provincia Eboracenſe ortus, exaravit quinque libros, qui valde aeſtimantur, de *rebus Anglicis* ſui temporis, initio facto a Gulielmo Conqueſtore ad a. 1179., praeter tres homilias. Optima vero editio eſt Tomae Hearne 3 vol. in 8*vo*. *Simeon Dunelmenſis*, praeter hiſtoriam Eccleſiae Dunelmenſis, cujus praecentor fuit, quae Turgoti, Prioris Dunelmenſis, eſt compilatio, exaravit hiſtoriae de *Regibus Anglorum et Dacorum* libros duos,

ab a. 731., quo desiit Beda, ad extremum Henrici I. a. 1130. Quam historiam continuavit *Johannes Hexham*, ejusdem aetatis scriptor, sive Hagustaldensis, in dioecesi Dunelmensi. Qui omnes scriptores reperiuntur inter eos Angliae, quos luci exposuerunt Twysden et Seldenus. Denique *Rogerus de Hoveden*, Professor Primarius Theolog. Oxoniensis, annales condidit Anglicanos ab a. 731. ad a. 1202.; qui in collectione Seviliana prostant.

§. XXV. Historicae *Danicae* libros sedecim, ab ipsis primordiis gentis usque ad a. 1186. posteritati reliquit insignis historicus, stilo florido, *Saxo Grammaticus*, a stili elegantia sic dictus, gente Danus, et patria Selandus. Edidit eruditis cum notis, post alios, Stephanes Johannes Stephanius. *Normannorum* historiam condidit *Gulielmus Gemmeticensis* Monachus, inter Scriptores Anglorum, Normann. etc., Cambdeni, et castigatius in Normannis du Chesne. *Slavorum* et Venedorum chronicon composuit *Helmoldus*, presbyter et rector parochiae Bosoviensis in Wagria, discipulus Geroldi, primi Lubecensis Episcopi, et ejus comes in Venedis convertendis. Incipit a Caroli M. tempore, et Saxonum conversione ad Christianam professionem, et perduxit ad a. 1170. Quod opus continuarunt *Arnoldus*, Abbas Lubecensis ad a. 1209., et *Anonymus* Bremensis ad a. 1448. Exstant omnes inter Scriptores Brunsvicenses Leibnizii. Sed Helmoldum ac Arnoldum plenius et integrius edidit, et notis illustravit, Henricus Bangertus, Lubecae. Res *Bohemicas* conscripsit *Cosmas*, Pragensis Decanus, probe ab Episcopo ejus nominis distinguendus; ab a. 1038. ad a. 1125. inter Scriptores Germanicos Menckenii tom. I. Res *Germanicas*, *Francicas* etc., plures tradiderunt, in collectionibus obvii; quos recensere longum foret. Historiam *Siculam* praecipue sub Gulielmo I., dicto *malo*, et II. dicto *bono*, satis eleganter et fideliter dedit *Hugo Falcandus*, autor aequalis, inter Scriptores Ital. Muratorii tom. VII., ubi etiam tom. V. exstat *Falconis* Beneventani Chronicon, barbare quidem, sed exacte, concinnatum.

§. XXVI.

§. XXVI. *Cruciatorum* expeditiones enarrarunt plures, uti, praeter anonymum, *Robertus* Monachus, *Baldricus* Dalenſium Archiepiſcopus, *Raymundus* de Agiles, Canonicus Podienſis, et Capellanus Comitis Toloſani, *Albertus* Aquenſis Canonicus, *Fulcherius* Monachus Carnotenſis, *Gauterius* Cancellarius, *Gulielmus* Tyrius Archiepiſcopus, *Guibertus* ex nobili ſtirpe Gallus Bellovacenſis, Abbas Novigentinus in dioeceſi Laudunenſi ab a. 1104. mortuus a. 1124., qui etiam multa alia ſcripſit, praeter geſta Dei per Francos, in Scripturam S. et contra haereſes, ut de vita ſua etc., quae opera ſunt edita ab Acherio, in Fol., una cum variis additamentis. Fuit quidem vere, pro ſeculi genio, devotus, ſed et valde ſuperſtitioſus, ſtilo horridus. Ceterum praerogativam ſanandi *Scrophas*, ſeu ſtrumas, glandia obdurata circa collum, axillas, et inguina, tactu, *ſuperaddito crucis ſigno*, ut loquitur autor, divinitus, ut putatur, conceſſam Regi Francorum, memoravit lib. I. c. 1. *de pignoribus ſanctorum;* et quidem *primus* ejus meminit, ut Dacherius ad eum locum notavit. Nec illud omittatur, eum ibid. c. 4. morem ſanctorum corpora *aureis vel argenteis conchulis* inſerendi, praeterea e tumulis eruendi, et membratim huc illuc ferendi, valde inprobare. Denique *Jacobus de Vitriaco*, ſed qui eſt ſeculi ſequentis, cujus praefatio ad hiſt. Orient. et Occid. etiam reperitur in Antiq. Lect. Caniſii tom. IV. Hi autores omnes exſtant in libro, cui titulus, *geſta Dei per Francos:* ſed celebriores ſunt Guibertus, et Gulielmus Tyrius. *Bernardi* denique theſaurarii, hujus ſeculi ſcriptoris, hiſtoria *terrae ſanctae recuperatae et amiſſae*, lectu digna, locum tenet inter Italiae Scriptores Muratorii tom. VII. ubi Muratorius in praefatione omnes belli ſacri hiſtoricos recenſet. De quibus etiam vid. A. Miraeus in *auctario* edit. Fabricii.

§. XXVII. Ingens etiam eſt eorum copia, qui vitas ſanctorum deſcripſerunt, major, quam hic enumerari poſſint. Unius hic mentionem faciam *Johannis Saresberienſis*, qui

famofi Tomae Becceti, vel Cantuarienfis, de quo poft, vitam compofuit, fed celebrior eft, et eo nomine cognofcendus, per alia opera, ut Epiftolas, commentar. in Epiftolas Pauli, et in primis per *polycraticum*, feu librum de *nugis curialium, et veftigiis Philofophorum.* In quo de occupationibus vanis, de officiis, virtutibus, et vitiis fecularium, in primis Principum, eleganter differit. Fuit natione Anglus, a patria Sarisberienfis dictus, motibus Tomae Becceti inmixtus, et cum ipfo in exilium pulfus, fed poft feptem annos reverfus. Mortuo vero Toma a. 1172. in Galliam iterum profectus, Epifcopus Carnotenfis in Provincia Senonenfi factus eft, et Synodo Lateranenfi a. 1179. interfuit. Acerrimum quidem Majeftatis Pontificiae fefe praeftitit propugnatorem, fed et vitiorum et abufuum, ipfius quoque aulae Papalis, liberrimum cenforem. Vid. in primis Polycrat. l. VI. c. 24. Inter paradoxas ejus opiniones, in libro *polycrat.* fparfas, eft, Tyrannum licite et debite occidi a quocunque, modo non fit ei juramento obftrictus; Principem porro ab Ecclefia accepiffe gladii ufum, et vim coactivam, adeoque in ejus exercitio miniftrum effe facerdotum, et ab illis dependere, adeo ut poteftate ab iis privari poffit. Ceterum inter epiftolas ejus eft notabilis 172. ad Comitem Henricum, qua libros canonicos V. et N. Teft. recenfet, fecutus Hieronymum. De Tobia, Judith, et libro Maccabaeorum dicit, *eos in canone non effe receptos* — — *quia tamen*, inquit, *fidem et religionem aedificant*, *pie admiffi funt.* Praeterea Paulo adtribuit epiftolam XV*tam* ad Laodicenfes, *licet ab omnibus explofam*, nixus tantum teftimonio Apoftoli Col. IV: 16. Differit quoque de librorum illorum autoribus, et his notabilibus verbis concludit: *fed quae cura eft, fereniffime Domine! has atque alias in inveftigatione autorum difcutere opiniones, cum unum omnium fanctarum fcripturarum conftet effe autorem fpiritum fanctum?* addit, ex Gregorio M. *in moralibus*, *de fcriptore libri poftmodum quaerere pro eodem effe habendum, acfi, cum de fcriptore certum fit, de calamo, quo liber fcriptus eft, dubitetur.*

§. XXVIII.

§. XXVIII. Catalogo ſcriptorum verbo ſubjungi merentur duae, illuſtres viſionibus et ſcriptis, foeminae, Elizabetha et Hildegardis. *Eliſabetha* fuit Abbatiſſa Schoenaugienſis in dioeceſi Trevirenſi, defuncta a. 1168., cujus ſuperſunt *viſionum* libri 5., varie editi. Vitam ejus enarravit frater ejus Ecbertus, Abbas S. Florini Schoenaugienſis. *Hildegardis*, Abbatiſſa in monte S. Roberti in Bingis, ſeu prope Bingiam, in dioeceſi Moguntina, celeberrima fuit ob ſingularem devotionem, et revelationes, ipſi, ut putabatur, conceſſas, adeo ut ex omnibus fere locis ſcriptae ad eam fuerint ab illuſtribus etiam viris litterae, ejuſque revelationum libri adprobati ſint in Synodo Trevirenſi, et ab Eugenio III. Papa, ejuſque ſucceſſoribus. Vid. Albericus ad a. 1141. et Trithemius in Chron. Hirſaugienſe. Exſtant vero ejus *Scivias*, ſeu viſionum libri tres, Epiſtolae, et alia opuſcula. Prophetiam ejus contra Monachos, lectu dignam, recenſet Bzovius in Annal. ad a. 1415.; quam tamen alii fictam putant et ſuppoſititiam.

§. XXIX. Floruerunt itaque *ſtudia*, ut de illorum ſtatu paucis exponam, et circa quaſvis verſata fuerunt ſcientiis, ſed, quod noſtram in primis meretur adtentionem, reſuſcitatum eſt, praeter juris civilis ſtudium, juris Canonici, et Theologiae Scholaſticae jacta ſunt fundamenta. Juris civilis ſtudium, cum per ſex fere ſecula jacuiſſet, primum ſub Barbaris, dein Carolo M., et ſucceſſoribus, revocatum eſt in lucem ab *Irnerio*, ſeu Wernero, primo Juris Anteceſſore in Academia Bononienſe; quam ſolam Juris ſcholam decreviſſe cenſetur Lotharius Inperator; neſcio, num ſatis ſolido fundamento. Vid. Conringius de *origine Juris Germanici* cap. 21. et Muratorius Antiq. Ital. Med. aevi diſſert. XLIV. Occaſionem autem juris Romani inſtaurati praebuit opus Pandectarum inventum in Apulia ſub Lothario II., in excidio urbis Amalphitanae circa a. 1137., ubi Piſani inter alia ſpolia hunc codicem invenerunt, et abſtulerunt, incertum quo in pretio habuerint. Vid. Brenk-

man in historia Pandectarum. Cum vero Pisam occuparent a. 1146. Florentini, eundem codicem secum Florentiam detulerunt: ubi adservatur, et nomen Pandectarum Florentinarum nactus est. Irnerius vero propterea appellatus est *Lucerna juris*, et instaurator Juris Romani. Bononiensem Academiam postea secutae sunt aliae. Utique a. 1196. a Philippo Augusto, Galliae Rege, juris Romani institutio fuit Monpessulum introducta, et seculo sequente a Frederico II. Caesare in scholam Patavinam. *Neque hoc praetermittendum est*, verba sunt Muratorii in Antiquit. Italiae medii aevi dissert. XXII., *quod apud majores nostros, antequam inveheretur per universam Italiam professio juris Romani, et in scholis Bononiensibus, aliisque subsequutis, Romanae leges explicarentur, controversiae sine tot citationibus, protestationibus, exceptionibus, instantiis, contradictoriis, aliisque aeternis fori nodis ac funibus expediebantur. At vix Legulejorum respublica invaluit, et juris Romani sacraria aperta fuere, quum via quoque reserata fuit tricis omnibus, quibus lites tunc temporis obnoxiae sunt, et ob quas interdum perpetuantur.* Ceterum antea, a quo barbari populi in eas partes irruerunt, viguerunt leges Longobardicae, Salicae, Ripuariae, etc. editae ab Heroldo, Lindenbrogio, Wendelino, Goldasto, Baluzio etc., nec non consuetudines, statuta, et leges municipales, quibus deinceps praerogativa est data, adeo ut ad legem Romanam se contulerint, ubi statuta nihil contra decreverunt. Sed una cum juris civilis professione coepit Juris Canonici per Gratianum in schola Bononiensi. Vid. autor vitae Gratiani. Theologiae vero professioni ibi locus non fuit ante seculum XIV., quando eam instituit Innocentius IV., vel celebriorem reddidit.

§ XXX. Praeter Bononiensem scholam floruit hoc sec. *Salernitana* in Sicilia, sed in qua ars Medica in primis tractata est, et quidem in ea sola per Occidentem: unde libellus iste poeticus hoc seculo prodiit de *conservanda valetudine*, in gratiam Roberti, Normannorum Ducis. Postea

vero

vero celeberrimae leges de re medica latae ſunt a Frederico II. Caeſare, ibi docendae. Unde liquet, omnes medicinae partes ibi fuiſſe expoſitas, totamque artem fuiſſe Hippocrateam. Denique ſchola *Pariſienſis*, a tempore Caroli M. inſtituta, deinde in tenebras miſſa, hoc rurſus ſeculo illuſtrata eſt, maxime per Theologicam profeſſionem, quam Anſelmus Laudunenſis, Gulielmus Campellenſis, Petrus Abaelardus, Gilbertus Porretanus, et Petrus Lombardus, maxime ornarunt. In Anglia quoque refloruerunt litterae opera Roberti Polenii, et Henrici II. ac Richardi Regum cura ac protectione. Vid. Cambdenus, qui etiam tradit, *Polenii conatus adeo feliciter ceſſiſſe*, *ut regnante Johanne*, qui a. 1199. incepit, *tria millia ſtudioſorum fuerint Oxoniae.*

§. XXXI. Nondum tamen *jura et privilegia*, in primis reſpectu juriſdictionis, et poteſtatis dandi honores, locum hoc tempore habuerunt, adeoque nec Academiae, ſic proprie dictae, quippe quibus haec privilegia propria ſunt. Fundamenta tantum aliqualis juriſdictionis jecit Fredericus Barbaroſſa, qui, conventu Roncaliis, prope Placentiam in Italia, habito a. 1158., *authenticam*, quae *habita* audit, promulgavit, qua ſcholaribus optionem dat eligendi judicem, vel Dominum loci, vel Epiſcopum, vel *Magiſtros.* Poſtea Fredericus II., Neapolitanam Academiam inſtituens, ita ſanxit: *omnes ſcholares in civilibus ſub eiſdem Doctoribus et Magiſtris debent conveniri.* Exſtat apud Petrum de Vineis Epiſtolarum l. III. De gradibus vero doctoratus, aut eorum inſigniis, nihil hoc ſeculo conſtat, ſed ſequente; de quo ſuo tempore. Vid. Conringius de *Antiquit. Academicis.*

§. XXXII. Theologiae *Scholaſticae*, ut adpellari ſolet, *characteres*, quod ante omnia eſt advertendum, ſunt 1. Patrum colligere ſententias, eaſque cum Scriptura S. principiorum inſtar habere 2. Dialectica et Philoſophica ratiocinia, inprimis ſecundum Ariſtotelis placita, admiſcere doc-

trinae Theologicae 3. Quaeſtiones circa Theologiam proponere et ventilare ſubtiliores 4. Veritates denique in certum ordinem, et ſyſtema aliquod, digerere. Cujus methodi initia ubi ab hoc ſeculo repetuntur, illud non eſt capiendum, acſi ea nunc demum inceperit, ſed quod vulgatior fuerit facta. Plures utique fuerunt antea, qui hac illave in parte viam praeiverunt. 1. In curioſis ſectandis quaeſtionibus, et nectendis ratiociniis, exemplum jam praebuit Auguſtinus; cujus ſententias prae reliquis expreſſit Petrus Lombardus. 2. In Patrum ſententiis colligendis, et certo diſponendis ordine, viam ſtraverunt plures: uti ſec. VII. Iſidorus Hiſpalenſis, Leontius Cyprius, Tajo Caeſar-auguſtanus, qui ex Gregorio M. ſententiarum libros quinque congeſſit: de quo vid. Mabillon. de *ſtudiis monaſticis* p. II. c. 6. dein ſec. VIII. Johannes Damaſcenus. 3. Ariſtotelicae Philoſophiae cum Theologia conjungendae praecipua jecit fundamenta ſec. VI. Boethius, qui ea in re promovenda omne poſuit ſtudium. Sed ſec. XI. Ariſtotelis Philoſophia doceri in primis coepit, ad Arabum methodum, in ſcholis, eaque uſi ſunt Roſcelinus, Petrus Abaelardus, Gilbertus Porretanus, aliique; in Germaniam vero introduxit methodum hanc Scholaſticam Otto Friſingenſis. Praeluxit vero in primis, ſive ſcholaſticorum doctrinae ſubſtantia ſpectetur, ſive ordo, Hildebertus Cenomanenſis in tractatu Theologico; uti quoque obſervavit Beaugendre in monito ei tractatui praemiſſo. Petrus vero Lombardus in primis eſt adjutus a Petro Abaelardo in condendo *ſententiarum* opere. Sed, licet ipſi multi praeiverint, habetur tamen et celebratur *ſcholaſticae* Theologiae conditor, quia ejus opus prae reliquis autoritatem accepit, et celebritatem, ita ut ſyſtematis loco fuerit, quod alii ſunt ſecuti, et in quod commentati ſunt, uti primus fecit Alexander Aleſius, vel de Hales, ſeculo ſeq. Plura qui hac de re velit, adeat Adam. Tribbechovium de *Doctoribus Scholaſticis* etc. edit. Heumanni, qui eruditam praefixit diſſertationem, nec non Jac. To-

masium de scholastica Theologia, in Christ. Tomasii historia *sapientiae et stultitiae* tom. III.

§. XXXIII. *Scholasticae* vero Theologiae nomen haec methodus inde traxit, quod in scholis, a scholarum Magistris, doceretur. Adpellati enim hoc tempore sunt Scholastici, qui Philosophiam docebant et Theologiam, quod scholarum essent Magistri, quodque periti haberentur ac sapientes: addere liceat, quod arte pollerent dialectica, et circa fictas, ac inutiles saepe, quaestiones versarentur: sicut *Scholasticus* Latinis est autoribus, qui in umbra circa fictas hypotheses se occupatum tenet, declamator, qui fictas agit lites. Vid. Casaubonus ad Suetonium de Grammaticis, et ad Capitolinum. Solet denique Scholasticorum aetas statui triplex; *prima* sese non a Lanfranco, ut aliis visum est, cum inter ejus opera nihil tale occurrat, quod systema spirat, sed a Petro Lombardo, usque ad Albertum M., porrigit. Quae aetas censetur purissima, quatenus Patrum sententias magis tenet, quam ratiocinia Philosophiae Aristotelicae; licet ab iis non sit libera. Praeterea nec a variis quaestionibus, aut definitionibus, est inmunis, nec Scripturae S. se adfixam tenet, sed Patrum sententias ei adjungit, quas quoque saepe fideliter non citat, sed truncatas ac interpolatas. De quo vid. Danaeus in elencho libri I. sententiarum Lombardi. Ceterum haec methodus, semel introducta, multum obscuravit veritates Euangelicas, earumque simplicitati, veroque conspectui, haud parum detraxit. Quod quoque judicium de Lombardo tulit, Praeceptorum suorum vestigia secutus, Joh. Aventinus Annal. lib. VI., dicens, Ipsum *sanctissimas veritates coeno quaestionum opinionumque rivulis conturbasse.* Differit etiam de Realibus et Nominalibus, eorumque dissensionibus et pugnis, ibid. paulo ante. Exstat quoque Stephani Tornacensis epist. 251. ad Papam, qua de corrupta Theologia per Scholasticos et Decretales acerbas fundit querelas, tanquam quibus Canones, et sententiae Patrum, evertuntur. Nec defuerunt, qui Lom-

 bardo

bardo graves inputarunt errores: ut in ejus vita narravi.

## DOCTRINA ET FIDES.

§. XXXIV. Retinuerunt quidem Chriſtiani ſumma fidei capita, ut ſemper antea, ſicut ex Centuriatoribus et aliis ſatis conſtat, quare huic rei non inmorabor, attamen haud pauca hoc ſeculo, ſicut antea, addiderunt, quae puritatem aut ſimplicitatem fidei Chriſtianae vel obſcurarunt, vel corruperunt. 1. Patrum ſententias conſiderarunt, tanquam alterum Theologiae principium, Scripturae fere aequandum. De quo ex Petro Lombardo, Scholaſticorum Principe, non tantum conſtat, ſed ex illis quoque, qui de Scholaſticis minus bene ſenſerunt, quippe qui in illis taxarunt, quod Patrum veſtigiis non preſſius inſtiterint: ſicut ex. gr. Stephanus Tornacenſis in epiſt. modo citata; ubi adfirmare non veretur, Patres Scripturam explicuiſſe *eodem ſpiritu, quo dictata eſt;* adeoque eos plane ſufficere. 2. De *Trinitate* dicit Petrus Alphonſus, in *dialogo* contra Judaeos, in ſeculi initio ſcripto, tit. VI. de *Trinitate*, tres Perſonas eſſe *ſubſtantiam, ſapientiam, et voluntatem.* Hugo vero de S. Victore in libro de *conſcientia*, ait, *ſicut in Deo ſunt tres perſonae, Pater, Filius, et Spiritus S., ſic in anima habes tres vires, intellectum, voluntatem, et memoriam.* Petrus quoque Lombardus l. I. diſt. III. humanam mentem pro imagine Trinitatis, licet diſſimili, aliquatenus habet, cum ſit *memoria, intelligentia, voluntas*, quae unam vitam efficiunt. Vid. etiam Honorius Auguſtodunenſis de *cognitione verae vitae*, in adpendice oper. Auguſtini tom. VI. Petrus Blaeſenſis epiſt. 83. ad Soldanum, in qua ſummam fidei exhibet, Trinitatem quoque contulit cum *intelligentia, memoria et voluntate*, quae unam conſtituunt mentem, nec non cum radio, calore, et ſplendore ſolis. Guibertus Abbas de Novigento denique in *tractatu contra Judaeos* cap. X. Filium dicit

eſſe

esse *voluntatem* Patris, sese externe manifestantem, et Spiritum S. esse *virtutem, per quam quae velit queat.* Addit mox, Trinitatem *vocative potius, quam substantialiter, in hoc a nobis seculo dictitari, in quo necessario ad nostram intelligentiam de personis instruendam, per momenta et syllabas, quia aliter non possumus, earum vocabula conjugamus.*

§. XXXV. 3. Doctrinam de satisfactione Christi, et justificatione hominis per fidem, tenuerunt quidem, sed mediis, ac ritibus, quibuscum remissionem peccatorum conjunxerunt, et vitam aeternam, ac operum meritis, multum tribuerunt. Honorius modo citatus, ad Ps. VI., peccata statuit septem modis remitti, per baptismum, martyrium, mundi abrenunciationem, vel eleemosynam, veniam in nos peccantibus, poenitentiae confessionem, lacrymarum fontem, et charitatem. Richardus vero, de *potestate ligandi et solvendi*, tres memorat modos, quibus peccatorum fit purgatio, purgatorium, voluntariam satisfactionem, et baptismum. Petrus Cluniacensis l. I. ep. 2. vitam dicit aeternam acquiri *propriis operibus, praecedente et comitante gratia.* Qualia ubique recurrunt apud scriptores hujus seculi. 4. De libero arbitrio et gratia haec habet Hugo de S. Victore, libro de *conscientia, voluntas hominis est potestas Dei, quia velle hominis in potestate est.* Vid. et Bernardus de *gratia et libero arbitrio.* Honorii, de *praedestinatione et libero arbitrio*, haec sunt verba: *libertas bonum vel malum eligendi est liberum arbitrium, possibilitas autem bonum faciendi ad Dei solius donum adtinet.* Sic et Richardus de *statu hominis interno, arbitrium hominis non idcirco liberum esse dicimus, quia promtum habet bonum facere, sed quia liberum habet bono consentire vel non; potest consentire vel non adspirationi divinae, sed posse facere bonum est a Deo.* Agnoverunt itaque gratiam praevenientem et adjuvantem, sed adsensum reliquerunt homini liberum. De Praedestinatione vero eodem passim modo, quo antea, locuti sunt. Vid. Rupertus de Divin. Offic. l. VI. Lombardus l. I. dist. 6. Honorius dialogo de

Praedestin. et libero arbitrio, in Bibl. M. Patrum vol. XX., ne alios memorem.

§. XXXVI. Inplicuerunt insuper sese variis quaestionibus, in Occidente non tantum, ut ex Scholasticis patet, sed et in Oriente, ubi sub Manuele Comneno nonnullae ortae sunt controversiae, sive ab ipso, ut Nicetas Choniat. Annal. l. VII. tradit, sive ab aliis, ut Joh. Cinnamus hist. l. IV. c. 16. refert, suscitatae. *Prima* fuit, secundum Nicetam, in Chron. et in *thesauro* inedito apud Fabricium Bibl. Gr. vol. VI., num idem Deus incarnatus recte dicatur προσφέρων καὶ προσφερόμενος *offerens et oblatus*. Sed secundum Cinnamum, num unus idemque Filius Dei recte dicatur καὶ θύμα γένεσθαι, και τὴν θυσίαν προσδέχεσθαι *et sacrificium esse et sacrificium suscipere cum Patre:* quod sine dubio verius est, cum prius illud in quaestionem vix mitti possit, idem enim Christus erat victima et offerens. Posterius vero divisionem personarum videri posset, si adfirmaretur, involvere, quod Basilio Diacono, qui id protulerat, etiam objectum est, teste Cinnamo. Accedit, aliam apud Nicetam habere lectionem, pro προσφερεσθαι *offerri* verbum προσδέχεσθαι *suscipere*, quod videtur rectius. Sed vid. tamen confessio Michaelis Thessalonicensis, ejusdem erroris accusati, apud Leonem Allat. de Cons. etc. l. II. c. 12. De quo quicquid sit, ingentes motus dedit controversia, et Basilii opinio damnata est, ipseque cum fautoribus loco motus.

§. XXXVII. *Secunda* fuit de sensu dicti Christi apud Johannem *Pater me major est*, a Demetrio quodam Lampeno in medium producta, qui dici nolebat, eundem esse *minorem, qui Patri aequalis est.* Inperator vero, cum variae proferebantur interpretationes, quarum aliae Divinae, aliae humanae, Christi naturae, aliae Divinae propter incarnationem et summam humiliationem illud Christo adplicabant, definivisse traditur, intelligendum esse κατα τὴν ἐν αὐτῷ κτιστὴν καὶ παθητὴν σάρκα *secundum carnem in eo creatam et passi-*

*passibilem*. Vid. Cinnamus l. VI. c. 2. et Nicetas Annal. l. cit., et in thesauro modo citato. Refert insuper Nicetas, quod singulare est, et genium seculi manifestat, hoc decretum *rubra scriptura*, tanquam ense flammeo, esse munitum, quo mortem et excommunicationem minitabantur dissentientibus; praeterea tabulis lapideis insculptum in Templo maximo esse dedicatum. Quo non obstante multis haec definitio displicuit, qui suspicabantur, ipsi Verbo Dei, media carne, minoritatem illam tribui, ut habet Nicetas, qui illam definitionem eo nomine carpit, quod Filio incarnato minus tribuat quam Patri, cum Filius, naturam humanam adsumens, propterea non fuerit minor factus, potius naturam eam deificaverit, et sua gloria per unionem ornaverit. Tradit quoque Cinnamus, nonnullos dissentientes fuisse excommunicatos, seu anathemati subjectos, alios ex Ecclesiasticis catalogis deletos. Longe hac parte moderatior et prudentior fuit Andronicus Comnenus, luxuriosus, libidinosus, et saevus quidem Inperator, sed de regno, ejusque reformatione, optime meritus, studiorum etiam et eorum professorum aestimator egregius, qui disputationes curiosas de fidei et religionis quaesitis, in specie etiam de hac ipsa quaestione, severe damnavit et prohibuit, ut Nicetas lib. I. refert.

§. XXXVIII. *Tertia* fuit, num in tabulis Catecheticis Christianorum anathema recte pronuncietur in Deum Muhammedis, *nec generantem nec genitum*, sed ὁλόσφυρον. Inperator Manuel illud voluit expunctum, tanquam vero Deo injuriosum, cum veri sit Dei epitheton, et Muhammedanis invidiosum, et scandalum ejusmodi anathema; repugnantibus Antistitibus. Tandem, sententia commodius explicita, in id consenserunt, anathema non Deo Muhammedis, sed ipsi, ejusque doctrinae, esse dicendum. Quod, ut rectius intelligatur, sciendum est, symbolum fidei Muhammedanae, inter alia, habere, *dicito, ille Deus unus Deus Azzamado, qui nec gignit, nec gignitur, nec ipsi est similis quisquam*; ut est in

Alcorano Sur. 110. Quam vocem, ab Arabibus varie explicitam, Graeci reddiderunt ὁλόσφυρον *solidum totum*, non conflatum, sed ductum malleo, adeoque non ex partibus compositum, aut divisibile: quod voci Arab. *azzamado* non male respondet, quae etiam *soliditatem* denotat, imo *durum silicem:* qua voce *generationi* Filii Dei, a Christianis creditae, contradicere voluerunt. Sed cum ipsi Christiani, Deum esse quid solidum et indivisibile quoque profiteantur, salva generatione Divina, naturae Dei convenienter intellecta, potuerunt utique ab anathemate abstinere.

§. XXXIX. *Quarta* quaestio, sub Georgio Xiphilino, Patriarcha, ejusque successore Johanne Camatero, inperante Alexio IV. Angelo, sub finem seculi nata, versata fuit circa *corruptibilitatem* an *incorruptibilitatem* corporis Christi in Eucharistia. Alii enim statuebant, Christi corpus esse in *pane*, sicut fuit in passione, cum resurrectionis signum non sit in hoc mysterio, sed *sacrificium* sit, adeoque corruptibile, καὶ ἄνουν καὶ ἄψυχον *mente et anima cassum*, cum dentibus scindatur, et molatur. Sed alii tenuerunt *vivificum et incorruptibile* corpus, ut post resurrectionem fuit, esse in Eucharistia. Vid. Niceta in Alexio Comneno l. III. c. 3. Interea non nova erat opinio de corruptibili corpore Christi in eucharistia, cum ea jam usi fuerint nonnulli in Monophysitis *aphtardocetis* refutandis; sicut fecit Anastasius Sinaita apud Le Quien oper. Damascen. tom. I. p. 654. Sed cum priores fuerint hoc sec. damnati, ea opinio sensim obsolevit. Quae quaestio cum nos ad Graecorum opinionem investigandam ducat de *praesentia* Christi in Eucharistia; eam hic exponere visum est.

§. XL. Monumenta Graecorum, ex quibus fides eorum hac parte petenda est, quae exstant, sunt 1. Nicolai Methonensis libellus de *corpore et sanguine Christi*, in Auctario Duceano, et in Antiquis Liturgiis edit. Paris. 2. Zonarae epistola 32. in notis Vulcanii ad libr. Cyrilli Alexandrini Oper. tom. VI. 3. Euthymii Zigabeni Comment.

ad

ad Euangel., in Bibl. M. Patrum tom. XIX. Ex quibus manifestum est, Graecos a Patrum sententia non descivisse, nec cum Latinis substantialem panis in corpus Christi mutationem statuisse. 1. Autores citati nusquam verbo μετουσιουσθαι *transubstantiari* utuntur, sed μεταβαλλεσθαι *transmutari*. 2. Comparatio cum corpore Christi, unito Divinitati, qua Euthymius, et Zonaras, utuntur, idem evincit. Verba Euthymii haec sunt, cap LXIV. de *coena mystica*: *quemadmodum Dominus supernaturaliter adsumtam carnem Deificavit; ita et haec ineffabiliter transmutat in ipsum vivificum corpus suum, et in ipsum pretiosum sanguinem suum, et in gratiam ipsorum. Habent enim similitudinem quandam, panis ad corpus, vinum ad sanguinem.* etc. Zonaras vero dicit, quemadmodum corpus mortuum per Divinitatem conservatum est, ne penitus corrumpatur, sed, ut resuscitetur, sic et panem non corrumpi, sed animae essentiae adscribi. 3. Nicolaus Methonensis diserte adserit, Christum panem fecisse corpus suum, *conjuncta cum eo Divinitate sua.* Negat quidem, panem adpellari debere *typum* corporis Christi, quia est ipsum corpus, sed ita, sicut caro est ipsius corpus per Divinitatis unionem, salva natura carnis. 4. Sic et ibid. apud Nicetam dicitur, *divinorum mysteriorum efficaciam perfici per Dei adorationem et invocationem, et gratiae coelestis descensum.* De baptismo Simeon Junior Theologus, presbyter, et Praepositus S. Martyris Mamantis ad Xilocerium CP., qui hujus censetur seculi, et cujus opuscula Latine prostant in Bibl. M. Patrum tom. XXII., bonae frugis, quoad pietatem, plena, dixit Orat. IV., Deum, ut regeneremur, ad nos venire, ut *nos primum aqua, Spiritu S. mixta, ac temperata, lavet, dein mundus ipse super mundatos regnet.* Denique quaestio inter Graecos, modo memorata, non fuit de ipso corpore Christi, num in eucharistia frangeretur, et corrumperetur, nec ne? Sed de elementis, num vere corrumperentur, an manerent incorruptibilia? Qui corruptionem defenderunt, ad Christi corpus, in cruce fractum, pro-

vocarunt, cui panem voluerunt adſociari, mediante Divinitate: ſed alii ad Chriſti corpus reſuſcitatum et vivificum retulerunt. Quae inanis erat quaeſtio, facile componenda, ut fecit Zonaras, l. cit., ſtatuendo, panem et corrumpi, et non corrumpi, quod utrumque verum erat ex eorum opinione. Corrumpitur enim quatenus comeditur et frangitur, manet quoque incorruptibilis, quatenus comeſtus ad incorruptibilitatem cenſebatur procedere, et animae eſſentiae adſcribebatur: ut Joh. Damaſceni habuit opinio, a Zonara citata. Cum autem Zonaras illud ex ipſo Chriſti corpore, et mortuo et reſuſcitato, illuſtret, manifeſtum eſt, non fuiſſe de ipſo ſubſtantiali corpore Chriſti actum, ſed de corpore Chriſti in pane euchariſtico, eo, quo dixi, ſenſu, ſeu de pane, Chriſti corpori, per divinitatis unionem, adſociato. Vid. etiam verba Iſidori Peluſiotae apud Mich. Glycam epiſt. 84. apud Le Quien ad Damaſcenum l. cit. Nec, qui corruptibilitatem tenuerunt, adeo potuerunt ineptire, ut ipſum Chriſti corpus reſuſcitatum nunc vere frangi et corrumpi poſſe cenſuerint. Porro, qui panem cum corruptibili corpore Chriſti mortuo adſociari dicebant, illi, pane diviſo, ſtatuebant, *partes* corporis participari a communicantibus, hoc eſt, partes panis cum partibus corporis ſociatas. Sed, qui Chriſti corpus reſuſcitatum intelligebant, illi totum illud in ſingulis partibus eſſe dicebant, non *ſubſtantialiter*, ſed *virtualiter*, ſicut unum ſigillum totum ſe plurimis ceris inprimit, ita etiam unum Chriſti corpus multis panibus, tanquam ἀντιθύποις ἐντιθέμενον *virtutes* ſuas inprimere ipſis: ut verba habent apud Nicetam. Fractionem itaque ad elementa tantum, non ad corpus Chriſti pertinere ſtatuerunt, ſive eſſe diviſionem tantum τῶν αἰσθητῶν συμβεβηκότων *ſenſibilium accidentium*, ut, licet minus commode, ſeſe exprimit Samonas Gazenſis, qui hoc vel ſuperiore ſeculo floruit: cujus dialogus cum Saraceno quoque reperitur in Liturgiarum editione, modo laudata: niſi forte hic autor propius ad Latinorum adceſſerit tranſubſtantiationem. De

quo

quo disputare nolim. Ceterum eandem, quam Graeci, tenuit inter Syro-Jacobitas opinionem Barsalibaeus. De quo postea suo loco.

§. XLI. Latinorum communis mansit opinio de substantiali panis et vini mutatione, et altiores indies egit radices, ita ut contraria pro haeresi jam fuerit habita: de quo postea. Censetur etiam hoc seculo ipsa monstrosa vox *transsubstantiationis* nata. Usus utique ea est Stephanus Aeduensis, vel Augustodunensis, Episcopus, sive ille, qui ab a. 1113. sedit, sive qui ab a. 1170. praefuit, autor libri de *sacramento altaris* in Bibl. Patrum, ubi c. 13. dicitur, *oblationem panis et vini transsubstantiari in corpus et sanguinem Christi.* Sed vid. supra dicta in vita Petri Blaesensis. Catholicam fidem de eucharistia egregie et moderate exposuit Petrus, Cellensis primum, dein S. Remigii Rhemensis, Abbas, denique Episcopus Carnotensis, in *sermone* VII. in *coena Domini* in Bibl. M. Patr. tom. XXIII., ubi, inter alia, dicit, 1. verbis Christi, *hoc est corpus meum* etc. pronunciatis, *ex pane fieri corpus Christi, et ex vino cum aqua sanguinem. Cetera omnia*, addit, *quae ante vel post fiunt, et dicuntur, laudes sunt Christi, et orationes*, 2. *sacramentum adpellari visibilem speciem panis et vini, sed rem contentam et significatam carnem Christi, aut rem significatam et non contentam, unitatem Ecclesiae in praedestinatis, vocatis et justificatis.* 3. *Modum manducandi esse duplicem*, alterum *sacramentalem*, *quo boni et mali manducant corpus Christi, sed boni ad salutem, mali ad damnationem;* alterum *spiritualem*, *quo non nisi boni manducant, quod est*, inquit, *credere in Deum, et manere in Deo per sanctitatem vitae et unitatem fidei.* 4. Quoad conversionem substantiae panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi, *certo certius esse credendum*, licet panis et vinum post consecrationem videatur, *nec panem nec vinum ibi esse, nisi forte panem Angelorum, quia dicitur, panem Angelorum manducavit homo.* 5. *Fractionem esse mysticam, in forma scilicet panis, et magis fide credendam, quam verbis discutiendam*, 6. respectu

*quotidianae inmolationis, utrum Christus inmoletur substantialiter, an in mysterio?* respondit, *semel inmolatus est Christus morte passionis, cotidie memoria et recordatione ejusdem inmolationis*, 7. eucharistiam ab eo esse sumendam, *qui non est in peccatis gravioribus, vel in affectu peccandi, ad minus ter in anno, et melius per singulas Dominicas, aut cotidie.* 8. Peccatorem sacerdotem aut haereticum, *dum intus est, nomine conficere sacramenta, sed non vita, quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris, et nihil a bono majus, nihil a malo minus, percipitur, haereticum vero, quia extra Ecclesiam est, non conficere.* Subjungit denique, *sufficiant haec fidei verae de sacramento corporis et sanguinis Domini, quia non est bonum mel multum comedere, ne satiatus evomas illud.* Praeterea et ipse usus est ibid. serm. VIII. in fin. voce *transsubstantiationis*, sed singulare est, quod mox addat, *in hac coena infirmitati nostrae consuluit* Jesus, *visibile sacramentum ostendendo, et fidem instruxit super his speciebus panis et vini virtutem deificando.* Quod prope abest a Bertrami et Veterum sententia.

§. XLII. Utique non defuerunt, qui Bertrami, et antiquorum Patrum, vestigiis institerunt, absque ut iis hoc vitio fuerit versum. Inter quos eminet Rupertus Tuitiensis; de quo supra egi. Ipse Veterum de Inpanatione sententiam adeo clare exposuit, ut nemo melius. Divinam Christi naturam dicit corpus in unitatem personae adsumsisse, salva corporis natura; et sic plane panem et vinum, salva eorum substantia: praeterea panem esse non tantum corpus Christi, sicut est caro a Maria adsumta, sed idem corpus, quod a Maria erat, et cruci adfixum est, non per substantiae mutationem, sed vi divinae naturae, cum utroque unitae, et per adsociationem panis cum illo corpore, ita ut, quemadmodum Deus et homo una sunt in Christo persona, sic et corpus et panis unum in Christo corpus etc. Vid. lib. II. de *officiis* cap. 2, 9. in Exod. l. II. c. 10. in Johann. l. 6, 7. et alibi. Conf. etiam Alixius in praef. ad libellum Johannis Parisiensis, de *modo existendi corporis Christi in S. coena.*

*coena.* Mirari itaque ſubit, fuiſſe inter Catholico-Romanos, qui eum obtorto collo ad patrocinium Tranſubſt. trahere voluerunt, ut Gabriel Gerbero, aſceta Benedictinus, in apologia pro Ruperto, ipſe etiam Natalis Alexander ad hoc ſec. Candidiores ſunt eorum alii, ut Bellarminus de ſcriptoribus Eccleſ., et de euchariſtia l. III. c. 11, et 15.

§. XLIII. Eandem quoque ſententiam fovit *Honorius*, Auguſtodunenſis Presbyter, et ſcholaſticus, qui claruit circa a. 1130., ſcripſitque, praeter librum de *Scriptoribus Eccleſiaſticis*, et alia opuſcula, dialogum de praedeſtinatione et libero arbitrio, ac *gemmam animae*, ſeu de *officio Miſſae*, ejuſque caerimoniis. Quae opuſcula partim exſtant in Bibl. Patr., partim in *anecdotis* Pezii. Eſt quoque ejus tractatus de *cognitione verae vitae*, in adpendice Oper. Auguſtini tom. VI. Hic autor in libro de *officio Miſſae* ſaepe quidem dicit, *panem in carnem converti, et vinum in ſanguinem tranſire, idque omnipotente Dei juſſu, ſed ſacramentum, quod ore percipitur in alimentum corporis redigi, virtutem autem ſacramenti eſſe, qua interior homo ſatiatur, et vita aeterna confertur.* Sic et *myſterium* vocari, ubi *aliud videtur, aliud intelligitur, ſpeciem panis et vini cerni, corpus Chriſti et ſanguinem credi.* Quod in Bertrami opinionem exacte quadrat. Trahi etiam eo poſſet, quod Odo, Cameracenſis Epiſcopus in initio ſeculi, in *ſacri canonis expoſitione*, in Bibl. M. Patrum vol. XXI. diſputat, ubi haec occurrunt notabilia verba. *Haec autem hoſtia*, oppoſite ad carnales V. T. victimas, *pura eſt, quia, quamvis caro vera ſit et ſanguis, tamen ſpiritualis eſt et incorrupta, dividitur et conſumi non poteſt: conſumitur et incorrupta manet, teritur et eſt illaeſa, frangitur et integra eſt. Haec hoſtia caro eſt, non carnalis, ſed incontaminata lux, et ideo pura: corpus eſt et non corporalis, ſed ſpirituale lumen, et ideo pura pura mundans, pura purificans, pura quia divina, purior luce corporea*, etc. Sed poſſunt etiam haec ad Chriſti corpus incorruptibile et inmortale, quale glorificatum eſt poſt reſurrectionem et

 adſcenſum

adscensum in coelum, transferri, adeo ut corpus Christi spirituale, et non carnale, ex Maria natum, in pane et vino adesse statuerit. Quam singularem opinionem manifeste fovit Algerus, Scholasticus Leodiensis, et postea Monachus Cluniacensis, qui circa a 1130. floruit, in libro de sacramento *corporis* et *sanguinis Domini*, in Bibl. M. Patrum vol. XXI. lib. I. cap. 9., ubi tradit, Christum ante passionem, licet corpus habuerit naturae passionibus obnoxium, tradidisse tamen Apostolis in sacra coena incorruptibile et inmortale suum corpus, *sicut datur nobis hodie.* Quod ab omnipotentia ejus etiam repetit. Vid. etiam Ivo Carnotensis epist. 287. Quae et eo nomine notabilis est, quod dicat, *nos sic inmolatum Christum manducare et bibere, ut integrum eum ad dextram Patris manere credamus: et cum semel in distinctione membrorum suorum, in manifestatione corporis sui, se obtulerit hostiam viventem, passibilem, et mortalem, cotidie tamen sub velamento panis et vini a sancta Ecclesia inmolatur, et non in partes scissum, neque cruentum corpus ejus, fidelium ore percipitur.* etc. Ceterum Berengarii sententiam tenuit Folmarus, Praepositus *Triessensteinii*, seu petrae stillantis in Franconia, sed postea revocavit. Exstant ejus epistolae in Bibl. Patrum. Tradit quoque Ivo Carnotensis epist. 262., suo adhuc tempore *multos infirmos*, ut eos adpellat, *scandalizari, quomodo sub specie elementorum sumatur corpus et sanguis Christi, cum sensus humani nihil aliud renuncient, nisi colorem et saporem panis et vini.* Denique Scholasticorum dubitationes, variasque opiniones, de modo conversionis panis et vini in corpus et sanguinem Christi exhibuit aliquas Petrus Alixius in praef. ad libellum Fr. Johannis *de modo existendi corporis* etc. Agitata quoque fuit quaestio de *accidentibus* panis et vini, ubi sint, vel cui inhaereant subjecto, post substantiam eorum deletam, et in corpus ac sanguinem commutatam. Petro Abaelardo fuit a Gulielmo, Abbate S. Theodorici, inputatum, accidentia illa esse in aëre circumstante; ipse autem Gulielmus opi-

natus

natus eſt, ea in ipſo corpore et ſanguine Chriſti ſupereſſe, ita ut, quae antea fuerunt panis et vini, nunc ſint ipſius corporis et ſanguinis accidentia. Vid. diſputat. ejus cap. 9. Denique Tomas Aquinas poſtea utramque hanc opinionem refutavit, p. III. quaeſt. 77., et ſtatuit, accidentia ea in nullo eſſe ſubjecto. Quae ſententia poſtea invaluit.

## CULTUS.

§. XLIV. Adſcendit ſuperſtitio circa ſanctorum et reliquiarum cultum, et obſervantiam, hoc ſeculo ſummum fere culmen, canonizationes quoque nullum tenuerunt modum. 1. Valde ſuperſtitioſa ſunt, quae de Maria habet Bernardus ſerm. II. de *adventu Domini* Oper. p. 729., et Petrus Abbas Cellenſis, in *ſermonibus* in Annunciatione Dominica, et l. VI. ep. 23., Guibertus Abbas Novigentinus in lib. de *laudibus Mariae*, qui ètiam cap. X. multa ſui aevi miracula per ipſam patrata refert, et in apoſtrophe ad ipſam, ac rythmo, valde ſuperſtitioſus eſt, ut et Goffridus Vindocinenſis Abbas ſerm. 8. Oper. Sirmondi tom. III., qui, inter alia, dicere non fuit veritus, Mariam ſuis precibus inpetrare quicquid oraverit, potuiſſe quoque, ſi vellet, totum mundum ſalvare; imo, non orare ſimpliciter, ſed *quodam matris inperio jubere poſſe:* rurſus, ipſam poſt Deum ſupra omnes creaturas obtinere principatum. Profert etiam exemplum, ſuperſtitionis pleniſſimum, quod apud Ipſum legi malim. Arnoldus Carnotenſis, Abbas Bonaevallis, Bernardi familiaris, inter alia opuſcula, ut *de ultimis verbis Domini in cruce*, *de operibus* Chriſti, inter opera Cypriani etc., ſcripſit de *laudibus Mariae* in Bibl. M. Patrum tom. XXII., ubi incipit, *ſi linguis hominum loquar et Angelorum, nihil proprie de ſanctae ac perpetuae virginis, matris Chriſti Mariae, gloria eloqui poſſem.* Dein paulo poſt dicit, Mariam ad *tantum beatitatis cumulum perveniſſe, ut cum Chriſto communem in ſalute mundi effectum obtineat, et a dextris ejus*

*regnans in coeleſtibus, circumamicta varietatibus, in deaurato veſtitu aſſiſtat.* Denique, ne plura proferam, adſerit in fine tractatus, illam in coelum eſſe adſumtam, ſed *utrum in corpore, an ſine corpore,* dicit, *nullius canonicae ſcripturae definiviſſe autoritatem,* attamen hoc certum eſſe, *quod ibi eſt, ubi tam ipſa, quam Filius, vultui Dei aſſiſtunt, pro nobis miſericordiam poſtulantes, non judicium, et obtinentes omni poenitenti remiſſionem peccatorum.* Anno 1129. plaga ignis divini Carnotum, Pariſios, Sueſſionem, Cameracum, Atrebatum, et alia multa loca, mirabiliter pervadens, per ſanctam Dei Genitricem Mariam mirabilius extincta eſt, hominibus ea lue laborantibus per eam ſanatis, ut pluribus prolatis exemplis enarravit Anſelmus Gemblacenſis in Chron., inter ſcriptores German. Struvii tom. I. Bruxellis in Templo S. Nicolai a. 1152. innumera meritis Mariae patrata narrantur *miracula* in auctario Affligemenſi inter ſcript. German. Struvii tom. I. Johannes Comnenus currum Inperatorium in feſto aliquo triumphali non ipſe conſcendit, ſed *Dei genitricis imaginem* in eo collocavit, cui victorias, ὡς συστρατηγέτιδι ἀμάχῳ *collegae inperii invictae acceptas ferebat,* ut inquit Nicetas Choniat. in Johanne Comneno cap. 5. Quod ante ipſum quoque fecerat Joh. Zimitzes, devictis Bulgaris, ut Ducangius ad Cinnamum notavit. Iſaacius quoque Angelus *Dei genitricem* tanta veneratione coluit, inquit idem Hiſtoricus in Ipſo l. III. c. 7., *ut ad ejus imagines animo pene linqueretur,* plurimasque imagines in fanis *auro, et gemmis ornatas, adorandi cauſa dedicaverit.* 2. In ſanctis magnificis ornandis elogiis, invocandis, eorumque interceſſionibus fidendo, omnes fere tranſierunt limites: ſicut et in reliquiis conquirendis, tranſportandis, honorandis, viſitandis. Exempla qui velit, adeat Baronium, et affatim inveniet. Reliquiarum inmenſus exſtat catalogus in brevi narratione monaſterii Windbergenſis in Bavaria apud Caniſium Antiq. Lect. tom. III. p. II. De portione ſanguinis Chriſti ab Oriente adlata, ut et de ſanguine Dominico ſeculo ſuperiore

reperto

reperto apud Mantuam, vid. Hermannus Contractus ad a. 1048. *Tunica* quoque vel *cappa inconsutilis* Christi, quam mater ipsi adhuc puero fecit, in monasterio pagi Pariensis revelatione Divina narratur reperta, referente Roberto de Monte in adpendice Sigeberti ad a. 1157., et Matthaeo Parisiensi a. 1156. Trium *Magorum* corpora, antea Mediolanum, nunc Coloniam, adhuc integra, sunt transportata. Vid. adpendix Mariani Scoti, et J. Aventinus Annal. Boj. l. VI. Factum illud est jussu Frederici Barbarossae, a quo illud precibus inpetravit Rainoldus Archiepiscopus Coloniensis, ut etiam refertur *in fasciculo temporum* Rolewincki *aetat.* VI., et in Chronico Magno Belgico a. 1159— ubi additur, *ab illo tempore coepisse Coloniam magis proficere in fama et gloria, ita ut usque hodie sanctorum Regum odore attracti et illecti, ex insulis maris, et diversis regionibus fideles illuc confluere non desinant.* Quanto autem populi confluxu, et adparatu, simul devotione, celebratae fuerint ejusmodi translationes, etiam de uno in alterum Templum, luculenter constat ex historia translationis corporis S. Geminiani, Mutinensium Episcopi, et patroni, ante septem vel octo secula defuncti, dedicationisque altaris illius, a. 1106., autoris anonymi, sed coaevi, qui praesens adfuit, edita a Muratorio inter *rerum Italicarum Scriptores*, tom. VI. Vid. etiam Chron. Cassinens. l. IV. c. 73. de *brachio* Matthaei Euangelistae, Benevento in Monasterium Cassinense translato; ubi etiam traditur, Monachos illos *terrae prostratos sanctum Euangelistam adorasse, surgentesque cum maxima reverentia deosculasse, et cum hymnis et laudibus in monasterium introduxisse.* etc. Michael quoque Comnenus *lapidem sacrum, qui jam pridem Ephesi fuerat, Byzantium magnifice et magna cum pompa transtulit;* ut inquit Cinnamus Hist. l. VI. c. 8., qui *lapidem* fuisse refert, in quo mater Christi ejus corpus de cruce sumtum deposuit supinum, et in quem et ipsa procumbens acerbe ploravit, ita ut lacrymae ejus, in lapidem decidentes, in hunc usque diem, inquit, *manserint*

*indelebiles.* Addit, Mariam Magdalenam lapidem Romam voluiſſe deportare, ad Pilatum et Judaeos coram Tiberio accuſandos, ſed forte quadam Epheſum delatam ibi eum reliquiſſe. Alia mitto, ex Baronio repetenda. 3. Moris maxime etiam fuit, dogmata vel opiniones confirmare miraculis, quibus certarunt pro purgatorio, tranſubſtantiatione, reliquiarum cultu, et ſimilibus. Vid. Hottinger. hiſt. Eccleſ. hujus ſeculi. Clericus aliquis, ut illud unum ſatis ſingulare adducam, Lauduni, cum Judaeo de Jeſu Chriſto diſputans, nec *ventoſitati ejus reſiſtere valens*, *in nomine*, inquit, *Jeſu Domini titionem flammantem ea parte*, *qua ardet*, *adprehendam nuda manu*, *et extra oſtium domus efferam.* Quo facto, conſentiente Judaeo, illaeſa manu, miratus quidem eſt Judaeus, ſed *ad fidem miraculo non pulſatus.* Ita narrat Guibertus *in tractatu contra Judaeos* in fin., ex relatione alicujus Judaei, ibi praeſentis, dicitque, iſtud omni *conflictatione verborum* fuiſſe potentius aeſtimatum. Singulare quoque eſt oſtentum, quod in pane euchariſtico prope Erfurdiam in partibus Turingiae adparuit, fuſe ab Arnoldo Lubecenſe Chron. Slavorum lib. IV. c. 14. narratum, et ibi legendum. Quod de credulo et ſuperſtitioſo ſeculi genio teſtatur. Narrat quoque cap. 25., Judaeum, cum ex imagine Chriſti cerea, a Judaeis crucifixa, ut ſingulis annis facere ſolebant, *ſanguinem et aquam exiviſſe* vidiſſet, fuiſſe ad Chriſtianiſmum converſum. Denique Bernardum Claraev. miraculoſis ſanationibus fuiſſe celebrem in convertendis Henricianis, narrat Gofred. in ejus vita l. III., ubi inter alia refert, ipſum panibus, quos fideles ipſi obtulerant, *elevata manu*, *et ſigno crucis edito*, *in Dei nomine benedixiſſe*, his additis verbis, *in hoc ſciatis vera eſſe*, *quae a nobis*, *falſa*, *quae ab haereticis ſuadentur*, *ſi infirmi veſtri*, *guſtatis panibus iſtis*, *adepti fuerint ſanitatem* etc. Miraculoſam ſanationem Alexii Comneni per *ſacroſanctum velum*, *ante imaginem Chriſti*, in chalce CPoli erectam, expanſum, corpori ejus adplicitum memorat Zonaras l. XVIII: 25. Interea,

terea,

terea, *ſupra homines hujus temporis eſſe patrare miraculum*, inquit Petrus Cellenſis Abbas l. I. ep. 8. Mitto etiam viſiones, hoc ſeculo frequentiſſimas, uti Eliſabethae et Hildegardis, quarum ſupra memini. Mirabilem quoque viſionem Monachi alicujus de Evesham, de poenis infernalibus et purgatoriis, deque beatorum felicitate, fuſius enarrat Matth. Pariſ. hiſt. Angl. a. 1196. p. 153., autor credulus, et ſuperſtitioſus nimis, viſionum et miraculorum ſedulus narrator. 4. Canonizationes adeo fuerunt vulgatae, ut Papae eas ſibi coeperint reſervare, ut in Alexandro III. videbimus: qui ſanctorum numerum valde auxit, Toma Cantuarienſi, Bernardo Claraevallenſi, aliiſque, canonizatis. Sed Carolus M. illum honorem nactus eſt ab Antipapa Paſchali, et ita ejus cultus tacite irrepſit: cujus officium exſtat in Antiq. Lect. Caniſii tom. III. p. II.

§. XLV. De *partibus* cultus brevi defungar; cum ſeculum parum ſuppeditet. *Baptiſmus* per inmerſionem quomodo adminiſtratus fuerit, egregie diſcitur ex vita Ottonis, Pomeranorum Apoſtoli, apud Caniſium in Ant. Lect. tom. III. p. II., unde etiam alia peti poſſunt de ſeptem ſacramentis, eorumque natura, et efficacia. Quod vero ad *Euchariſtiam* adtinet 1. Loco panis et vini fuerunt a fidelibus oblati *denarii* in quibuſvis miſſis. Vid. Honorius Auguſtodun. in *gemma animae* l. I. Quod antea jam ſec. IX. in miſſis privatis tantum locum habuit. 2. *Fractio* panis, quae ſeculo praecedente, teſtibus Humberto et Lanfranco, adhuc obtinuit, videtur hoc ſeculo in deſuetudinem veniſſe, minutiſſimis illis oblatis azymis introductis, ne mica corporis Chriſti periret. Vid. Dallaeus de Cult. Latin. l. III. c. 25. 3. *Adoratio* panis conſecrati jam quoque invaluit. De qua praeceptum exſtat in Odonis Pariſienſis *Conſtitutionibus Epiſcopalibus* a. 1199., in haec verba, *frequenter moneantur laici, ut, ubicunque viderint deferri corpus Domini, ſtatim genua flectant, tanquam Domino et creatori ſuo, et, junctis manibus, quoad tranſierit, orent.* Quae adoratio non eſt in

in sola transsubstantione fundata, sed et in unione divinae naturae cum elementis, adeo ut, salva panis et vini substantia, etiam superstitiose admitti potuerit. Denique 4. in Synodo Eboracensi ab Hugone Cantuariensi Archiepiscopo, et Legato Papae, celebrata, a. 1191., sancitum est, *ut hostia in pyxide munda reservetur, et singulis Dominicis renovetur*, quoties vero communio infirmis esset exhibenda, ut sacerdos *in clericali habitu hostiam deferat, lumine praecedente*. Vid. Roger. de Hoveden in Richardo I. 5. In genere notetur, sacramenta, proprie dicta, a Petro Lombardo ad septenarium numerum redacta, hoc seculo ab Eugenio Papa fuisse sancita, et catalogo articulorum fidei inserta, ut ex *instructionibus* ejus, Armenis datis, liquet.

## REGIMEN ET DISCIPLINA.

§. XLVI. Urbano successit *Paschalis* II., antea Rainerius, seu Ragingerius, Cardinalis Presbyter, a. 1099., Gregorii VII. discipulus et sectator, ac haeresios Hildebrandinae strenuus defensor et promotor, qui nomen suum haud una ratione reddidit celeberrimum et formidabile. Refertur Pontificatum suscepisse invitus, nec nisi postquam adclamatum esset, *Paschalem Papam S. Petrus elegit*, ut Pandulphus Pisanus, autor *vitae* ejus, a Baronio sub *anonymi* nomine citatus, ut Pagi ad a. 1100. probat, (Petrum Pisanum autorem vitae fuisse censet Papebrochius in *conatu* Hist. Chron., ubi etiam ex Mss. reperitur,) refert: qui etiam addit, electionem ejus jam ante fuisse Alberto, Aletrino Episcopo, divinitus revelatam. Electus in Basilicam Lateranensem deductus est, *chlamyde coccinea indutus*, cum *thiara* in capite, ibique inthronizatus, et sequente die consecratus in Basilica Vaticana, ac coronatus ad Patriarchium Lateranense solenniter ductus. Singulare est, eum, inter alias inthronizationis caerimonias, fuisse *baltheo* succinctum, cum septem ab eo pendentibus *clavibus*, et totidem *sigillis*, *ex quo sciat*,

inquit

inquit autor citatus, *ſe ſecundum ſeptiformem Spiritus S. gratiam Eccleſiarum regimini, in claudendo aperiendoque, providere debere.* Supererat adhuc Guibertus, ſeu Clemens III., Antipapa, contra quem, ejuſque adſeclas, conſcripſit, adjuvante Rogerio, Siciliae Duce, exercitum, ſed ille, utraque ſede, Romana et Ravennatenſe, extorris, brevi eſt defunctus a. 1100. Duo quoque reliqui Antipapae, alter poſt alterum, in ejus locum electi, mox capti ſunt, et in monaſterium detruſi a. 1101. Quam eandem ſubiit ſortem tertius Antipapa, dictus Sylveſter IV., a. 1102. electus, et mox ejectus.

§. XLVII. Paſchalis, hac ratione ſolus ſedem tenens, dominium ſuum per omnes fere exercuit Eccleſias, quaquaverſum miſſis *Legatis de latere.* Ademaro Podienſi, Legato in Oriente, mortuo, eo direxit Theobertum, vel Daibertum, Epiſcopum Piſanum, qui mox, a. 1099., Patriarcha electus Hieroſolymitanus, concilium habuit Hieroſolymitanum, in quo Buillonius, Hieroſolymae Rex, regni inveſtituram, quod notari meretur, accepit a Patriarcha. In Galliam vero miſit legatos Johannem et Benedictum Cardinales, qui a. 1100. in concilio Pictavienſi excommunicaverunt Philippum, Galliarum Regem, quia Bertradae commercio renunciare nolebat: ut tradit Ivo Carnotenſis ep. 212. et Chronicon Malleacenſe: ſed quod concilium per Wilhelmum Aquitaniae Ducem, et Pictaviae Comitem, fuit diſturbatum, ut, praeter alios, refert Hugo Flaviniacenſis in Chronico. Poſtea, cum Philippus, Bertha mortua a. 1094., diſpenſationem pro matrimonio cum Bertrada fruſtra petiiſſet, ut contra Blondellum probat Pagi; tandem cedere coactus, commercio cum Bertrada nuncium mittere ſub juramento debuit, ut abſolveretur: ſicut factum eſt in Synodo Pariſienſi a. 1104. per Lambertum, Epiſcopum Atrebatenſem, cui Papa vices ſuas commiſerat, Vid. Epiſt. Paſchalis apud Dacherium in ſpicilegio.

§. XLVIII. Longe gravior fuit ejus cum duobus Henri-

cis, IV. et Vto, Patre et Filio, concertatio. Erga Henricum IV. fere indigniſſime, et inhumaniter, geſſit. Concilio generali habito Romae a. 1102., ad cauſam Henrici pertractandam, cum Rex contra promiſſum non compareret, novum inſuper Papam contra Paſchalem conaretur introducere, ſententiam excommunicationis ejus confirmavit, vel renovavit. Relatum inſuper in eo concilio eſt ſchiſma Henricianum inter praecipuas haereſes, et Catholicae fidei profeſſio, de ſedi Apoſtolicae ab omnibus praeſtanda obedientia, edita eſt in hunc tenorem: *anathematizo omnem haereſin, et praecipue eam, quae praeſentis Eccleſiae ſtatum perturbat, quae docet et adſtruit, anathema contemnendum, et Eccleſiae ligamenta ſpernenda eſſe. Promitto autem obedientiam Apoſtolicae ſedis Pontifici Domino Paſchali, ejuſque ſucceſſoribus, ſub teſtimonio Chriſti et Eccleſiae adfirmans quod adfirmat, damnans quod damnat, S. et univerſalis Eccleſia.* Ad quam fidei profeſſionem, juramento faciendam, adſtricti fuerunt omnes Epiſcopi, Archiepiſcopi, et quos vellet Papa. Vid. Abbas Urſpergenſis, Dodechinus in adpendice ad Mariani Scoti Chronicon. a. 1099., et Paſchalis epiſtola ad Archiepiſcopum Colonienſem, in qua etiam formulam, a Gregorio VII. praeſcriptam, vindicat, in qua clauſula de *procurationibus Legatorum* Papae reperitur, qua Epiſcopi et Archiepiſcopi, ſe ſumtus Legatorum laturos eſſe, promittebant. Qua occaſione Legati ſaepe ſpoliarunt Eccleſias, et bona corraſerunt, Vid. Baluzius in ſupplem. lib V. Petri de Marca de *concordia ſacerdotii* et *imperii* cap. 48. Sed Hungaris diſplicuit modo memoratum juramentum, tanquam Chriſti praecepto de non jurando, etiam canonibus Eccleſiae, adverſum; ad quod poſterius, quod notari meretur, reſpondet Paſchalis epiſt. citata, *nulla concilia legem praeſcribere Eccleſiae Romanae*, cum per eam robur accipiant concilia, et in *earum ſtatutis Romana autoritas excipiatur.* Henricum dein V. a juramento fidelitatis, Patri facto, abſolvit, poſtquam omnem ejus haereſin abjuraſſet, et Apoſtolicae ſedi promiſiſſet obe-

obedientiam, eumque excitavit ad arma contra Patrem ſumenda. Exercitibus Patris et Filii, ſingulari et ſtupendo exemplo, ſibi ad Ratisbonam occurrentibus, Filius quidem ſeſe Patri ſubmiſit, et in gratiam ab ipſo admiſſus eſt, ſed, cum Pater Moguntiam properaret, ut cum Filio coram Principibus in gratiam rediret, a. 1106., eſt in munitiſſimum caſtellum fraudulenter a Filio deductus, tanquam captivus tractatus, abſolutione a Legatis Papae fruſtra petita, inperii inſignia, crucem, lanceam, ſceptrum, globum, atque coronam, coactus deponere, Filio in ejus locum electo rege. Seceſſit privatus in locum ſibi adſignatum, unde fuga dilapſus Leodium venit, ubi exſpiravit, et more regio eſt ſepultus. Sed poſtea corpus, juſſu Papae, qui omnia illa acta adprobaverat, quam injuſta etiam, ſepulcro ejectum, manſit inhumatum per quinquennium, ſecundum hanc regulam Eccleſiaſticam, *quibus vivis Eccleſia non communicat, illis etiam nec mortuis communicare poteſt;* donec Filius, Papa humanior, Patrem regio more ſepeliverit Spirae. Ceterum praeivit ipſis in Henrico exhumando ipſe Papa, qui a. 1105. Clementis Antipapae oſſa, Ravennae ſepulta, extrahi, et in fluenta projici, curavit, teſte Abbate Urſpergenſe ad a. 1106. Cum vero Leodienſes Patri patrocinarentur, et propterea male tractarentur, acerbiſſimam contra Papam ſcripſerunt epiſtolam, qua reprehenditur, inter alia, quod, novo exemplo, Hildebrandum ſecutus, gladio in peccantes utatur, imo ſedes Papalis dicitur Babylon et Antichriſtiana. Papa enim Robertum, Flandriae comitem, a bello ſacro reducem, in eos concitaverat, juſſeratque, ut Henrici fautores perſequatur, addere non veritus hoc Antichriſtianum, *nullum gratius Deo offerri poſſe ſacrificium.*

§. XLIX. Quibus peractis, ipſe Henricus V. iiſdem motibus, et eandem etiam ob *inveſtiturarum* cauſam, fuit inplicitus. Famoſo decreto in concilio Guaſtallenſe ad Padum in Longobardia, a. 1106. juſſu Papae coacto, cui Legati

Henrici, jus regni petentes, eaque ratione subjectionem sedi Romanae exhibentes, interfuerunt, ut refert Domnizo in *vita Mathildis*, condito contra investituras laicas, quo omnimodo prohibentur sub excommunicationis poena: Papa iter in Germaniam, ut Ecclesiae statum ordinaret, meditabatur, sed, intellecto, Germanis illud decretum valde displicere, iter in Gallias, ad Philippum et Ludovicum Reges, sibi faventes, deflexit, ut eorum opem contra Henricum inploraret. Vid., praeter Abbatem Urspergen. Sugerius in *vita Ludovici Grossi*. Habitum tunc est a. 1107. colloquium Catalaunense cum Legatis Henrici, quo Legati jus regni defenderunt, secundum quod in omni electione requiratur adsensus Inperatoris, et ut electus annulo, et virga, ab eo investiatur, ita fuisse antiquitus, id postulare jus feudale. Cum autem Papa, *Ecclesiam Christi sanguine redemtam, et liberam constitutam*, negaret in servitutem esse redigendam, Legati regesserunt, *querelam illam esse Romae gladio dirimendam*; teste eodem Sugerio. Quae eodem anno in concilio Trecensi sunt renovata, in quo Papa cum Concilio prohibuit investituras, Legati vero contradixerunt, tantum inducias, usque ad generale concilium Romae habendum, concedentes. Vid. Abbas Urspergensis. Interea Papa, Romam tendens, idem contra Investituras Laicas decretum confirmavit in Synodo Beneventana a. 1108., ut Petrus Diaconus in Chronico Cassinense l. IV. c. 35. tradit, et Romana a. 1110., teste Chronico S. Vivi Senonensis. Quo rerum statu Henricus cum numeroso exercitu Romam tendens, ut decessorum suorum dignitates, et jura, simul Inperii coronam, armata manu postularet, praemisit nuncios de pace tractaturos, quibuscum Papa per Legatos egit, ut iram Inperatoris praeverteret. Convenit quoque inter eos, ut Inperator male usurpatum jus Ecclesiasticum dimitteret, possessiones Ecclesiae relinqueret intactas, et investituris renunciaret, Papa vero regalia dimitteret Inperatori, faceretque, ut nec Ipse, nec Episcopi, sese regni ju-

ribus

ribus inmitterent, feuda Inperii redderent, nec civitates, Ducatus, Comitatus, monetas, vectigalia, mercata etc. invaderent. Vid. Petrus Diaconus in Chronico Cassinense. His conditionibus acceptis, et utrinque juramento firmatis, cum hac tamen exceptione, ab Inperatore addita, si Episcopi et Proceres Germaniae eas ratas haberent, Henricus Romam a. 1111. intravit, et solenni more magnifice est exceptus, ac Inperator designatus. Quae cerimoniae prostant in *ordine Romano* apud Mabillon. Musaeo Italico tom. II., et in actis Vaticanis apud Baronium, nec non in libro Pontificali, apud Spondanum in notis ad Baronii epitomen, a. 774. Cum autem Papa conditiones ab Inperatore adinplendas expeteret, antequam coronaretur, Episcopi vero, quos secum duxerat Henricus, regalibus recusarent nuncium mittere, nec Henricus ab Investituris abstinere tunc vellet, Pontifex denique Regem coronare renueret: scena mox mutata est, et intestinum quoddam exortum bellum. Henricus enim mox manus in Papam, Cardinales, et Episcopos Papae injecit, eosque sub militari retinuit custodia, imo plebem, aliosque honoratiores, qui cum floribus et palmis ei obviam processerant, spoliari et caedi jussit. Romani, quasi in furorem acti, Germanos, quotquot in urbe offendebant, trucidarunt, dein cum exercitu Henrici extra urbem pugna inita, in qua ipse Henricus est vulneratus, ab urbe abscedere coegerunt. Quae omnia ex Chronico Cassinense, Leone Ostiense, Sugerio in vita Ludovici, aliisque, constant. Cum vero Papam per 56 dies in custodia detinuisset, urbemque infestaret Henricus, Papa, ut sibi, suisque, et urbi, consuleret, schisma quoque vitaret, in vota Inperatoris concessit, juramento pollicitus, se eum in jure Investiturarum nunquam esse turbaturum, nec ob vim illatam excommunicaturum. Quid? quod privilegium Investiturarum, manu sua subscriptum, et annulo Pontificio obsignatum, tradiderit Henrico. Exstat apud Malmesburiensem de *gestis Regum Anglorum* lib. V. Vid. etiam Dode-

chinus in adpendice ad Mariani Scoti Chronicon a. 1110., et Sigebertus in Chron. a. 1111., ubi, quomodo inter Papam et Regem convenerit, ex ipsius Regis epistola enarratur. Quibus peractis Inperatorem coronavit, et in missae celebratione, unam hostiae partem tenens, altera Henrico tradita, dixit: *sicut pars ista vivifici corporis divisa est; ita divisus sit a regno Christi, qui pactum illud rumpere, aut violare, tentaverit*: teste Petro Diacono in Chronico Cassinense l. IV. c. 40. Vid. etiam Sugerius l. cit., et Sigebertus in Chronico, ac Otto Frisingensis.

§. L. Hoc singulari foedere pacto, Ecclesiae vehementer sunt commotae, cum Praesules, qui ab Henrici partibus non stabant, factum Papae communiter inprobaverint, sed alii inmoderatius, alii modestius. Priores Investituram Laicam declararunt haeresin, et Papam oblique haeresios accusarunt, egisse quoque Papam dixerunt contra Canones, et libertatem Ecclesiae prodidisse; adeoque eum rescindere debere decretum, vel se ab ejus communione esse discessuros. Ita instituerunt Clerici Romani, in unum coacti, Papa absente, sub Johanne Cardinali Episcopo Tusculano, etiam Bruno, Segninus Episcopus, aliis Episcopis et Cardinalibus junctus, Conon quoque Cardinalis, Episcopus Praenestinus, Papae Legatus in Oriente, qui, Hierosolymae coacta Synodo, Henricum propterea excommunicavit, quam ipsam sententiam variis aliis in conciliis, in Graecia, Hungaria, Saxonia, Lotharingia, et Francia, confirmari curavit, ut ex actis Synodi Lateranensis a. 1116. constat apud Abbatem Urspergensem. Idem fecerunt Guido, Viennensis Episcopus, Hugo Gratianopolitanus, Godefridus Ambianensis, et alii, congregata Synodo Viennensi; qui decretum Papae resciderunt, investituras laicas, tanquam haeresin, condemnarunt, et Henricum excommunicarunt. Eodem denique pede incesserunt Johannes Lugdunensis in epistola ad Daimbertum Senonensem, inter epistolas Ivonis 227, et Goffridus Vindocinensis Abbas in epistola ad Papam, et

in

in aliis opuſculis. Sed longe moderatius tulit judicium de Papae facinore Ivo Carnotenſis, qui ſententiam de inveſtituris laicis tantum pronunciavit ſchiſmaticam, Papam voluit amice eſſe admonendum, et factum, tanquam ei extortum, excuſandum, quod ſi emendare recuſet, eum propterea non eſſe judicandum cenſuit, quia ſuperior inferioris non ſubeſt judicio: addit denique, tale privilegium potuiſſe a Papa concedi Inperatori per oeconomiam, aut diſpenſationem, ut gravius vitetur malum. Vid. Ivonis epiſtolae 233, et 236. Ipſi adſurrexerunt Senonenſis Provinciae Epiſcopi, teſte Synodica eorum epiſtola ab Ivone conſcripta, quae eſt 236. In alterum porro extremum abierunt, quotquot Henrici partes tuebantur, quorum aliqui etiam tenebant, Henricum *pariter Regem et Sacerdotem ſummum eſſe*, ejuſque etiam eſſe juris, *ut Praeſules faciat et deponat.* Vid. Laurentius de Leodio in hiſtoria Epiſcoporum Virdunenſium, in Spicilegio Dacheriano.

§. LI. Hos motus, ad ſchiſma ſpectantes, ut compeſceret Papa, ſimul communia vota, quibus illud decretum voluerunt reſciſſum, ad animum revocaret, coacta Synodo Lateranenſi a. 1112., fidei non tantum edidit profeſſionem, qua ſeſe Gregorii VII. et Urbani II. decreta confeſſus eſt adſumere, ſed et ſe prave egiſſe agnovit, imo inſignia depoſuit Papalia, ſeſe Synodo ſubjecit, petens, ut factum corrigeretur. Quo facto, Synodus privilegium a Papa conceſſum caſſavit, abſque tamen ut Henricum propter Inveſtituras excommunicaverit, ut ſcilicet ſartum tectum maneret juramentum Papae: ut tradit autor anonymus Pontificum et Comitum Engoliſmenſium in Biblioth. Labbeana tom. III. Conſtant vero quae protuli ex Malmesburienſe, Abbate Urſpergenſe, Petro Diacono, et Sugerio, locis ſupra citatis. Renovavit denique hoc et confirmavit ipſe Papa in altera Synodo Lateranenſe a. 1116., Gregorii VII. decreto contra Inveſtituras, non tantum renovato, ſed et omne illud, quod Conon Praeneſtinus et Guido Viennenſis

in ea cauſa egerant, corroborando: ut ex actis Synodi patet, apud Abbatem Urſpergenſem. Quibus omnibus irritatus Inperator Romam cum exercitu repetiit, ut ſe coronari faceret. Cum vero Papa abſente, qui Beneventum aufugerat, id fieri poſſe negaret Eccleſia Romana, Henricus praeſtari fecit a Mauricio, alias Burdino, Bracarenſi Archiepiſcopo, qui titulo Legati miſſus a Papa erat ad Henricum pacis faciendae ergo, ſed qui nunc a Papa defecerat. Vid. Pandulphus in vita Paſchalis, et conferatur Baluzius in vita Burdini, Miſcellan. tom. III. Quo audito, Burdinum anathemate percuſſit Paſchalis in Synodo Beneventana a. 1117.; ut ex litteris Gelaſii II. patet.

§. LII. Defendit porro Eccleſiae jura, ut loquuntur, contra Wilhelmum II. et Henricum I., Angliae Reges, opem ipſi ferente Anſelmo Cantuarienſe, inter quem et Regem acerrimae quoque de iiſdem Inveſtituris viguerunt contentiones. Legatum Papae in Angliam a. 1100. miſſum repudiarunt Angli, tanquam quid inauditum inter ſe, dicentes, neminem, praeter Cantuariae Archiepiſcopum, vices Apoſtolicas apud ſe gerere poſſe: ut refert Eadmerus *Novorum* lib. III. Ablegato dein Anſelmo cum Regis Legato Romam, ut contentioni finis inponeretur, nihil aliud effectum eſt a. 1103., quam ut Papa, inveſtituris Regi abſolute interdictis, nonnullos uſus paternos ipſi conceſſerit, et excommunicationem Regis ad tempus ſuſpenderit, eodem Eadmero teſte. Tandem inter eos convenit per Legatos, ut Rex homagia de electis Epiſcopis acciperet, ſed nullum per baculum et annulum inveſtiret, ut habet Malmesbur. de *geſtis Pontificum* Anglorum l. II., quando Rex Anſelmo reliquit inveſtituras, a. 1106., ut refert Eadmarus l. cit. l. IV. Ceterum ex hac Paſchalis hiſtoria colligere licet, infallibilitatem quidem nec Papas ſibi adrogaſſe, aut praeſtitiſſe, nec iis ab Epiſcopis fuiſſe datam, attamen Papalem autoritatem ſtrenue fuiſſe ab iis vindicatam, et promotam. Quo etiam verba Paſchalis ad Henricum, apud

Got-

Gotfridum Viterbiensem in Chrcn. part. XVII., in quibus desino, pertinent.

*Sic regnare damus, quod Petro subjiciaris.*
*Jus etiam nobis Christus utrumque parit.*
*Spiritus et corpus mihi sunt subjecta potenter.*
*Corpore terrena teneo, coelestia mente.*
*Unde tenendo Polum, solvo ligoque solum* etc.

§. LIII. Paschali, postquam annos 18 sedem tenuisset, defuncto, Ecclesia Romana per schisma Papale valde turbata est et vexata. Electus quidem legitimis suffragiis est *Gelasius* II., ex Cardinale Diacono et Cancellario Pontifex a. 1118, sed, antequam consecrari potuit, a Centio Frangipane, et dein Henrico V., qui noctu intraverat Romam, dire tractatus, et fugere coactus, est: quando Mauricius ille Burdinus sub nomine *Gregorii* VIII. in throno est per Inperatorem collocatus. Gelasius vero, sese in Gallias conferens ad Ludovicum Grossum, in itinere consecratus est Cajetae, unde ortus erat, dein Capuae celebravit concilium, in quo Gregorius cum Henrico est excommunicatus, teste Urspergense in Chronico, tandem Cluniacum adpulsus ibi mortuus est, cum sedisset unum annum. Vitam ejus scripsit Pandulphus, familiaris ejus, apud Papebrochium in *conatu Chronico-historico* part. II. Gregorius autem per triennium sedit, excommunicatus licet a Gelasio, et dein a Callisto, ejus succesore, donec a Callisto, Romam veniente, fuerit fugatus, et cum Sutrium, haud procul Roma, venisset ab Inperatore derelictus, a Callisto, exercitu coacto, et urbe obsessa, captus, indignissime tractatus, et in monasterium detrusus sit a. 1111. Fuit autem Burdinus vir insignis, et inmerito a Pontificiae sectae viris laceratus est: de quo vid. Baluzius in ejus vita.

§. LIV. *Callistus* II., antea Guido Archiepiscopus Viennensis, electus est in coenobio Cluniacense, ubi Gelasius

ſuit mortuus, et comitia ſunt habita pro ſucceſſoris electione a. 1119., dein antipapa Gregorio ſuperato, ſolus ſedem tenuit ab a. 1121. Ante quod tempus duo, in itinere Romam, celebria habuit concilia, unum Toloſae, alterum Rhemis, utrumque a. 1119. Inter *prioris* canones ſunt, qui Simoniam damnant, Petro-bruſianos anathemate feriunt, primitias, decimas, oblationes, coemiteria, bona morientium Epiſcoporum et Clericorum, interdicunt ſub excommunicatione Principibus et Laicis. In *Rhemenſi* vero, cui ipſe Ludovicus Craſſus adfuit, quinque ſunt conditi canones, quibus, praeter Simoniam, damnatae rurſus ſunt Inveſtiturae Laicae, et invaſiones poſſeſſionum Eccleſiaſticarum, concubinae quoque, et uxores, Presbyteris, Diaconis, et ſubdiaconis, ſub poena excommunicationis ac depoſitionis, interdictae ſunt. Denique decretum eſt factum de *treuga* Dei, et, quod in primis notandum, Henricus Inperator excommunicatus eſt, eoque tandem compulſus, ut inveſtituris miſerit nuncium, et pacem cum Papa fecerit.

§. LV. Ante concilium Rhemenſe, ut poſtremum illud, cujus memini, paulo fuſius, ut meretur, enarrem, de concordia ſacerdotii et inperii actum fuit inter Henricum et Papam per Legatos, eo cum effectu, ut Inperator ſe Inveſtituris renunciaturum, Papa abſolutionem ejus, promiſerit. Cum vero, ut refertur in *commentariolo* Heſſonis Scholaſtici, de *rebus in concilio Rhemenſi*, cui interfuit, *geſtis*, Inperator promiſſis non ſtetiſſet, decretum in eo eſt conditum concilio, quo Epiſcopatuum et Abbatiarum inveſtiturae per manum Laicam penitus prohibentur, Henricus quoque, cum Burdino Antipapa, excommunicatus eſt, ipſis ſubditis fidelitatis vinculo ſolutis. Sed Rogerius de Hoveden in Annalibus Anglicis p. I. ſcribit, Henricum nihil aliud ſibi quam poſſeſſionum Eccleſiaſticarum inveſtituras reſervaſſe, neſcio quam vere. Licet enim in initio decretum Synodi inveſtituras Laicas abſolute damnaverit, mox tamen, cum multi in concilio ſeſe opponerent, reſtrictum

eſt,

eſt, et Epiſcopatuum ac Abbatiarum tantum inveſtiturae ſunt vetitae Laicis, teſte Heſſone Scholaſtico. Nulla itaque fuiſſet Inperatorem excommunicandi ratio, ſi vera foret Hovedeni narratio; ipſe quoque Ludovicus, Francorum Rex, qui praeſens adfuit, *feudorum* et *Regalium* inveſtituras retinuit. Quicquid hac de re ſit, cum Inperator videret, totam Saxoniam contra ſe commotam, et Principes ad pacem inclinare, totum hoc negotium Optimatum commiſit judicio, ſeſeque ad pacem quoque pronum demonſtravit. Conventu itaque Wormatiae a. 1122. indicto, cui Legati Papae adfuerunt, in hanc formam eſt conventum, ut Henricus inveſtituram per *annulum* et *baculum* dimitteret, liberamque in omnibus Eccleſiis electionem et conſecrationem fieri concederet, Calliſtus vero Papa pateretur, electionem fieri, praeſente Inperatore, ſine Simonia et violentia, et ut electi regalia ab Inperatore per *ſceptrum* reciperent, exceptis iis, quae ad Romanam pertinent Eccleſiam. Vid. Abbas Urſpergenſis, et Wilhelmus Malmesburienſis. Qua ratione Papa, ratione muneris Eccleſiaſtici, inveſtiret *baculo* et *annulo*, Inperator vero, ratione feudorum Inperii, per *ſceptrum*. Vid. Schilterus de *libertate Eccleſiarum German.* l. IV. Quare autem per *ſceptrum* id fieri voluerit Papa, non adeo conſtat: forte, quia per ſceptrum conferri Principatus ibi moris tunc erat. Sed factum etiam aliquando eſt per *crucem*, poſtea invaluit per *gladium*. Vid. Boehmer. Jur. Eccleſ. l. III. tit. 20.

§. LVI. Pace hoc modo facta, et Henrico abſoluto, celeberrimum illud concilium Oecumenicum Lateranenſe I. a Papa convocatum eſt a. 1123., ad quod Legati Henrici ſunt invitati, et in quo totum hoc negotium confirmatum eſt, et penitus finitum. Lateranenſe adpellatur a Baſilica ejus nominis, ubi eſt habitum, Lateranenſe *primum*, quia Oecumenicorum in Occidente celebratorum fuit *primum*, alias ordine Oecumenicum *IXmum.* Indictum eſſe a Papa, litterae ejus ad Henricum teſtantur. De anno 1123.

constat ex Simeone Dunelmensi in hist. gestorum Regum Anglorum, Falcone Beneventano in Chronico, aliisque: ex quibus etiam, ut et ex Sugerio in vita Ludovici, patet, *trecentos* et amplius interfuisse Episcopos. Conditi sunt, praeter pacti inter Henricum et Papam confirmationem, nonnulli canones, disciplinae Ecclesiasticae, et Expeditionis Sacrae promovendae, ergo. Inter quos sunt, qui Simoniam prohibent, nuptias Clericorum, possessionum quoque Ecclesiasticarum dispensationem, ac donationem Laicam, et consecrationes a Gregorio Antipapa factas damnant. Decretae denique sunt Expeditiones Sacrae, et in Orientem contra Turcas, et in Hispaniam contra Saracenos, Ecclesias Hispaniae opprimentes, plenaria peccatorum promissa remissione; imo sub excommunicationis poena eae fuerunt injunctae iis, qui eas susceptas dimiserant, adeo ut poenitentiae locum suppleverint, ad quas aeque ac ad poenitentiam criminum rei cogi potuerunt, ut habet Petrus Diaconus in Chronico Cassinensi l. IV. c. 11., ubi hunc expeditionum finem exponit. Tandem anathemate percelluntur, qui sacros peregrinatores, sive Romam, sive ad alia loca, adfecerint molestia. Ceterum huic Papae quatuor sermones in *Jacobum Apostolum* adscribuntur in Bibl. M. Patrum vol. XXII., sed pro spuriis habiti, utique satis inepti, in quorum *primo*, versus finem, notabilis occurrit pericopa de vitio Simoniae, late extenso, his notabilibus verbis, lectu dignis. *Cum in mala significatione ponitur Judas, Antistites malos, Presbyteros, Abbates, Monachos, et Praelatos sanctae Ecclesiae iniquos, significat, qui Dominum ut Judas vendunt, cum aut de sacris ordinibus, aut de Episcopis ordinandis, aut de praebendis Ecclesiasticis, aut de nuptiali benedictione, aut de sepulturis mortuorum, aut de dedicationibus basilicarum, aut de sacerdotibus in Ecclesiis juste ponendis, vel injuste positis, aut de defunctorum exequiis, aut de pueris baptisandis, aut de poenitentiis peccatoribus datis ad excommunicandum in Ecclesia praemissis, aut de missis et matutinis, pretium accipiunt.* Subjungit tamen deinceps, pecuniam sponte datam accipere licere.

§. LVII.

§. LVII. *Honorius* II., antea Lambertus, Episcopus Ostiensis, ejus successor ab a. 1124., ut praecipua ejus acta perstringam, 1. decessoris judicium, quo Wilhelmi, filii Roberti, Normannorum Comitis, conjugium cum filia Fulconis, Comitis Andegavensis, tanquam illegitimum, damnaverat, confirmavit, et per Legatum dissolvit, dein, cum non paruisset Wilhelmus, nuncios insuper Legati, ad eum directos, male tractasset, eum excommunicavit, interdicto etiam sacro in ejus regiones lato: ut ex Honorii litteris ad Canonicos Turonenses in Spicilegio Dacheriano constat. Paruit itaque postea, alia ducta uxore, a. 1127., ut ex Orderico Vitali l. XII. patet. 2. Pontium, Cluniacensem Abbatem, cum Abbatiam, quam, peregrinationis Hierosolymitanae causa, abdicaverat, ea finita, repeteret armata manu, anathemate percussit, et dein in carcerem detrusit, ubi moerore confectus obiit. Vid., praeter Ordericum l. cit., Gaufredus Vosiensis Prior, autor aequalis, in Chronico. 3. Mortuo Henrico V., Legatos misit, qui Lotharii Saxoniae Ducis electioni in ejus locum interfuerunt, et cum Conradus ac Fredericus fratres, ac sororis Henrici filii, ille Franconiae, hic Alemanniae, seu Sueviae, Dux, ad inperium adspirarent, eos excommunicavit, a. 1125., ut narrat Otto Frisingensis l. VII. Quo eodem 4. anno Londinense celebravit concilium per Legatum suum a latere, in quo capitula ad Ecclesiae reformandos mores condita sunt. 5. Wilhelmo Apuliae Duce, qui terras suas legaverat Papae, defuncto, cum Rogerius, Siciliae comes, eas sibi vindicaret, et invaderet, eum non tantum anathemate percussit, sed et armata manu cum Roberto, Capuae Duce, aliisque Capuae Principibus, in eum irruit quidem, sed cum Robertus aliique militiam desererent, animo mutato, tradidit Rogerio Ducatum sub juramento fidelitatis a. 1128. Vid. Fulco Beneventanus in Chronico, et Alexander Abbas Celesin. in historia Rogerii, autor aequalis. Denique 6. duos Patriarchas, Aquilejensem et Venetiarum,

 quia

quia Conradi, Franconiae Ducis, partes contra Lotharium tuebantur, adeoque faverent schismaticis, deposuit in Synodo Ravennatensi a. 1128.

§. LVIII. Honorio defuncto scissa est Romana Ecclesia, novi Papae causa, in duas partes. Electus enim est quidem a meliore parte Cardinalium, sed exiguo numero tantum sedecim, Innocentius II., antea Gregorius Cardinalis, satis praecipitanter, die vero sequente ab aliis, longe majore numero, Anacletus, antea Petrus, Leonis filius, Presbyter Cardinalis; qui ambo sunt eodem die consecrati. Innocentius licet fuerit, ut traditur, inculpatae non tantum, sed et Apostolicae vitae, Anacletus e contra infamis, scortator, sacrilegus, et tyrannus, vid. Bernardus Claraevallensis ep. 124 et 126., Arnulphus Luxoviensis Episcopus, de schismate post Honorium in spicilegio Dacher., ejus tamen partes praevaluerunt Romae, adeo ut Innocentius sibi fuga debuerit consulere, nec, licet triennio post a Lothario Romam reductus fuerit, locum ibi tueri potuerit, nisi post Anacleti mortem, a. 1138. Electus quidem in defuncti locum est Victor, antea Gregorius Presbyter Cardinalis, sed post duos menses a suis desertus, et se abdicare coactus, sedem Innocentio reliquit, qui ab omnibus fuit agnitus, ab ipso etiam Rogerio Siculo, qui Anacleti partes strenue erat tuitus, sese et eo nomine ipsi devinctum judicans, quod Regis titulo ab ipso fuerit ornatus, sub censu annuo 600 schufatorum, Ecclesiae Romanae solvendorum; teste diplomate apud Baronium. Inter eos, qui Anacleto adhaeserunt, memoratur quoque ex Episcopis Gerardus Engolismensis, qui partes ejus valde promovit, Gulielmo quoque Pictavorum Comite ad eum tracto. Depingitur quidem ab Arnulpho tanquam ambitiosus et secularis, qui Innocentio valedixisset, quod legationis munus ab ipso non potuerit inpetrare, quod Anacletus ipsi dedit, sed ab aliis laudatur. Vid. Mabillon, in praefat. operum Bernardi, qui plura de hoc schismate notanda adfert.

§. LIX.

§. LIX. *Innocentius* II. ſtatim ac electus eſſet ac confirmatus, cauſa Anacleti licet diſcedere fuerit coactus, communiter per orbem Catholicum fuit agnitus, uti a Ludovico, Galliarum Rege, Synodo Stampis, inter Lutetiam et Aurelianum, coacta, qui etiam ei occurrit, et ſervitium, ad pedes ejus proſtratus, promiſit, ab Henrico Angliae Rege, qui idem fecit apud Carnotum, praeterea a Lothario, Rege Romanorum, Wirceburgi, ſeu Herbipoli, congregato concilio a. 1130., nec non ab Hiſpaniae ac Hieroſolymae Regibus, teſte Bernardo epiſt. 125. Scoti vero, teſte Richardo, Priore Auguſtoldenſi, de *geſtis Regis Stephani*, Willelmus Aquitaniae, et Rogerius Siciliae, Duces, Antipapae ſeſe adjunxerunt. Habuit vero Innocentius cum Lothario colloquium in Synodo Leodienſi a. 1131., eumque ad Romanae Eccleſiae defenſionem excitavit, promiſſa corona Inperiali; ut refert Otto Friſingenſis, ac Arnoldus Bonaevallenſis in vita Bernardi. Imo, Inperatorem ſeſe ipſi *ſtratorem* humillime obtuliſſe, eumque, alia manu *virga* ad defendendum, alia *fraeno* equi accepto, tanquam Dominum deduxiſſe, et Papam deſcendentem ſuppodiando deportaſſe, tradit Sugerius in vita Ludovici. Refert quidem Petrus Diaconus, in Chronico Caſſinenſe, Papam Lothario tunc conceſſiſſe inveſtituras, ſed Otto Friſingenſis, autor vitae Bernardi, ipſe quoque Bernardus epiſt. 150., tradunt, poſtulaſſe quidem eas Lotharium, ſed repulſam tuliſſe. Pervenit dein Papa Rhemos, ibique concilium habuit, in quo 17 conditi ſunt canones, inter quos eſt, qui beneficio et officio privat Clericos, qui, a Subdiaconatu et ſupra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, eſt etiam, qui eorum miſſas audire vetat. Romam cum veniſſet Lotharius cum exercitu et Papa, a. 1133., Papa in ſede collocatus, et Lotharius ab eo Inperator coronatus, eſt, ut Chronographi narrant. Juramentum Papae praeſtitum, ex ſchedis Vaticanis apud Baronium, ita habet. *Ego Lotharius Rex promitto et juro tibi Domino Papae Innocentio, tuiſque ſucceſſoribus,*

*ribus, securitatem vitae, et in membris et malae captionis, et defendere Papatum et honorem tuum, et regalia Petri, quae habes, manu tenere, et quae non habes, juxta meum posse recuperare.* Sed, cum pars adversa vinci non posset, Lotharius in Germaniam, et Papa Pisas se recepit, ubi concilium celebravit Pisanum a. 1134., in quo Anacletus iterum est anathemizatus, et Henricus quidam haereticus, unde Henriciani adpellati sunt, qui a tempore Paschalis II. Galliam perturbavit, damnatus est, Vid. Acta Cenomanensium Episcoporum in Gallia in Analectis Mabillonii. Quo eodem anno cum Ramirus, frater Alphonsi VI., Arragoniae regis, mortui, ad regnum raperetur, sacerdos et monachus, Papa circa Ipsum dispensavit, a voto monachatus ac continentiae liberando, adeo ut Rex fuerit factus et uxorem duxerit; teste Roberto de Monte, autore aequali, in Chronico ad a. 1160. Quod et ideo notatu dignum est, quia, dispensationes Papales jam fuisse requisitas et concessas, inde confirmatur. Cujus exemplum sec. XI. jam memoravi in Benedicto IX., qui Casimiro, Monacho Cluniacensi, regnum majorum, et uxorem, concessit.

§. LX. Tandem, mortuo Antipapa, et Lothario Romam altera vice visitante, pax reddita est Ecclesiae, et solus Innocentius sedem tenuit. Qui mox celeberrimum concilium Oecumenicum Lateranense II., alias Oecumenicum *decimum*, habuit a. 1139, cui mille circiter interfuerunt, ut Otto Frisingens., et Abbas Urspergens., testantur. In quo acta Anacleti sunt rescissa, ejusque ac fautorum, et Gerardi Engolismensis, ac Gilonis Tusculanensis, Episcoporum, ordinationes annullatae. Addit Chronographus Mauriniacensis, Legatum Apostolicum per Aquitaniam omnia altaria, ab iis consecrata, execratum esse, solenni ritu, propriisque manibus diruisse. Praeterea Arnoldus de Brixia, et Petrus de Bruis, cum adseclis, de quibus postea, sunt tanquam haeretici condemnati. Denique, ut alia mittam, quippe minus certa, ut quod Rogerius, Siciliae Rex, fuerit

rit excommunicatus, referente Falcone, qui tamen Innocentium jam ante Synodum traditur recepiſſe, varii ſunt conditi canones ad diſciplinam, per ſchiſma collapſam, inſtaurandam. Inter quos ſunt, qui noſtram merentur adtentionem, uti, qui Simoniam, Inveſtituras Laicas, et conjugia Clericorum, proſcribunt, Laici etiam jubentur decimas, aut Eccleſias ademtas, reddere Eccleſiae, omnis uſura damnatur, tanquam divinis et humanis legibus contraria. Denique de *treuga* Dei definitum eſt, pace gaviſuros Presbyteros per omne tempus, nec non Clericos, Monachos, peregrinos mercatores, ruſticos, euntes et redeuntes agricolas. Quoad reliquos, induciae ſunt ſtabilitae a Mercurii ſuprema die uſque ad diluculum diei Lunae, ab adventu Domini uſque ad octavas Epiphaniae, a Quinquageſima uſque ad octavas Paſchae.

§. LXI. Ingruerunt poſtea novae concertationes acerrimae, paucis enarrandae. Lites cum Rogerio, Siciliae Rege, a. 1139. exortas, occaſione Apuliae, quam, Rainulpho Duce, et ſedis Papalis feudatario, mortuo, invadebat Rogerius, ut componeret, urbe egreſſus, per inſidias captus, et ad Rogerium ductus, coactus fuit titulum Regis confirmare, regno ipſi per vexillum donato, ſimul Ducatum Apuliae, ac Principatum Capuae, ipſi et haeredibus concedere, attamen ſub conditione, ut Papis fieret homagium, ac fidelitatis juramentum, cum cenſu annuo 600 ſchufatorum; teſte diplomate apud Baronium. Quam pacem, non obſtante, quod ad eam frangendam fuerit a Romanis incitatus, poſtea confirmavit; ut teſtatur Falco. Secuta mox eſt contentio cum Ludovico VII. Galliarum Rege a. 1141. Cum enim, Alberico, Bituriensſe Archiepiſcopo, mortuo, alii, conſentiente Rege, vellent Cadurcum ſucceſſorem, alii Petrum aliquem, Papa, Rege invito, hunc conſecravit, Cadurcum omni Eccleſiaſtico honore privavit. Quod cum Rex aegre ferret, nec Petrum recipere voluerit, interdicto quoque regni introitu, Papa mox *interdicto* ſacro ſubje-

cit totum Franciae regnum, quo Divini officii celebratio in regno prohibetur, frustra pro Rege intercedente Bernardo Claraevallense, et Petro Cluniacense, ut ex eorum litteris apud Baronium patet. Quod usque ad Celestinum II. duravit. Denique cum ipso populo Romano acrem exercuit contentionem, cui succubuit, moerore confectus et mortuus. Voluit populus antiquam restitutam libertatem, Papae sacrorum cura tantum relicta. Quo fini Conradum Romam invitavit, Senatum constituit, de pace et bello statuit, frustra obnitente Innocentio, qua muneribus qua minis. Duravit lis usque ad Clementem III. Vid. Otto Frisingensis. Obiit Papa a. 1143., sepultus in Ecclesia Lateranensi, mirifice ab ipso ornata. Tradunt nonnulli, ut Chronicon Hirsaugiense, Radevicus, et alii, eum in palatio Lateranensi curasse pingi Lotharium Caesarem, ad pedes Papae prostratum, et coronam Inperii expetentem, cum hac inscriptione.

*Rex venit ante fores, jurans prius verbis honores.*
*Post homo* (Vasallus seu feudatarius) *fit Papae, sumit quo dante coronam.*

§. LXII. Secuti sunt duo brevissimi temporis, et minus celebres suis gestis, *Coelestinus* II., unanimi voto a Cardinalibus, adclamante Clero et populo, electus, a. 1143., qui quinque tantum menses sedit, et *Lucius* II., post undecim menses lapidis ictu percussus et mortuus. Coelestinus illud tantum fecit memorabile, quod regnum Franciae ab interdicto sacro, cujus modo memini, liberaverit, et pacem, a Ludovico Rege petitam, concesserit; ut tradit Chronographus Mauriniacensis. Lucio sedente, sedes Papalis honorata quidem est, et amplificata, quod Alphonsus Portugalliae, sive Rex, sive Dux (ipse se Regem, sed Papa eum Ducem adpellavit, postea demum sub Alexandro III. Rex agnitus) Ducatum suum fecerit sedi Apostalicae tributarium,

et

ea conditione, ut defensionem ac solatium sedis Apostolicae haberet, nec ullam potestatem Ecclesiastici aut secularis Domini, praeter eam Papae, agnosceret, censu annuo quatuor unciarum auri constituto: quae ex Alphonsi et Lucii Litteris in Miscellan. Baluzii tom. II. constant. Sed per concertationes cum populo Romano haud parum obscurata est Papalis potestas, ipso Papa e vivis sublato. Romani, qui sub Innocentio II. Senatum conati erant restituere, hoc opus strenue magis urserunt sub Lucio, et ulterius promoverunt, Senatui addendo *Patricium*, cui omnia Papae regalia voluerunt vindicare, et in urbe, et extra eam, Papae decimis et oblationibus tantum relictis. Unde bello quasi intestino exorto, cum Papa Capitolium, ubi Senatus erat congregatus, ingente stipatus militia, invaderet, ut eum inde depelleret, lapidis ictu percussus est, et periit. Vid. Gotfredus Viterbiensis, autor aequalis, in Chronico, part. XVII., qui tradit, Papam (*sicut tunc audivimus*) *lapidibus magnis percussum, usque ad obitus sui diem, qui proxime secutus est, non sedisse in sede.* Ceterum dicta est haec haeresis *Politicorum*, vel, ab Arnaldo de Brixia, *Arnaldistarum*, et sub Innocentio vulgari coepit.

§ LXIII. Successit, elati admodum spiritus, et celebrioris nominis, Papa, *Eugenius* III., ab a. 1145 ad 1153. Cujus dominandi libidinem, fastum, purpuram, ut non tam Petro, quam Constantino M., successisse videretur, acriter perstrinxit Bernardus Claraevallensis, in libris quinque, ad Eugenium, de *consideratione*. Electus autem est a Cardinalibus extra eorum collegium, adeoque contra morem: erat enim Monachus Cisterciensis, et Abbas S. Vincentii ad aquas Salvias, haud procul ab urbe, nec Romae consecratus est, sed apud Tarfensem Abbatiam in territorio Sabinensi, quo cum Cardinalibus se recipere coactus fuit propter Romanos Arnaldistas tumultuantes, qui Senatum ab eo voluerunt confirmatum, ut Otto Frisingensis in Chronico narrat.

Poſtea tamen, Jordane Patricio, cum ejus fautoribus, anathemate icto, ſed et Tiburtinaea militia adjutus, rebelles coercuit, et ad ad pacem compulit, hac conditione, ut, Patriciatu abolito, Praefectus a Papa conſtitutus, quem expulerant, reciperetur, Senatores etiam eſſent ex Papae autoritate, eodem autore teſte. Reverſus quidem tunc eſt Romam, et natale Domini ibi celebravit, a. 1145., ſed anno ſequente, rebellione renovata, rurſus coactus cedere, urbem non niſi a. 1149. fin. repetiit, cum rebelles per Rogerium, Siciliae regem, deviciſſet, ut Anonymus Caſſinenſis ſcribit. Dein a. 1150. Romam iterum coactus deſerere, in eam demum rediit a. 1152., pace cum Romanis renovata, ut, praeter eundem autorem, tradit Robertus de Monte.

§. LXIV. Quibus de contentione cum Romanis praelibatis, praecipua ejus geſta et acta paucis ordine enarrabo. 1. Viterbii moratus a. 1145. honorificas ſuſcepit legationes *Armenorum* et *Syrorum*, ut refert Otto Friſingenſis, qui praeſens adfuit. Armeni omnimodam Papae obtulerunt ſubjectionem, eumque diſſenſionum inter ſe et Graecos circa nonnullos ritus elegerunt judicem. Praeterea, quod ſatis paradoxum eſt, cum in confiniis Armeniae quaedam eſſent gentes, quae *foetentes* foetus generarent, qui, ad aquas Armenorum miſſi, ut lavarentur, foetorem, ſtatim ac baptiſmo tincti erant, amittebant, ſed qui mox ad gentiliſmum redibant, quid iiſcum agendum eſſet, conſuluerunt. Epiſcopus vero Gabulenſis in Syria, cujus opera ſedi Papali ſubjecta erat Antiochia, ad Papam venit, ut ejus opem ad obtinendas decimas inploraret, utque Chriſtianos ad expeditiones ſacras excitaret: quibus etiam promovendis omnem ab eo tempore inpendit operam Eugenius. De quo poſtea. 2. Pariſienſe celebravit concilium, a. 1147,, in quo Gilberti Porretani haereſis quidem diſcuſſa, ſed ad pleniorem Synodum Rhemenſem remiſſa eſt, Vid. Otto Friſingenſis de *geſtis* Frederici l. I. Praeterea Wilhelmum, Archiepiſcopum

copum Eboracenſem, tanquam illegitime electum, quia Stephanus, Angliae rex, eum ante electionem nominaverat, depoſuit, alio ei ſuffecto. 3. Trevirenſe habito concilio a. 1148. ſcripta S. Hildegardis, quae monaſterium ad Rhenum prope Moguntiam conſtruxerat, viſionum et revelationum plena, adprobavit, licentia ei quoque, autoritate Apoſtolica, data, proferendi, quaecunque ſibi per Spiritum cognoverit revelata, ut ex litteris Eugenii ad eam, in tomis Conciliorum, conſtat, et Trithemius in Chronico Hirſaugienſi quoque refert. De Hildegardi ſupra dixi.

§. LXV. 4. In concilio Rhemenſe, eodem anno ab ipſo celebrato, quod ab Ottone Friſingenſe, et aliis, Generale quidem adpellatur, ſed Ciſalpinarum tantum fuit Eccleſiarum, licet ex Hiſpania et Anglia quidam adfuerint, octodecim conditi ſunt canones, ad Diſciplinam pertinentes, quibus de Clericorum continentia et modeſtia in tonſura et veſtitu ſtatutum eſt, contumacibus decreta beneficiorum privatione, et Epiſcopis, qui hanc poenam ipſis non inflixerint, depoſitione, vel ſuſpenſione. Dein Eudon, vel Eon, haereticus, de quo poſtea, damnatus, et carceri mancipatus, eſt. Denique, Porretani cauſa diſcuſſa, quatuor contra ipſum ſunt ſancita capitula, nomine *Symboli* inſignita, quod a Bernardo compoſitum, et a Synodo confirmatum, eſt, in quo ipſe Porretanus fertur acquieviſſe, et abſolutus diſceſſiſſe. Vid., praeter Ottonem Friſingenſem, et Goffridum in vita Bernardi, epiſtola Gaufridi, Monachi Ciſtercienſis, qui Synodo interfuit, ad Albericum Epiſcopum Albanenſem, in tomis Conciliorum. 5. Denique concordia cum Frederico Barbaroſſa, Conradi ſucceſſore, inita, ea ſub conditione, ut ipſe Eccleſiam Romanam, ejuſque jura et bona, defenderet, et Papa ipſi coronam daret Inperialem, teſte Ottone Friſingenſe, brevi poſt turbata eſt, occaſione Guicmanni, Ciccenſis Epiſcopi, in ſedem Moguntinam tranſlati per Fredericum, cui Electores, in electione diſſentientes, rem eam detulerant, qui etiam regalia ejus

Eccleſiae in Ipſum contulerat. Quod aegre fuit Papae, juris Papalis eſſe contendenti, Epiſcopum de ſede in ſedem transferre, quare et litteris et legatione reſtitit regiae poteſtati, ut Otto refert, ſed cauſam perſequi morte, brevi ſecuta, a. 1157., inpeditus eſt. Ceterum de Gratiani corpore Canonico ab Ipſo approbato, tanquam norma judiciorum, et gradibus Academicis, ab ipſo inſtitutis, ut putatur, ſupra in Gratiano monui.

§. LXVI. *Anaſtaſius* IV., ejus ſucceſſor, qui unum tantum ſedit annum, a deceſſore ſuo in uno alterove caſu diſceſſit. Friderici utique factum ratum habuit, pallio quoque Archiepiſcopo Moguntino miſſo, nec tamen ſine multorum ſcandalo, ut Otto refert. Archiepiſcopum quoque Eboracenſem conſecratum, et ab Eugenio depoſitum, reſtituit, ac pallio donavit, ut Gulielmus Neubrigenſis, autor coaevus, narrat. De privilegiis, quae Equitibus Hieroſolymitanis conceſſit multa, poſtea. Succeſſit longe famoſior Papa, *Hadrianus* IV., natione Anglus, antea Nicolaus de Brekſpear, Cardinalis Albanenſis, qui ab a. 1154. ad 1159. ſedit. Cujus ſingulare fatum fuit, memoratu dignum. Vitam degens mendicam, quippe a Patre, monacho ob paupertatem facto, deſertus, eo etiam uſque, ut, ad idem ſaepe veniens monaſterium ſtipis gratia, fuerit a Patre repulſus, et Gallicanas petens regiones, ſe Canonicis regularibus monaſterii S. Rufi ita commendavit, ut ab iis fuerit receptus: a quo tempore egregiam ſtudiis navavit operam, adeo ut Abbas fuerit electus: unde poſtea, cum Monachi nimiam ejus diſciplinam non ferrent, ab Eugenio eſt adſumtus, et Cardinalis factus. Narrat vero Saresberienſis, ejus familiaris, in *polycratico*, eum a bonis Eccleſiae in propinquos effundendis adeo abhorruiſſe, ut, in alterum lapſus extremum, ne matrem quidem, ſenio confectam et pauperrimam, voluerit ſublevare. Reddiderunt praeterea eum multa famoſum.

§. LXVII. Cum Arnaldus Brixienſis nova rurſus molire-

tur

tur contra ſedem Papalem, Romam quoque propterea interdicto ſacro ſubjiceret Papa, Romani promiſerunt jurati, ſe ipſum cum ſociis urbe ejecturos eſſe: quo facto, reddita eſt urbi pax, ut Baronius ex anonymo de geſtis Pontificum narrat, ſed Arnaldus dirum ſubiit fatum. Poſtea enim in manus Papae incidens, et, Praefecto urbis traditus, ligno adfixus, et combuſtus, eſt, cineribus in Tiberin ſparſis: ut refert, praeter Ottonem Friſingenſem, Guntherus Ligurinus Vates in Frederico, qui rationem, quare cineres in Tiberin ſint conjecti, tradit fuiſſe, his verſibus

*Ne ſtolidae plebis, quod fecerat inprobus error.*
*Martyris oſſa novo cinereſve foveret honore.*

Wilhelmus, Siciliae Rex, filius et ſucceſſor Rogerii, offenſus, quod a Papa non Rex, ſed Dominus tantum adpellaretur, adeoque Legatum Papae non ſolum recuſaret, ſed Beneventana quoque palatia popularetur, et quaſdam Eccleſiae civitates occuparet, propterea a Papa excommunicatus, ſubditis fidelitate ſolutis, ut Vaticanus anonymus apud Baronium refert, ad ſaniorem mentem redactus eſt, cum ſe ab Optimatibus deſertum videret, et a Papa, collectis copiis, oppugnaretur, metuens quoque Manuelem, Graecorum Inperatorem, qui Papae promiſerat auxilium. Petiit itaque pacem a Pontifice, nihilque poſtulavit, quam ut abſolutus regiis titulis gauderet jure beneficiario, promiſit inſuper, ſe in verba Papae juraturum, damna Eccleſiae reſarciturum et rebelles in ordinem redacturum. Quas conditiones cum Papa, nonnullis Cardinalium repugnantibus, admittere nollet, Rex creatus arma reſumſit, Apuliam vaſtavit, Graecos et Apulos vicit, ipſum Papam Beneventi obſedit, eumque ea ratione coegit, ut in conditiones pacis conſenſerit. Quae a Baronio ex Hadriani actis narrantur. Ceterum, quod notatu dignum eſt, inter conditiones fuit, quod ſine Regis conſenſu ad Papam nulla fieret adpellatio, nec Le-

gatus Papae in regnum mitteretur, denique electio Cleri foret libera, et ad Regem, ut confirmaretur, mitteretur.

§. LXVIII. Sed in longe graviorem incidit cum Frederico Barbarossa concertationem, postquam eum coronasset Romae Inperatorem, et ab eo honoratus ac beneficio cumulatus esset. Frederico, a. 1154. Italiam ingente cum exercitu intranti, Papa sese ante non commisit, quam juramentum de conservandis et defendendis debitis Papae juribus praestitisset. Quo peracto, Papa sese Regi stitit praesentem, Rex procidit quidem ad pedes ejus, eosque deosculatus est, sed *stratoris* officium ei denegavit, sicut et Papa propterea ipsi osculum pacis, Regem contendens, ex vetere consuetudine, esse obligatum, Papae *streguam*, seu suppedaneum, tenere, ac stratoris officio fungi, dum equum conscenderet, et descenderet. Adnuit dein Rex, illudque praestitit, cum vetera consuluisset monumenta, teste codice Vaticano apud Baronium. Praestiterunt utique Inperatores et Reges, et ante hoc tempus, et post, Papis hoc officium, eoque ipso sese quasi vasallos aut Clientes Paparum professi sunt, ut multis docuit C. du Fresne ad Cinnamum Hist. lib. V., sed simul Caesaream et Regiam prostituerunt dignitatem, et Majestatem, ut recte advertit Cinnamus l. cit. Quo facto, cum Papa Romam veniens, coronam Inperii aliaque insignia accepit anno regni *quarto*, seculi *55to*: ut narrat Otto Frisingensis, et ipse Fredericus in litteris ad ipsum de *rebus a se gestis*, ibid. Inperator, qui jam antea legatos Romanos, ipsi inperium offerentes, modo privilegia confirmaret, repulerat, militibus quoque, ex consilio Papae, missis, qui Basilicam S. Petri, et civitatem Leoninam occuparent, rebelles Romanos mox in ordinem redegit, aliaque praeclara in itinere gessit, ac ad propria sic rediit. Quibus pacifice peractis, gravis subito inter eum et Papam orta est contentio: cujus historia ex Radevico Frisingensi Canonico, et Ottone a S. Blasio in adpendice ad Ottonem Frisingensem, praecipue petenda est.

§. LXIX.

§. LXIX. Cauſam duo praebuerunt facta, quorum unum Inperatori, alterum Papae, bilem movit. Inperator aegre tulit pactum Papae cum Wilhelmo Siciliae rege, quem ex Italia meditabatur expellere, ſe inſcio initum. Papa vero irritatus eſt, quod Inperator offenſus inhibuerit, ne ullus Epiſcopus, Archiepiſcopus, aut Sacerdos aliquam a Pontifice peteret beneficiorum collationem, ullave de cauſa curiam adiret Romanam. Acceſſit, quod Eskyllus, non Londonenſis, ut male in litteris Hadriani legitur, ſed Lundenſis, Archiepiſcopus, Danorum Primas, et Apoſtolicae ſedis per totam Daniam Legatus, ut poſt Sirmondum obſervavit Pagi ad Baron. a. 1157., a ſede Apoſtolica reverſus, in Teutonicis partibus fuerit captus, et in cuſtodia detentus, abſque ut Inperator ejus dimiſſionem curarit: uti Papa in litteris ad Inperatorem conqueritur. Scripſit enim animo exulcerato litteras ad Inperatorem, quas cum duobus Legatis, Rolando Cancellario, et Bernardo S. Clementis Presbytero, miſit, quae acrimoniae plenae Inperatorem vehementer exacerbarunt. Inter alia enim, ut, quantum in Inperatorem contuliſſet, ei in mentem revocaret, dixit ſuperbus Papa, *ſe Inperialis inſigne coronae in eum contuliſſe, et illud beneficii loco eſſe habendum.* Quod dictum Inperator cum Principibus intellexit, acſi Papa indicatum voluerit, Inperatorem Papae acceptum ferre debere Inperium, illudque velut *feudum* tenere a Romana ſede; nec ſine ratione, quia nonnullos Romanorum palam adſerere ipſum non latebat, Inperium urbis, et Regnum Italicum, donatione Pontificum Reges hactenus poſſediſſe, nec dictis tantum proferre, ſed et ſcriptis, ac picturis, repraeſentare: qualis fuit etiam pictura ab Innocentio II. in palatio Lateranenſi poſita: cujus ſupra ſuo loco memini. Adceſſit, contentione hac ſuper re inter Principes et Legatos orta, dixiſſe alterum Legatorum, *a quo igitur habet, ſi a Domino Papa non habeat Inperium.* Quae verba Ottoni, Palatino Comiti de Bojoaria, adeo moverunt bilem, ut gladio exſerto Legatum occidiſſet, niſi

Inperator motus ſedaſſet, et Legatis, ut quantocyus Romam redeant, juſſiſſet, abſque ut aliquem Epiſcopum aut Abbatem conveniant. Miſit mox Inperator circulares Litteras ad omnes Principes et Epiſcopos, quibus de injuria ſibi a Papa et Legatis illata conqueſtus eſt, eoſque ad eam vindicandam excitavit, contendens, ſe per electionem Principum, non a Papa, ſed ſolo Deo, Regnum tenere et Inperium. Papa, cum, Legatis reverſis, Cardinales inter ſe diviſi eſſent, aliis Papae, aliis Inperatori, faventibus, ſcripſit ad Epiſcopos Germaniae, ut Inperatoris iram lenirent, ipſumque rectiora docerent, ſed reſponſum ab iis tulit, ſe Papae cauſam tueri non poſſe, quippe feciſſe quod poterant, nec aliud ab Inperatore accepiſſe reſponſum, ac, *ſe debitam Papae reverentiam libenter exhibiturum, ſed liberam Inperii coronam divino tantum beneficio adſcribere:* ſuadent itaque Papae, ut mitioribus litteris animum Inperatoris demulceat.

§. LXX. Quorum ſecutus conſilium, novos anno ſequente 1158. miſit cum modeſtioribus litteris Legatos, vocesque *beneficium* et *conferre coronam* ita eſt interpretatus, ut *beneficium* non pro feudo, ſed ſimpliciter bono facto, *conferre* non pro dare pleno jure, ſed *inponere*, capienda ſint. Quibus delinitus Inperator pacem et amicitiam ſpopondit Papae, et Clero Romano, ſed mox novae diſcordiae ſemina jacta ſunt. Papam offendit, quod Inperator *hominium* ab Epiſcopis et Abbatibus Longobardiae accepiſſet, et *regalia* ab iis exegiſſet, quodque, in Papae contemtum, nomen ſuum praepoſuiſſet in Litterarum inſcriptionibus nomini Papae, dictionibus etiam ſingularis numeri, et non pluralis, uti mos erat inter illuſtres perſonas, adlocutus eſſet Papam. Inperator vero aegre tulit, quod Papa ſe regalibus opponeret, praeterea Guidoni, Romanae Eccleſiae ſubdiacono, promotionem ad ſedem Ravennatenſem, ipſi ab Inperatore deſtinatam, denegaſſet. Quibus de rebus cum acerbae litterae utrinque eſſent miſſae, et aliae rurſus

ad

ad pacem conciliandam, honorifica tandem legatio quatuor Cardinalium ad Inperatorem destinata est a. 1159., qui haec capitula ei proponerent adsumenda et firmanda. 1. ne Inperator nuncios, inconsulto Papa, Romam mittat, cum Magistratus et regalia urbis essent juris B. Petri 2. ne de agris et locis, ad dominium Papae pertinentibus, pabulum equorum colligatur, nisi tempore Inperialis coronationis. 3. ut Italiae Episcopi sacramentum fidelitatis, sine hominio, praestent Inperatori, 4. Inperatores minime sibi jus hospitii in palatiis Episcoporum sumant, 5. ut possessiones Ecclesiae Romanae, et tributa Ferrariae, massae totius terrae Mathildis, ducatus Spoletani, insularum Sardiniae et Corsicae, restituantur. Denique 6. ut concordia inter Eugenium et Inperatorem sarta tecta maneat. Ad quae respondit Fredericus, dominium urbis sibi non posse eripi, cum divina ordinatione Inperator sit, Episcoporum Italiae se missum facturum hominium. si et illi regalibus renuncient: nuncios non esse in palatiis Episcoporum recipiendos, si ea non sint in regali, sed proprio solo. Praeterea et sua gravamina proposuit, de violatis pactis de Graecis, Siculis, Romanis, non nisi communi consensu, recipiendis; de Cardinalibus sine permissu Inperatoris libere per regnum transeuntibus, et Ecclesias gravantibus, de injustis adpellationibus etc. Duravit contentio ad Papae mortem usque, quae brevi secuta est eodem anno 1159.

§. LXXI. Ingente schismate, causa electionis Papae, exorto, cum alii Cardinales, quorum caput erat Octavianus, a partibus Inperatoris starent, alii, duce Rolando, se opponerent, electus est, ut tradunt Gulielm. Neubrig., l. II. et Chronographus Reichersperg. a. 1159., a longe pluribus Cardinalibus, Rolandus, dictus *Alexander* III., a reliquis, sed paucis, Octavianus, sub nomine *Victoris* IV. Sed Radevicus et Otto de S. Blasio, novem Cardinales a partibus Victoris stetisse, tradunt, quatuordecim, vel undecim, a parte Alexandri. Victoris vero factione in urbe praevalente, Alex-

ander cum suis secessit Nymphas, haud procul ab urbe, ibique coronatus est ab Episcopo Ostiensi, cujus erat Papam consecrare, praesentibus multis Cardinalibus, Episcopis, et aliis, *mitra turbinata cum corona*, quae alias *Regnum* dicitur, ut autor coaevus, anonymus Vaticanus, habet apud Baronium. Ceterum, ut id obiter observem, licet *coronationis* prima occurrat in Nicolao I. mentio, *thiarae* vero ac *mitrae* in Gregorio VII., ut ex superioribus patet, *mitra* tamen *turbinata* cum *corona* nusquam ante hoc tempus memoratur, quamvis, qui mitrae, et mitrae turbinatae, meminerunt, addant, *more solito* Papam ita fuisse coronatum. Erat autem mitra turbinata eadem, ac qua nunc utuntur Papae, hoc tantum cum discrimine, quod hoc recentiore tempore mitra habeat tria coronamenta, seu tres circulos aureos, cum antea unum, vel duo tantum, fuerint. Mitra cum uno coronamento duravit usque ad Bonifacium VIII., qui secundum adjecit, sicut tertium Urbanus V. Hac autem mitra, quae etiam *regnum*, *corona*, *thiara*, *phrygium*, *mitra aurifrisiata in circulo sine titulo*, adpellatur, non tantum utebantur in coronatione et inthronizatione, sed et in consistorio, ac sede judiciali, aliisque magnis festivitatibus: a qua duae aliae mitrae distinguendae sunt, altera *alba*, cujus usus est diebus Dominicis, et non festivis, ab adventu Domini ad vigiliam nativitatis Domini in vesperis, excepta tertia dominica de adventu, altera *aurifrisiata* in circulo et in titulo, in multis festivitatibus usitata. Vid. caerimoniale Romanum, jussu Gregorii X. publicatum, et ordo Romanus apud Mabillon. in Mus. Ital. tom. II. Ceterum Papa mitram turbinatam, seu *regnum*, fert in signum Inperii, *mitram* scilicet non turbinatam, in signum Pontificii; ut verba habent Innocentii III. in sermone de S. Sylvestro.

§. LXXII. Papa Octaviano, seu Victore IV., paucis diebus post etiam consecrato, a tribus quoque Episcopis, in Abbatia Farfensi prope Romam, ut Chronographus Reicherspergensis refert, duo hi Papae se mutuo excommunicarunt,

runt, Alexander Victorem octava die post consecrationem, testibus litteris ejus ad Bononienses, Victor Alexandrum haud diu post, ut Radevicus docet, et Gulielmus Neubrigensis confirmat, qui addit, utrumque partes suas Ecclesiarum, et Nobilium, favoribus muniri curasse. Scissus quoque est in Occidente orbis Christianus in partes. Inperator Fredericus Victoris partes omni ope tuitus, convocata Synodo Papiense, ad eam Papas citavit, totius orbis invitavit Episcopos: venerunt quidem cum Victore Episcopi Germaniae et Italiae quinquaginta; sed Alexander comparere recusavit, contendens, nec Inperatoris esse Synodum sine Papa cogere, nec Papam ullius subesse judicio. Habito concilio a. 1160. Victor est agnitus, et inthronizatus, Inperatore fraenum equi, et stivam sellae, tenente, et de equo suscipiente. Alexander vero cum praecipuis fautoribus, accensis candelis, est anathematizatus, ac Satanae traditus: ut praeter Radevicum refert Chronographus Reicherspergensis. Quo facto, atrocia mox publicavit edicta Inperator, multosque Episcopos et Monachos, in primis Cistercienses, Alexandro adhaerentes, sedibus expulit, teste Helmoldo in chron. Sclavorum cap. 90. Nec quievit Alexander, sed Inperatorem solenniter excommunicavit, subditis a fidelitate absolutis eodem a. 1160., et legatos quaquaversum, ad Reges, Principes, et Episcopos in partes trahendos misit, optimo cum successu. Transierunt enim ejus in partes Ludovicus Franciae, Henricus Angliae, ut et Hispaniae, Siciliae, Hungariae, Daniae, et Hierosolymae Reges, ut tradit Helmold. Chron. Sclavorum l. I: 92., ipse etiam Inperator Graecorum, ad petitionem Ludovici, teste epistola Manuelis ad Ludovicum apud Duchesnium de rebus Francicis tom. IV., praeter multos Episcopos, Patriarchas, et alios, Frederico frustra in Regibus Franciae et Angliae sibi devinciendis laborante. Coacto praeterea ex utriusque illius regni Episcopis concilio Tolosano, Alexander susceptus, et Victor cum suis anathemate est

 ictus;

ictus; ut, praeter Gulielmum Neubrigensem, refert Gerhohus Reicherspergensis, in Bavaria Praepositus, lib. I. de *investigatione Antichristi.* Interea, Synodo Laudensi in Italia, ab Inperatore et Victore habita eodem anno, confirmata sunt acta Papiensia, ut narrat Otto Murena in Chron. Laudense.

§. LXXIII. Alexander deinde, cum nec in Italia tutus, nec liber ibi ad eum esset aditus, itinere in Galliam suscepto, concilium habuit apud Montem Pessulanum a. 1162., a quo sententia in Victorem, ejusque fautores, confirmata est, teste epistola Papae ad Episcopum Viennensem, et concilio Monspeliensi a. 1165., ubi ejus fit mentio. Quae omnia a. 1163. in concilio Turonensi, cui Praesules ex Gallia, Anglia, aliisque locis, magno numero interfuerunt, ulterius sunt sancita, ut ex actis concilii patet; ubi decem quoque conditi sunt canones, quorum unus omne commercium cum Albigensibus vetat, usque ad emtionem et venditionem, alius medicinae praxin, physicas confectiones, et legum civilium studium interdicit viris religiosis. Perrexit dein Senonas, ubi usque ad reditum in Italiam moratus est, seu a. 1165., et universalis Ecclesiae negotia tractavit. Hic etiam, convocatis in unum Scholasticis, aliisque Litteratis, cum multae et variae vigerent de fide sententiae inter Magistros Francigenas, severe interdixit *omnes tropos, et indisciplinatas quaestiones in Theologia*: ut Chronicon Reicherspergense ad a. 1164. tradit.

§. LXXIV. Mortuo eodem anno Victore IV., cujus superbiam, pravosque mores, in specie crudelitatis, depinxit Petrus Blaesensis ep. 48., ubi inter alia dicit, se fuisse praesentem, ubi *se faciebat, tanquam statuam, adorari*, suffectus ei est Guido, Episcopus Cremonensis, et Cardinalis, et ab Henrico, Episcopo Leodiense, consecratus, dictusque *Paschalis* III., eodem Reicherspergense teste. Confirmatus mox est a. 1165. in conventu Wirziburgense, vel Herbipolensi, Inperatore, omnibusque Praelatis, ipsi obedientiam juramento promittentibus, et Alexandro, ejusque successoribus,

ribus, in perpetuum renunciantibus. Quod ipſum juramentum, ut a ſucceſſoribus in Inperio, et omnibus Epiſcopis, praeſtaretur, ſtatutum eſt: ut idem autor tradit. Interea Romam rediit Alexander, a Romanis, moleſtiarum pertaeſis, mortuo Victore, revocatus a. 1165., et ingente cum laetitia ac pompa ſuſceptus eſt: ut ejus acta habent, et epiſt. ad Henricum Epiſcopum Rhemenſem, in tomis Concil. Nec tamen diuturnas ibi trahere potuit moras. Inperator enim, metuens, ne Italiae regnum perderet, in Italiam ſuſcepit a. 1166. expeditionem, et, habito generali conventu apud Roncaliam, in quo, ut Paſchalis defenderetur, Alexander deturbaretur, decretum eſt, Romam a. 1167. venit. Addit Acerbus Morena, qui illud tradit, Inperatorem a Paſchali, qui Viterbii morabatur, fuiſſe evocatum, ut quantocyus in ſede collocaretur. Romani, ab Inperatore obſidione preſſi, eum acceperunt, foedere quoque pacto polliciti, ſe Paſchalem, miſſo Alexandro, recepturos eſſe. Alexander interea fuga elapſus eſt Beneventum, poſtquam Inperatorem in concilio Lateranenſi denuo excommunicaſſet, et ſententia lata privaſſet Inperio. Habitum illud concilium eſſe a. 1160.. ex Johanne Saresberienſe, et aliis, probavit Pagi ad Baron. Sed Inperator, peſtilentia exercitum abſumente, brevi coactus eſt diſcedere, a. 1168., nec ſine ignominia, a Lombardis, foedere contra ipſum inito, expulſus ex univerſa Longobardia, Paſchali Viterbium remiſſo. Vid. Morena, et Chron. Reicherſperg. Paſchali dein eodem anno defuncto, ut Johannes de Ceccano in Chron., et alii, teſtantur, ſubſtitutus eſt Abbas Strumienſis, ſub nomine *Calliſti* III., et ab Inperatore adprobatus. Pars autem Alexandri nova accepit incrementa. Populo enim Tuſculano ad proprietatem Eccleſiae recepto a. 1170., ut acta Alexandri tradunt, et Anonymus Caſſinenſis confirmat, Romam denuo magno cum honore intravit a. 1172., et receptus eſt, ut ipſe narrat in epiſt. ad Gradenſem Patriarcham et Epiſcopos Marchiae.

§. LXXV. Tandem, cum Inperator, multis in Italia adfectus cladibus, res ſuas amplius tueri non poſſet, animum ad pacem cum Alexandro ſincere ineundam ſerio adplicuit, a. 1176., et ſingulari ratione perfecit. Quam hiſtoriam nuper egregie enarravit Giannone hiſt. Neapolit. l XIII., nos ſummatim et ſuccincte trademus. Convenit inter Legatos Inperatoris et Papae, in unum coactos, ut Inperator reverentiam exhibeat Alexandro, pacem ei et ſucceſſoribus relinquat, praefecturam urbis, et terram Comitiſſae Mathildis, reſtituat, regalia et poſſeſſiones Petri ablatas reddat, denique quae de Calliſto ſtatuantur obſervet: Alexander vero Clericis, ac aliis, in itinere Venetias, vel Ravennam, ubi Papa occurreret Inperatori, ſecuritatem praeſtaret et pacem. Quas conditiones ex chartula originali exhibuit Pagi ad Baronium a. 1176. His conditionibus iterum prope Venetias, ubi Legati convenerant, firmatis, et Regi Siciliae inſuper per 25 annos pace conceſſa, nec non Longobardiae induciis ad ſex annos, Fredericus venit Venetias, et per Cardinales, a Papa ablegatos, poſteaquam Antipapam abjuraſſet, et Alexandro promiſiſſet obedientiam, abſolutus eſt cum Principibus et Epiſcopis ſuis, eodem vinculo conſtrictis. Quando, ad Papam adductus, ſe depoſita chlamyde coram eo proſtravit, pedeſque deoſculatus eſt, eaque ratione ad oſculum pacis admiſſus, a Papa benedictionem recepit et communionem. Quae omnia mox in Synodo Venetiis confirmata ſunt, et, pace reſtituta, diſceſſum eſt. Veſtitur quidem haec reconciliatio nonnullis circumſtantiis, ſed ſolido deſtitutis fundamento. Narratur, Papam juſſiſſe Inperatori, coram toto populo, ut ſe proſterneret, et pacem inploraret, eoque facto, caput ejus pede ſuo preſſiſſe, et, verbis Pſaltis ſibi adplicitis, dixiſſe, *ſuper aſpidem et baſiliſcum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem*, Inperatorem autem retorſiſſe, *non tibi, ſed Petro*, Papam repoſuiſſe, et *mihi* et *Petro.* Cum vero aequales autores, ut acta Alexandri, Romualdus, Archiepiſcopus

copus Salernitanus, qui adfuit, inter Ital. Scriptores Muratorii tom. VII., de quo vid. Biblioth. Italica tom. VI., Rogerius de Hoveden, Matthaeus Parifienfis, Gulielm. Tyrius, Goffridus Vofienfis, aliique vetufti, de eo fileant, merito accenfetur fabulis. Quid? quod Gervafius Tilberienfis in *Otiis Inperial.* decif. II. cap. 19., qui praefens adfuit, dicat, *in concilio Veneto poenitentem Inperatorem ad finum matris Ecclefiae regreffum, intuiti fumus, cum fumma humilitate ftolam per manus fanctiffimi Papae Alexandri, quam dedit Pater poenitenti filio, recepiffe.* De quo vid. Rupertus ad Befoldum, Herm. Conringius, Reinefius epift. 56., alios ne memorem. De fabulae origine, ex nimis licentiofa pictura, quae Venetiis confpicitur, petenda, vid. Heumanni *Poecil* tom. III. Nec tamen hac firmata pace fchifma mox finitum eft. Calliftus quidem, depofito Pontificatu, poftquam in Synodo degradatus, et ab omnibus defertus effet, ad pedes Alexandri devolutus pacem petiit, et inpetravit a. 1178., ut Romualdus Salernitanus, Anonymus Caffinenfis, et alii, tradunt, eodem etiam anno defunctus: fed fchifmatici ei fuffecerunt Landum Sitinum, fub nomine Innocentii III., ut Johannes Ceccanus, et auctarium Aquicinctinum ad a. 1179., tradunt, qui tamen mox ab Alexandro captus eft, et in exilium relegatus ad Cavas, ut, praeter Ceccanum, refert Anonymus Caffinenfis. Quando fchifma, quod annos 21 duravit, fi Innocentii fit habenda ratio, penitus eft finitum. Ceterum, *iftud fuit fchifma principale decimum in Ecclefia militante*, inquit autor *magni Chronici Belgici* a. 1159., *et vicefimum minus principale, quod per annos fere novendecim duravit, et innumera hominum millia ad inferos tranfmifit.*

§. LXXVI. Moleftiis hac ratione fuperatis, et fere finito fchifmate, Pontifex generale illud et famofum indixit concilium *Lateranenfe* III., et generale XI*mum*, a. 1179., litteris convocationis ad Epifcopos Tufciae, et fic ad univerfos orbis Epifcopos, miffis a. 1178., quae fuperfunt. In-

terfuerunt 300 Episcopi, quorum catalogum ex antiquo MSS. recenset Dacherius in Spicilegio; tribus vero sessionibus est absolutum. Causae autem et acta fuerunt sequentia. 1. Prima causa est, ut schismata in Paparum electione vitarentur, et schismatici damnarentur. Quo fini decretum est, ut Pseudo-paparum ordinationes habeantur irritae, nec ante recipiantur schismatici, quam schisma sub certa formula ejurassent: denique, ut, ad praeveniendum schisma, nulla Pontificis Romani electio habeatur rata, nisi duabus Cardinalium partibus consentientibus, diris additis inprecationibus, si quis a tertia parte electus se Papam gerat. Quod decretum observatur etiamnum. 2. Secunda causa fuit exstirpatio Waldensium et Albigensium; cujus respectu ultimus canon fert, ut contra eos arma suscipiantur, promissa militibus eadem indulgentia, quae cruciatis, praeterea omne commercium cum iis vitetur, sicut in Turonensi concilio a. 1163. factum fuerat, quod hic renovatum est. Statuitur quoque, eos, una cum fautoribus, confiscatione bonorum et servitute plectendos esse, si ita visum fuerit Principibus. Ceterum notatu dignum est, haereticis simpliciter dici anathema, et fideles prohiberi aliquid commercii cum illis habere, quod ipsum ad defensores, et receptores, eorum extenditur: sed bellum contra eos indici, non qua tales, ut praetendit Synodus, et passim solent persecutores, sed qua praedones, et grassatores in Ecclesias, (quae crimina ipsis fuerunt inputata) monasteria, et fideles qualescunque: quales praedones ibi adpellantur Brabantiones, Arragonenses, Navarri, Basculi, Coterelli, et Triavardini. 3. Tertia causa fuit collapsae disciplinae instauratio: cui multi inservierunt canones: inter quos sunt, qui, Episcopum ante trigesimum aetatis annum eligi, vetant, quia juvenes hoc seculo ad Ecclesiasticas saepe promovebantur dignitates, Simoniam qualemcunque damnant, Templarios, Hospitalarios, aliosque religiosos, qui, privilegiis suis non contenti, multa contra Episcopalem autoritatem praesumebant,

bant, conſtringunt, Laicas proſcribunt electiones, denique Clericorum continentiam ſanciunt. Tandem Petrus Lombardus, quod dixerit, Chriſtum *non eſſe aliquid ſecundum quod homo eſt*, de quo ſupra egi, a Papa mox poſt concilium eſt damnatus, ſeu potius, Lombardo non nominato, ejus modo memorata opinio, Cardinalibus, ne Lombardus proſtitueretur, pro eo intercedentibus.

§. LXXVII. Praeter graviſſimam hanc cum Frederico et Anti-papis concertationem, alia ipſi cum Henrico II., Angliae Rege, interceſſit propter Tomam Beccetum, Eccleſiae Cantuarienſis primo Archidiaconum, dein Henrici Cancellarium, denique Archiepiſcopum Cantuarienſem ab a. 1162. Quae, valde memorabilis, hiſtoria petenda eſt ex Hiſtoricis Neubrigenſi, ac Matthaeo Pariſienſi, nec non ex actis Tomae, a quatuor familiaribus ejus conſcriptis, quae, edita cum ejus Epiſtolis a. Chriſt. Lupo, ſuperſunt. Cauſae praecipue fuerunt duae, quae Regem et Tomam ſecum commiſerunt, *altera*, quod ad Regaliam non tantum cenſuerit Rex pertinere, ut, vacante ſede Epiſcopali, ipſe reditus percipiat, et de iis diſponat, ac beneficia, cum animarum cura, vel jurisdictione, non conjuncta, conferat, quippe quod Regibus Angliae aeque ac Galliae licebat, ut contra Lupum, qui hanc regaliam putat praecipuam fuiſſe controverſiae caput, demonſtravit Natalis Alexander Diſſ. X. ad hoc ſec., ſed quod ſedes diu teneret vacantes Rex, ut reditus perciperet, quodque eos non, ut oportebat, ad pios converteret uſus, ſed ut *Dominicos*, ſeu ſuos, *tractaret*, ut capitulum 12*mum* Clarendunenſe habet; quod praeterea Rex electionum libertatem inpediret, dein nullus eligi poſſet, niſi quem Rex deſignaſſet, ipſe etiam beneficia cum cura animarum connexa conferret, vacante ſede Epiſcopali. *Alteram* cauſam praebuit contentio de jurisdictionis Eccleſiaſticae et Regiae finibus, dum Rex facinoroſos Clericos tradi voluerit Curiae ſeculari, quia ad eorum facinora, ſatis frequentia, connivebatur ab Eccleſia, vel poenitentiae tantum poe-

nis vindicabantur. Quibus rebus cum Tomas sese opponeret, Rex ipsum, ceterosque Episcopos, convocavit apud Westmonasterium a. 1163., eosque rogavit, post aliquas de jure regio et libertate Ecclesiae disputationes, num *regias* observare vellent *consuetudines?* Tomas suo et Episcoporum nomine respondit, se velle *salvo ordine* suo; uno Hilario, Cestriensi Episcopo excepto, qui declaravit, se velle *bona fide.* Quae restrictio Regi displicuit non tantum, sed et, cum Tomam permovere non posset, iram concitavit, ita ut munitiones, et honores, Tomae, cum esset Cancellarius, commissos, abstulerit, et iratus discesserit. Detulit mox Tomas querelas ad Papam, qui ipsum in proposito confirmavit. Interea, sive responsum a Papa nondum receperit, sive metu, aliorumque consiliis, et adhortationibus, compulsus, se Regi praestiturum obedientiam promisit. Quando Rex generalem ordinum conventum Clarendunam convocavit a. 1164., in quo Tomas cum Episcopis coactus est promittere, se Regis consuetudines *bona fide* observaturum. Quare illae mox ad sedecim capitula redactae et conscriptae sunt, inter quae erant: ut Ecclesiae de feudo Regis sine ejus concessione non darentur, ut Clerici, a regio Judice citati, se sisterent, nullique facinorosi ab Ecclesia defendi possent, Episcopis, sine Regis consensu, Regno exire non liceret, nullus extra Regnum *adpellaretur* Judex sine Regis adsensu: praeterea, ut Archiepiscopi, Episcopi, et universae personae Regni, in possessionem mitterentur a Rege, et de ejus manu acciperent investituram, ut reditus sedis vacantis cederent Regi, tanquam *dominici* reditus, nec nova fieret electio, nisi Rex potiores mandaverit personas, fieretque electio in Capella Regis, ejusque adsensu, et, nisi electus homagium et fidelitatem praestet Domino Regi, sicut ligio Domino suo, non consecraretur.

§. LXXVIII. Quibus consuetudinibus quamvis Tomas cum Episcopis mox, quod Rex volebat, subscribere abnuerit, cum tamen eas sine exceptione adsumturum esse jura-

tus

tus promiserat, poenitentia ductus, ab Alexandro petiit, et inpetravit absolutionem, et ab eo tempore sese illis obstinate opposuit. Quare Rex, missa ad Papam legatione, constitutionum Clarendunensium petiit confirmationem, nec non legationis Papalis honorem pro sede Eboracense. Prius cum Papa recusaret, posterius cum hac restrictione concederet, ne Eboracensis in Cantuariensem jus haberet, nec Anglicani Antistites ab obedientia, Cantuariensi debita, essent absoluti; Rex minime contentus Episcopos convocavit Northamtonam a. 1164., et Tomas in jus vocatus est; ut, inter alia, redituum sedium vacantium, quos qua Cancellarius perceperat, rationem redderet, simul consuetudines adsumeret. Sed Tomas, cum non compareret, mox prima sessione damnatus, bonis ejus mobilibus fisco addictis, Papam adpellavit, et ex Anglia aufugit ad Papam, a quo benigne est susceptus in patrocinium, sententia quoque in eum cassata, et praecipua Clarendunensia capitula damnata sunt. Quo commotus Rex, reditus Cantuariensis, et omnium Clericorum ipsi adhaerentium, fisco addixit, omnesque eorum cognatos regno expulit. Imo legatos ad Alexandrum misit, qui ipsi, nisi consuetudines Angliae firmaret, minarentur, Regem ipsius obedientiae renunciaturum, et Antipapae adhaesurum esse. Quod Legati, per Germaniam euntes, quoque effectui mox dederunt in concilio Herbipolense, quod tum celebrabat Fredericus, teste Cod. Vaticano apud Baronium ep. 70. et 72., nescio forte, nec adprobante, Henrico, quem Alexandro semper adhaesisse testatur Episcopus London. ibid. ep. 70. et 71. Sed nihil remisit Papa, quin Tomae legationem Apostolicam per totam Angliam restituit, utque reditus ipsius intercepti reddantur jussit sub anathemate. Qua autoritate munitus Tomas constitutiones Clarendunenses damnavit, Episcopos a juramento praestito absolvit, omnesque earum observatores et exactores excommunicavit, una cum legatis, qui cum schismaticis communicaverant in Germania; imo ipsi Regi, nisi resipiscat, minatus

est excommunicationem. Quae omnia confirmavit Papa, et minaces insuper scripsit ad Regem litteras.

§. LXXIX. Quod fulmen ut Rex praeveniret, Episcopos et Proceres Cismarinarum ditionum suarum convocavit Chinonium, Provinciae Turonensis oppidum, prope P.ctonas a. 1167., sed a quo conventu inprudenter admodum decretum est, adpellandum esse ad sedem Romanam, et ad ejus tribunal causam esse deferendam, quippe quo causam suam prodidit Rex, maxime, cum in Synodo Clarendunensi adpellationes prohibuisset. Tomas vero adpellationem esse ludificatoriam declaravit, eamque ab obedientia non dispensare, adeoque se in proposito perrecturum, et, ni Rex resipiscat, minas executurum. Convenerunt quidem Reges, Galliarum Ludovicus VII., qui se sequestrem pacis obtulit, et Henricus, cum Toma in unum, sed, cum Tomas, licet Rex Angliae nihil aliud, quam quod Decessores habuerant, peteret, flecti nullo modo potuerit, ut aliquid remitteret, nihil peractum est: noluit Tomas clausulam illam, *salvo honore Dei*, silentio premere. Nec aliam habuit sortem alia Papalis in Angliam legatio, cum Rex pacem nollet, nisi adjectis verbis, *salva dignitate Regni*, nec Tomas vellet, nisi *salvo suo ordine et fidelitate Romanae Ecclesiae.* Quae omnia itaque cum in fumum abiissent, Rex Galliae, qui Tomae inpense favit, praecipue, ut Regi Angliae, cui infestus erat, aegre faceret, et Archiepiscopus Senonensis, Alexandrum Papam, pio, pro more seculi, zelo incitati, obsecrarunt, ut Interdicti Sacri sententiam ferret in Regnum Angliae. Quod, ut Rex praeveniret, severo promulgato edicto, a. 1164., adpellationes Papales non tantum prohibuit, sed et interdixit, ne quis *interdicti* sententiam deferat in Angliam, aut ei pareat, omnes praeterea Clericos, extra Regnum degentes, revocavit intra statutum tempus, peregrinos Regno ejecit, neminique eo adpellere, nisi permissu Regis, et litteris ejus munito, concessit. Exstat edictum apud Baronium a. 1164. Decreta quoque legatio nova est ad Papam, sed quae eundem habuit effectum.

§. LXXX.

§. LXXX. Acceſſit mox novus caſus, qui contentionem reddidit acerbiorem. Rex filium ſuum inaugurari, et quidem ab Eboracenſe Archiepiſcopo, a. 1170. cum ſtatuiſſet, quod a Cantuarienſe alias fieri ſolebat, Papa, hoc audito, Eboracenſi illud, ſub poena depoſitionis, interdixit, et reliquis Praeſulibus Tomas. Quo non obſtante, coronatio eodem anno ab Eboracenſe peracta eſt, et Rex juramento adegit ſubditos ad omnem obedientiam Papae et Tomae abnegandam et ejurandam. Cujus rei brevi poſt poenituit Regem. Miſſis enim a Papa legatis, qui niſi pax cum Toma iniretur, ſententiam interdicti publicarent, additis etiam litteris, quibus Regi eandem ſententiam minatur, quam tulerat in Fredericum, Henricus fractus ſe ad pacem faciendam demonſtravit inclinatum. Legatis itaque in unum cum Rege et Toma coactis, Rex pacem reſtituit Tomae et exulibus, Eccleſiae poſſeſſionum reſtitutionem promiſit, ut et Filii coronationis repetitionem, imo, ut Papae ſententia in Eboracenſem Londonienſem, et Sareſberienſem, qua ab officio erant remoti, executioni mandaretur, conſenſit; nulla conſuetudinum regni facta mentione. Qua ratione finita controverſia, et Toma ad Eccleſiam reverſo a. 1170., cum Regii miniſtri Tomam adirent, nomine Regis poſtulantes, ut ſuſpenſos et excommunicatos Praeſules abſolveret, ipſe vero illud ſe facere poſſe negaret, niſi Papae accedente autoritate, ſaltem, niſi prius praeſtito juramento obedientiae Pontifici, et ſalva ſedis Apoſtolicae reverentia; Praeſules, ab eo alieni, Tomam denuo, tanquam regni et pacis perturbatorem, Regis hoſtem, et Epiſcoporum perſecutorem, accuſarunt apud Regem, qui, hoc audito, in haec inprudenter erupit verba, *ſi fideles haberem miniſtros, hic homo me adeo non vexaret.* Quibus quatuor excitati ſatellites, in necem Tomae conſpirarunt, eumque in ipſa Eccleſia, tempore officii veſpertini, poſt multa convitia in ipſum conjecta, nefarie trucidarunt, a. 1170. Vid. praeter alios Johannes Saresber. Ep. 286. ad Johannem Pictav. Epiſcopum.

§. LXXXI. Quam caedem, etsi ipso inscio et invito perpetratam, ut ipse Rex testatus est, et ipso facto demonstravit, cum, si verum sit, quod Hume, insignis historicus, in hist. Angliae t. I. refert, sinistri aliquid ex verbis modo prolatis suspicatus, per nuncium satellitibus injunxerit, ne aliquid contra Tomam moliantur, gravi, et contumeliosa admodum, poenitentia luere debuit miser Rex, tantum quia inprudente dicto praebuerat occasionem. Juravit itaque coram Legatis, tactis euangeliis, se caedem nec inperasse, nec adprobasse, imo vehementer doluisse, attamen ansam dedisse, ideoque ad omnem poenitentiam et satisfactionem a Papa inpositam esse promtum paratumque. Sequentes itaque ipsi praescriptae sunt conditiones 1. ut suis sumtibus ducentos aleret in Palaestina milites. 2. Ipse, si opus fuerit, contra infideles iret cum exercitu. 3. Illicitas consuetudines in Regno cassaret, et adpellationes ad sedem Apostolicam libere permitteret. 4. Ecclesiae Cantuariensi omnia bona et privilegia redderet. Injunctum praeterea ipsi est, 1. ut, ad Tomae tumulum tendens, ibi nudis pedibus, et flexis genibus, veniam cum lacrymis precaretur. 2. veste exuta, in Monachorum capitulo, a singulis fratribus virgis caesus ternos, vel quinos, secundum alios unum ictum, reciperet. Conditionibus modo memoratis juramento admissis, Regem, poenitentis habitu veniam ante fores postulantem, absolverunt Legati, et in Ecclesiam introduxerunt. Ceterum de Tomae miraculis certior factus Papa, eum canonizavit a. 1173. Miracula autem jactata sunt tam multa et singularia, ut Christi et Apostolorum longe superaverint. Ipse Johannes Saresber. epist. XC. lib. V. epistolarum S. Tomae dicit, ipsum *alios, de quibus legerim vel audierim in miraculorum exhibitione praecessisse.* Praeterea progressu temporis, jubilaeo etiam instituto in ejus honorem, incredibilis fuit undiquaque hominum confluxus ad sepulchrum ejus visitandum, adeo ut ex gr. a. 1420. supra quinquaginta millia fuerint, qui eo tetenderint.

§. LXXXII. Reliqua Alexandri acta leviter perstringam, 1. Hibernia a. 1171. subjecta, ad quam occupandam, et Ecclesiam ibi dilatandam, acceperat Henricus ab Hadriano IV. licentiam a. 1155., diplomate dato, quod recenset Matth. Paris. a. 1155., et eo nomine notabile, quod *ad jus S. Petri et sacrosanctae Ecclesiae Romanae* adserat Papa pertinere *omnes insulas, quibus sol justitiae Christus illuxit*, Henricus, coacto concilio a quatuor Archiepiscopis, et 28 Episcopis, quot tunc ibi erant, receptus cum esset *Dominus*, regnum Hiberniae ipsi, et haeredibus, Angliae Regibus, confirmatum est a Papa. Vid. Rogerus Hovedenus. 2. Concessit quoque Alphonso I. *Regis* Portugalliae titulum, quem ipse quidem sub Innocentio II. sibi sumserat, sed Papae nondum agnoverant: concessit vero ei Alexander, ob res praeclare contra Saracenos gestas: ut habet epist 99. lib. I. Innocentii III. edit. Baluz. Diploma adhuc adservari testatur Baronius. Rex quoque regnum suum Romanae obtulit sedi, sub annuo duarum auri marcharum censu. 3. Notatu in primis digna est legatio sic dicti *Presbyteri*, vel, ut Otto Frisingensis eum adpellat, *sacerdotis Johannis*, qui etiam *Pretejannus* adpellatur, Indorum Regis, ad Papam, per Philippum Papae Medicum, ibi peregrinatum, additis litteris, quibus instructionem a Papa petit in fide et cultu Romanae Ecclesiae, utque Romae habeat Ecclesiam, ubi missi ab eo viri habitare queant: rescripsit Papa per eundem medicum, se eum mittere legatum, qui Regem erudiat, et Ecclesiam daturum esse. Exstant litterae apud Hovedenum, earumque inscriptio apud Radulphum, Matthaeum Parisiensem, et alios, habet, *Alexander Papa charissimo in Christo filio Presbytero Johanni, illustri et magnifico Indorum Regi:* additur quidem apud Hovedenum, *sacerdotum sanctissimo*, sed illud ei insertum est. Esse hos Indos non, quod Baronius et alii putarunt, Aethiopas, vel Habyssinos, sed Sinenses, ex Ottone Frisingense, Gulielmo Tripolitano, Marino Sanuto, Gulielmo Nangio, et Vincentio Bellovacen-

se, secum collatis, jam satis constat, et a Kirchero in China illustrata, ac Ludolfo in commentario ad hist. Aethiopicam, est satis demonstratum. Tradunt vero historici citati, initio seculi Orientalium Asiae regionum regem fuisse Coirem Chamum, eoque mortuo, Nestorianum aliquem presbyterum, dictum Johannem, illud regnum occupasse, ejusque in familia continuasse usque ad a. 1202., quando David, Johannis filius, a Tartaris, Duce Cyngis-Cháam, occisus est, et regnum victoribus cessit: additur, Ducem illum duxisse filiam Johannis uxorem. Sed, licet nomine Presbyteri Johannis variae exstent conjecturae, verius mihi videtur, quod Hyde ad *itinerarium Peritsol.* p. 254. observavit, nomen illud corruptum esse ex *Pristoa-chan*: est autem *pristoa* titulus regum ditionis Tartaricae prope Sinarum confinia; titulis autem Principum Tartariae subjungi solet *Chan*, vel *Han.* Ex *pristoa-chan* itaque a linguae ignaris factum est *Prester-jan*, et inde *presbyter Johannes.* 4. Denique observari meretur, *canonizandi* potestatem, quam metropolitani ad hoc usque tempus quoque exercuerant, sede Apostolica inconsulta, Alexandrum ad suam sedem retraxisse, eique soli adligasse; ut probat Mabillon. praefat. seculi V. Benedictini. Exstat vero ejus hac de re praeceptum in 3*tio* Decretalium, per Bonifacium VIII. collecto, tit. 45., de *reliquiis* et *veneratione Sanctorum*; ubi occasio decreti inde repetitur, quod nonnulli, more infidelium, instituissent hominis in ebrietate mortui, tanquam sancti, celebrare venerationem. Ceterum solebat in conciliis solennibus decerni canonizatio, et a Papa primum in aula concilii, dein ad majorem solennitatem in area Ecclesiae, aut in ipsa Ecclesia, sententia pronunciari. Vid. Papebrochius in *conatu Histor-Chronol.* etc. dissertat. XX., ubi etiam observat, seculo sequente, et deinceps, *indulgentias* tunc fuisse concessas.

§. LXXXIII. Alexandro, qui 22 annos sedit, successit *Lucius* III., ab a. 1181., ad 1185. per quadriennium, patria

tria Lucenſis, et Epiſcopus Oſtienſis, electus a Cardinalibus ſolis, et ſecundum decretum concilii Lateranenſis, de quo ſupra, a duabus tertiis partibus, vid. Onuphrius ad Platinam, conſecratus a Portuenſi Epiſcopo, praeſente Archipresbytero Oſtienſi, ut moris erat, ſi Oſtienſis Epiſcopus fieret Papa: vir prudens et pius, ſed mediocris litteraturae, ſecundum Gulielmum Tyrium. Regem Scotiae Wilhelmum, in quem Alexander excommunicationis, ac interdicti ſacri, ſententiam tulerat, quia, Johanne Scoto canonice electo Epiſcopo S. Andreae, Hugonem capellanum ſuum per vim intruſerat, et Papae ſententiae obedire recuſaverat, abſolvit Lucius, Johanni Deinkeldenſi Epiſcopatu dato, et Hugoni S. Andreae conceſſo. Duravit tamen contentio, cum Johannes in eo non acquieſceret, uſque ad Clementem III. Vid. Hovedenus in *Annalibus Anglicis*. Gravis Papae fuit cum Romanis conflictatio, quod conſuetudines, quas tenuerant deceſſores, recuſaret obſervare. Venit quidem ad ejus defenſionem Chriſtiánus Moguntinus cum exercitu, et Romanos graviter adflixit, ſed hi, fonte aquarum veneno infecto, quod tamen ſolus refert Hovedenus, ipſum cum ſuis de medio ſuſtulerunt, et Papam acrius ſunt perſecuti, adeo ut fugere fuerit coactus, Roma ſemel et iterum deſerta. Cum autem ſecunda vice exularet, conventum celebravit Veronae, cui Fredericus Inperator interfuit, in quo Romani ſunt declarati hoſtes, et Chriſtianis in Palaeſtina laborantibus decreta auxilia. Voluit etiam Inperator, ut de ordinatis ac ſchiſmaticis diſpenſaret Papa, ſed is ad plenarium illud retulit concilium. Agitata quoque eſt controverſia de bonis Comitiſſae Mathildis, quae Inperator inperio, Papa Eccleſiae, fuiſſe teſtamento relicta, contendebat, ſed nihil concluſum eſt. Edidit et hic conſtitutionem Papa contra Waldenſes, Albigenſes, alioſque haereticos, quos diro ſubjecit anathemati, quae inter Lucii epiſtolas occurrit; ſed in decretalibus Gregorii haec ejus legitur conſtitutio, *in ſacris canonibus*

*generaliter traditur, ut de omni crimine Clericus debeat coram Ecclesiastico judice conveniri.*

§. LXXXIV. Successor ejus *Urbanus* III., antea Archiepiscopus Mediolanensis, qui ab a. 1185. ad 1187. tantum sedit, acri rursus concertatione exercitus est cum Inperatore Frederico, cujus fundamenta jam erant sub Lucio jacta. Accusatus fuit Inperator, quod patrimonium Comitissae Mathildis injuste detineret, reditus Episcoporum mortuorum in Fiscum redigeret, Abbatissarum proventus sibi vindicaret. Praeterea, cum Henricum, filium Frederici, Inperatorem coronare recusaret, vivo adhuc Patre, nec se abdicante, Henricus vero a Patriarcha Aquilejense, sine consensu Papae, praesentibus et consentientibus aliis Episcopis, coronatus esset, Papa omnes eos ab officio suspendit. Auxit etiam dissidium schisma Ecclesiae Trevirensis, quod sub Lucio incepit, et ad Clementem III. duravit, occasione electionis Folmari et Rudolphi Episcoporum Ecclesiae Trevirensis, quorum illum Papa, hunc Henricus, tuebatur. Lucius nihil definiverat, sed Urbanus Folmarum adprobavit, et consecravit, invito Henrico cum Patre Frederico, Folmarus quoque consecratus excommunicavit Rudolphum. Quare Henricus, jussu Patris, fautores Folmari vexavit, spoliavit, et domus eorum publicavit: sed et alia in contumeliam Papae patravit; utique Episcopum aliquem, qui a Papa susceperat investituram, seseque Regi nihil debere contendebat, pugnis jussit caedi, et in luto platearum conculcari; interclusit porro omnes ad Papam aditus, adeo ut nemo sedem Apostolicam potuerit adire. Vid. Chronographus Aquicinctinus, et Autor Chronici Belgici magni. Quibus omnibus irritatus Papa Henricum decrevit excommunicare, sed morte praepeditus est exsequi. Vid. Arnoldus Lubec. Chron. Slav. l. III. c. 18. Denique Danos, quod sacerdotibus permitterent conjugium, excommunicasse fertur, ut Genebrardus ex Saxone Grammatico tradit. Mortuus est, ut narratur, ex dolore,

ex

ex capta Hierosolyma cum Rege, et Sancta cruce, a Saracenis, cum annos fere duos sedem tenuisset: adpellatus a nonnullis, teste Abbate Urspergense, ad a. 1189., *Turbanus*, *quod*, ut autor inquit, *cum esset Mediolanensis natione*, *in odium Inperatoris*, *volebat* turbare *Ecclesiam*, *quae paulisper quietem jam receperat*, *sed nutu Dei percussus interiit.*

§. LXXXV. *Gregorius* VIII., Inperatori Frederico maxime charus, ipsi successit, sed spem de ipso conceptam intercepit mors, quae ipsum, cum menses duos tantum sedisset, abstulit. Indigebat vero Ecclesiae status valde corruptus et turbatus reformatore; testatur utique Hugo Altisiodorensis, Ecclesiam hujus temporis *per vitia diffluam*, *et in maligna prolapsam*, *ambitioneque et avaritia*, *luxuriaque et haeresibus*, *quasi quibusdam pestilentissimis hostibus*, *vineam Domini totam fere jam fuisse depastam.* Ceterum ab eruditione et humanitate, moribusque honestis, laudatur ab omnibus, et totus fuit in expeditionibus sacris urgendis, missis litteris encyclicis, et plenaria promissa indulgentia. *Clemens* III., natione Romanus, antea Praenestinus Episcopus, et Cardinalis, qui successit ab a. 1187. ad 1191. celebre nactus est nomen, per varias lites finitas, et Principes unitos, ac ad sacram expeditionem excitatos. Inter Papas et populum Romanum diuturna viguerat discordia civilis, occasione regiminis urbani, per annos plus minus quinquaginta, a tempore Innocentii II., quae per Clementem sub certis conditionibus, quae exstant in *libro censuum Romanae Ecclesiae* in Bibliotheca Vaticana per Cencium Camerarium, apud Onuphrium ad vitam Clementis, est terminata: quarum praecipuae sunt, ut urbs in potestate Papae sit, ut abrogato Patricio Praefectus restituatur, Senatores annui ex Papae creentur autoritate, et in ejus verba jurent, vectigalia et reditus in potestate habeant Papae, ita tamen, ut tertia pars populo cedat in èjus usus, denique ut Tusculanam civitatem, quam Romani, ut eam sibi subjiciant, continuo bello oppugnabant, Papa solo aequari permittat. Diremit etiam contro-

versiam de Episcopatu S. Andreae, cujus in Lucio memini, Hugone, quod ab Urbano ad tribunal Papale citatus comparere recusasset, deposito, et Johanne confirmato, ut ex Hovedeno patet. Cui decreto cum Rex adsensum praebuisset, Papa Ecclesiam Scotiae declaravit sedi Papali unice in posterum subjectam fore, neminique licere, nisi Papae, aut legato ejus a latere, excommunicationem, aut interdictum sacrum, denunciare in regnum Scotiae, ut idem refert. Qua ratione Ecclesia illa ab omni Angliae et Archiepiscopi Eboracensis in eam jure liberata est. Terminavit etiam schisma Trevirense, Folmari ac Rudolphi electione sublata, et Ecclesiae concessa electione libera: ut autor magni Chronici Belgici refert.

§. LXXXVI. Ultimus seculi Papa est *Coelestinus* III., ab a. 1192. ad 1198., inter cujus consecrationis caerimonias, quae in *ordine Romano* Cencii, Camerarii ejus, exstant apud Mabillon. mus. Ital. tom II., reperitur collocatio in *sede stercorarea*, additis verbis; *suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem* etc., de quo in Johanna Papissa egi. Fastum Papalem in coronando Henrico V. demonstravit plane singularem. Cum Inperator, ante pedes Papae prostratus, accepisset coronam, una cum Regina, Papa mox pede percussit eam Inperatoris, et in terram dejecit, ut significaret, se eum, si demeruerit, de Inperio deturbandi potestate gaudere. Ita utique narrat Hovedenus, autor aequalis, cujus testimonium fortius est aliorum silentio: adeo ut inde falsi convinci nequeat. Dedit et alia Papalis autoritatis supremae indicia. Alphonsum, regem Gallaeciae et Legionis, excommunicavit, propter nuptias cum sua consanguinea, filia Sanctii, Regis Portugalliae, quas, licet a Papis damnatas, rescindere nolebat, teste Hovedeno. Nec dissimilem ob causam contendit cum Philippo, Franciae Rege, qui Ingelburgen, regis Daniae filiam, legitimam per triennium conjugem, repudiaverat, praetextu, vel causa, propinquitatis sanguinis, et, divortio a Regni

a Regni Epiſcopis, inconſulto Papa, adprobato, duxerat aliam. Caſſaverat divortium Papa, et novis nuptiis interdixerat, legatis quoque miſſis, qui juſſerunt, ut, ejecta ſuperinducta, Ingelburgen recipiat: ſed irrito effectu, et Rex perſtitit in propoſito, uſque ad a. 1201. De quo poſtea. Ceterum, divortium illud fuiſſe ſecundum canones Eccleſiaſticos legitimum, demonſtravit, et exemplis comprobavit, Blondellus in libro de formula *Chriſto regnante.* Exercuit porro eandem poteſtatem Papalem in Leopoldum, Auſtriae Ducem, qui Richardum, Angliae Regem, ab expeditione ſacra per Ducatum ejus tranſeuntem, cepit, et Henrico V. captivum tradidit, qui eum detinuit. Richardus quidem, promiſſa magna pecuniae ſumma, datiſque obſidibus, evaſit, ſed mox interpellavit Papam adverſus Leopoldum pro reſtituenda pecunia, et dimittendis obſidibus: quare excommunicationis et interdicti ſententiam Leopoldo, niſi hoc faciat, denunciavit: qui tamen hoc adſpernatus eſt, ſed brevi mortuus, et ante mortem Papae reconciliatus. Vid., praeter Hovedenum, Neubrigenſis, et alii. Ipſum vero Henricum, eam ob rem excommunicatum, prohibuit ſepeliri, niſi Rex Angliae conſentiret, et pecunia ipſi extorta redderetur; ut Hovedenus refert. Denique per Legatum, in Poloniam et Bohemiam miſſum, curavit, ut ſacerdotes a mulieribus et concubinis abſtinerent; quod Poloni faciles admiſerunt, ſed Bohemi ſe oppoſuerunt, tanto inpetu, ut Legatum, niſi ab Epiſcopo Pragenſi repreſſi fuiſſent, violaſſent. Vid. Johannes Dugloch, alias Longinus. Sed illud praeſtitit laudabile, quod pueros minorennes, monaſterio oblatos, ſiverit ad ſeculum redire, ſi voluerint, condito ea de re decreto; cum ante hoc tempus oblatio fuerat irrevocabilis: ut ex ſuperioribus ſuo loco conſtat.

§. LXXXVII. Ex hac Paparum hiſtoria, ſummatim tradita, licet de eorum autoritate, et poteſtate Apoſtolica, ac univerſali, facile conſtet, nonnulla tamen, quibus ea adcuratius definitur, vel confirmatur, non abs re fuerit ſubjunxiſſe.

 junxiſſe.

junxiſſe. Habebant quidem Epiſcopi poteſtatem de controverſiis fidei, convocatis Synodis, judicandi, et Eccleſiaſtica tractandi negotia: ſed Pontificiae ſectae viri contendebant, quod Thomas alibi dicit, *totius Eccleſiae autoritatem reſidere in ſummo Pontifice*, ipſius itaque eſſe Synodos Oecumenicas convocare, earumque ſententias confirmare, de controverſiis fidei definitivam ferre ſententiam, ſymbola fidei, quae univerſali pollent autoritate, condere, denique de omnibus Eccleſiae cauſis majoribus judicare. Quo etiam pertinet, quod criminum majorum, et ſingularium, cognitio, et judicium, fuerit Curiae Romanae datum. Vid. *traite ſur l' autorite du Pape*, l. III. p. I. c. 8. Invaluerunt hoc quoque ſeculo *delegati Judices in partibus*, ut adpellantur, etiam *commiſſarii* dicti, (quo nomine alias veniebant a Principe ad res politicas, non judiciales, miſſi, etiam *Plenipotentionarii* vocati,) quibus Papae reviſiones cauſarum in aliis provinciis committebant, quique adpellationes ad ſedem Romanam judicabant. Inceperunt quoque ordinarias Clericorum collationes turbare, apud Epiſcopos et Praelatos, per *preces armatas*, ſeu mandata, ſive preces praeceptorias et executorias, cum antea per preces monitorias agerent, ut hic illeve eligeretur. Alexander III. vero in mandata vertit. Quod idem imitati ſunt Imperatores et Reges. Vid. Boehmer. Jur. Eccleſ. l. III. tit. V., et de judicibus delegatis l. I. tit. 29. Traxerunt quoque ad ſuum judicium *canonizationes* ſanctorum, ut in Alexandro III. obſervavi. Quae vero de controverſiis fidei, et ſymbolo, dixi, luculenter conſtant ex contentione inter Cardinales et Gallicanos Epiſcopos in Synodo Rhemenſi, contra Gilberti Porretani errores; quam enarrat Otto Friſingenſ. de geſtis Frederici l. I. c. 57. Compoſuerant Gallicani Praeſules *formulam* fidei contra eos errores, ſed Cardinales illud factum, tanquam Papali et ſuae autoritati contrarium, reprehendebant, dicentes, *Romana ſedes ſola eſt, quae claudit et aperit, nemo aperit et nemo claudit*, adeo ut, ea inconſulta, ſcribi non liceat. Reſponderunt

derunt Gallicani, non eo fini conditum esse symbolum, ut toti proponeretur Ecclesiae, sed Porretano, id petenti, fidem suam exponerent. Quo modesto responso licet contenti fuerint Cardinales, declararunt tamen, *scriptum illud, fidem continens, tanquam inconsulta curia prolatum, velut autoritatis pondere carens, pro symbolo in Ecclesia non esse habendum.*

§. LXXXVIII. Quam eandem sedis Papalis universalem autoritatem alii hoc seculo agnoverunt autores. Bernardus in litteris ad Innocentium II., de erroribus P. Abaelardi, in Synodo Rhemense damnatis, inter alia, dicit, *ad sedem Romanam referenda esse pericula quaeque, et scandala regni Dei, praecipue de fide, dignum enim esse, ibi resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum*, quod aliquam redolere videtur sedis Papalis infallibilitatem, sicut et ep. 190. ad eundem dicit, *esse sedis Romanae praerogativam, non posse deficere a fide.* Guiga porro, Carthusiae majoris Prior, in litteris ad Innocentium, suo et fratrum nomine scriptis in Chronico Mauriniacensi, dicit, *non pars una, sed totus fere orbis est Papae dioecesis, ut enim Deus unus, Mediator unus, sol unus* etc., *sic et Papa unus.* Eodem tendit doctrina Pothonis, Prumiensis Monachi, l. III. *de statu domus Dei*; ubi, inter alia, dicit: *divinae voluntatis institutionem ibi* (in Apostolica sede) *principaliter tradi Ecclesiae Praelatis, eorumque subditis, et firmamentum dispensationis Ecclesiae ibi specialiter collocari, omnes res majores, et omnia Ecclesiarum judicia, ad eam, quasi ad matrem et caput, referri debere, ab ea nusquam adpellari, judicia ejus a nemine retractari, aut refelli debere, aut posse.* Nec aliter mentem declarat Anselmus, Havelburgensis Episcopus, in dialogis Eugenio III. dicatis l. III. c. 9., ubi addit, solum Pontificem Romanum, vice Petri, gerere vicem Christi, ceteros vero Episcopos vicem Apostolorum sub Christo gerere, jubere etiam Ecclesiasticam regulam, ea nullum habere vigorem, quae praeter Romani Pontificis sententiam praesumuntur, et

...postolica autoritate ac subscriptione non fir... omnem Conciliorum autoritatem a Romano ...ifici, nec oportere praeter ejus sententiam ...rari: denique, habere Romanam Ecclesiam duo ...ivinitus, videlicet, *prae omnibus incorruptam pu... ...ei, et super omnes potestatem judicandi.* Eodem ..., quae Tomas Cantuariensis profert l. I. ep. 97. ...nno in notabilibus Honorii Augustodunensis verbis in *Gemma animae*, seu de *antiquo ritu missarum* lib. I. c. 188. quibus dignitatem et officium Papae summatim exponit. *Papa dicitur Pater Patrum, vel custos Patrum. Hic etiam Universalis nuncupatur, quia universae Ecclesiae principatur. Hic quoque Apostolicus nuncupatur, quia Principis Apostolorum vice fungitur. Hic etiam summus Pontifex adpellatur, quia caput omnium Episcoporum esse videtur. Hujus nomen in ordinatione mutatur, quia Petri nomen in praelatione Ecclesiae a Christo mutabatur. Huic etiam claves traduntur, sicut Petro a Domino claves regni coelorum tradebantur, ut se janitorem coeli esse cognoscat, in quod coelum Ecclesiam introducere debeat. Hunc Melchisedech in officio praetulit, cujus sacerdotium aliis incomparabile fuit. Papae autem officium est, missas, et divina officia, ordinare, canones pro tempore ad Ecclesiae utilitatem inmutare, Augustum consecrare, et pallia Archiepiscopis, privilegia Episcopis, vel aliis religiosis, dare, totam Ecclesiam, ut Christus, gubernare. Itaque Papa in vice Christi Ecclesiam regit, Episcopi in loco Apostolorum ei praesunt. Presbyteri septuaginta duos Discipulos exprimunt. Reliqui ministri Diaconos ab Apostolis constitutos praeferunt.* Confer quoque sermonem XXIII. in Jes. XV. Aelredi, Abbatis Cisterciensis in Anglia, in Bibl. M. Patrum tom. XXIII., qui inter alia magnifica de Ecclesia Romana dicit, *sicut summus Pontifex ex legitima, et, ut ita dicam, haereditaria successione Petri obtinet principatum, ita ceterorum Apostolorum potestas in Cardinales constat esse transfusa. Haec est Ecclesia Romana, cui qui non communicat haereticus est. Illius*

*Illius interest consulere omnibus, judicare de omnibus, omnibus providere. — — — Quicquid ipsa statuerit suscipio, approbo quod approbaverit, et quod damnaverit damno. Ipsius est, eligere nobis Pastorem, et Episcopum animarum nostrarum*, etc. Godefr. Viterb. in Historiae suae dedicatione Urbano II. dicit, *nullum scripturarum elogium nosci esse authenticum, nisi ab ejus* (Papae) *sapientiae fluminibus sitientibus propinetur*, addit dein, *ipsi terrena et coelestia divinitus esse commissa.*

§. LXXXIX. Nec tamen defuerunt, qui vel restrinxerunt hanc potestatem, vel ei contradixerunt. Johannes Saresberiens. epist. 193. ad Alexandrum III., *fateor*, inquit, *et verum est, omnia Romano licere Pontifici, sed ea duntaxat, quae jure divino Ecclesiasticae sunt concessa potestati. Liceat ei nova jura condere, vetera abrogare, dum tamen ea, quae a Dei verbo in Euangelio vel lege perpetuam causam habent, mutare non possit.* etc. Goffridus Vindocin. Abbas, cujus opuscula edidit Sirmondus oper. tom. III., quae sunt epistolae, et sermones, praeter nonnulla alia, Papalis potestatis fuit quidem summus defensor, libertatis, sic dictae, Ecclesiae, vel Hildebrandini systematis, furiosus vindex, Episcoporum et Clericorum autoritatis, cui Laici adsurgere debent, patronus magnus, ut lib. IV. ep. 22., et alibi, investituram laicam dixit pessimam haeresin, hoc fundamento; quod *baculus et annulus* sint sacramenta, vel signa sacri muneris, quodque Episcopus fiat per investituram Laicam subjectus Laicis; adeo ut laicus, qui investit Clericum, se Christo censeatur facere superiorem, et Christo adimere aequalem divinitatem cum Patre: quod est haereticum. Nullum etiam decretum, aut concilium, ratum esse statuit, quod non fuit Papali autoritate firmatum; uti l. V. ep. 13. Denique, quod obiter notetur, primus est, qui ad jus Paparum in Reges, et summas Potestates, stabiliendum, inepta et absurda usus est allegoria, *duorum gladiorum* in manu Petri Luc. XXII., et dicti Christi ad eum, cum gladium tempore passionis Christi strinxisset, quo jussus est, gladium *in locum*

*suum reducere* Matt. XXVI.; qua illud ad duplicem potestatem, spiritualem et civilem, Petro concessam, adplicuit, excommunicandi per unum, et occidendi, vel poenas temporales infligendi, per alterum gladium, sed ita, ut prior a Petro ipso administretur, posterior a Potestate civili, ad nutum et jussum Petri; quo traxit reductionem gladii a Petro in vaginam, acsi sensus esset, tu eo non uteris amplius, sed in tua potestate erit, ita ut Princeps usum ejus a te recipiat. Vid. Opusc. IV., et Joh. Saresber. Policrat. l. V: 3. Ab hoc tempore in eo fundari coepit potestas Papalis, ut et fecit Gregorius IX. sec. XIII. in epist. ad Archiepisc. Graecorum, apud Matth. Paris. a. 1238. Hic ipse tamen Goffridus in opusculis adserit, Papam nihil posse, nisi quod Scripturae definitioni convenit, et quod Petrus potuit, qui correctione, ut a Paulo, non fuit superior. Ceterum, ut illud hic obiter observem, aliquem, licet in fide et ritibus dissidentem, excommunicari non vult, si multitudinem habeat consentientem, ne fiat schisma, p. 590. de jejunio etiam sanius, quam fieri adsolet, disserit l. IV. ep. 28. Gratianus quoque, suprematus Papalis magnus patronus, varia collectionibus suis inseruit, quae Papae fallibilitatem in rebus fidei, ejusque subjectionem Synodis in ejusmodi causa, arguunt: uti ex. gr. in capite *Anastasius* Distinct. XIX. et XL., ubi diserte dicit, Papam a nemine esse judicandum, nisi ubi deprehenditur a fide devius, et tunc ipsum esse Synodo minorem. Quod idem fuit concilii Viennensis a. 1112. judicium, testibus actis ejus et Litteris ad Paschalem. Ipsi Bernardo etiam excidit dictum, epist. VII., *nunquid ideo aut malum esse desinit, aut vel minoratum est, quia Papa concessit?*

§. XC. De reliquis Clericis nihil fere habeo, quod observatu dignum est, nisi quod *Subdiaconatus* fuerit per Urbanum III. inter majores, vel sacros ordines, relatus, cum antea minoribus, non sacris, adscriptus erat, quodque *Canonici regulares*, hoc in primis seculo, fuerint renovati. Canonicus

Clerico-

Clericorum ordo, qui sec. VIII. maxime invaluerat, collapsus fere fuit sec. X., introductis Clericis *Secularibus*, ut suo loco vidimus. Vestigia tamen regularium a. 993. in Clero Hildesiensi adparuisse, ex Chronico Episc. Hildes., apud Leibnizium *rer. Brunsvic.* tom. II. patet. Sed huic ordini instaurando sec. XI., circa fin., inprimis hoc sec. XII., incubuerunt toti. Decreverant jam hoc reformationis genus Papae Nicolaus II. et Alexander II. in Synodis Romanis ann. 1059. et 1063., canone de vita Clericorum communi condito. Sed primus qui in Italia rem actu introduxit, est Petrus de Honestis, in initio seculi mortuus, qui in Ecclesia Portuensi, in agro Ravennate, canonicis, quibus praeerat, praescripsit regulam, quam confirmavit Paschalis II.; exstat ad calcem Operum Damiani. In Gallia jam ante, scilicet sec. XI. a. 1078. id fecit Ivo Carnotensis, teste Sigeberto in Chronico. Adserit vero Ivo epist. 213., neminem Clericorum, nec civilis, nec Suburbanae Ecclesiae Presbyterum, a communi vita esse inmunem. Exstruxit dein Ludovicus VI., Galliarum Rex, coenobium Canonicorum regularium S. Victoris ad muros Parisienses. Vid. Jacobus de Vitriaco Hist. Occidentalis c. 24. Unde in locum Secularium invecti sunt in Ecclesiam S. Genovefae Canonici regulares, jussu Eugenii III. a. 1148. Vid. autor coaevus vitae Wilhelmi, Roschildensis Abbatis in Dania. Denique hujus ordinis institutio in Hispania autorem habet Oldegarium, Abbatem S. Rufi, extra muros Avenionenses, dein Archiepiscopum Tarraconensem, defunctum a. 1137. In Anglia eum renovavit a. 1135. Gilbertus Sempринghamensis, cujus elogium exstat apud Gulielm. Neubrigens. l. I. c. 16. Professi vero sunt canonici regulares vitam communem, secundum regulam Augustini, cujus meminit Possidonius in ejus vita, quae vetat patrimonium, aut peculium, aut ullum bonum proprium habere, ac possidere.

§. XCI. Ortus quoque est novus canonicorum regularium ordo, *Praemonstratensis* dictus, autore Norberto, circa

 a. 1122,

a. 1122. Nomen habet a loco dioeceſios Laudunenſis in Sylva Voſago *prato monſtrato* adpellato, Gall. preſ-monſtre. Unde fabula eſt nata de loco divina revelatione *praemonſtrato*. Fuit autem Norbertus nobilis Lotharingicus, primum monachus, et fundator ordinis, dein Archiepiſcopus Magdeburgenſis, ab a. 1127. ad 1134. viſionibus, et revelationibus, ut credebatur, celebris. Confirmatus eſt ordo a Calliſto II., et aliis Papis, et longe lateque propagatus. Retinet quidem regulam Auguſtini, ſed longe rigidiorem et auſteriorem per Norberti inſtituta. Habitus eorum eſt alba veſtis, vel tunica ſub candido pallio, unde contentio inter ipſos et aemulos Carmelitas deinceps eſt nata. Laudat hunc ordinem, una cum Ciſtercienſe, inpenſe Laurentius de Leodio, in hiſtoria Epiſcoporum Virdunenſium, apud Dacherium in ſpicilegio.

§. XCII. Continuarunt tamen, his non obſtantibus, Clerici *ſeculares*, qui in Cathedralibus Eccleſiis ſeſe ad ſeculum magis etiam conformarunt, antea dicti *fratres*, deinceps *Domini*, unde nomen *Domheeren* fluxit, ſeu Dominorum Eccleſiae Cathedralis. *Dom* enim eſt domus, vel dominicum, quo nomine venit Eccleſia, et eximie Cathedralis. Clericos vero Eccleſiae primariae jam ſeculo VII. vertente nuncupatos eſſe *Dominos*, obſervat Mabillon. act. Benedict. ſec. III. p. I. Denique, canonicorum titulo, tanquam vili, et aliis clericis in collegiatis Eccleſiis communi, abjecto, *Capitularium* nomen adoptarunt, quibus vox in capitulo, et ſtatus in choro, competit. *Capitulum* autem proprie erat pars, ſeu brevis ſectio regulae, quae certo in loco, praeſentibus Canonicis, praelegebatur, unde ipſe locus nomen capituli traxit, et Capitulares dicti ſunt Clerici Cathedralis Eccleſiae, qui votum in *capitulo* habent. Quod ipſum Capitulum deinceps ſeparatum factum eſt collegium, ſibique electionem Epiſcopi vindicavit. Vid. Boehmer. Jur. Eccleſ. l. III. tit. IX.

§. XCIII. Ad *coelibatum* Clericorum pertinet, non defuiſſe

iſſe hoc ſeculo, qui ei contradixerunt, uti in Anglia, Hibernia, Polonia, Bohemia, et Germania; teſtibus populorum illorum Annalibus et Hiſtoricis. Supra in vita Coeleſtini memoravi legationem propterea in Poloniam et Bohemiam miſſam. In Dania fuiſſe ſacerdotes uxoratos, ex Saxone Grammatico conſtat, et de Germanis ex Abbate Urſpergenſe. Cum vero in Lateranenſe I. concilio ſub Calliſto II. decretum contra Clericorum nuptias eſſet factum, poeta Anglus haec cecinisse refertur a Balaeo Centur. II.

*O bone Calixte nunc omnis clerus odit te.*
*Quondam Presbyteri poterant uxoribus uti.*
*Hoc deſtruxiſti, poſtquam tu Papa fuiſti.*
*Ergo tuum merito nomen habent odio.*

§. XCIV. Inceperunt, ut de *Diſciplina* aliquid moneam, hoc ſeculo *tribunalia* Eccleſiaſtica Epiſcopalia, ad normam legum civilium vel Romanarum, veram judicii formam habentia, tritura forenſi cauſis et controverſiis Eccleſiaſticis adtributa: ſimul introducti ſunt *Vicarii* Epiſcoporum, quibus contentioſa haec juriſdictio ab Epiſcopis eſt demandata, nonnullis tantum Epiſcopo reſervatis. Ad quam normam deinceps, tempore Reformationis ſec. XVI., conformata ſunt, ſic dicta, *Conſiſtoria*, tanquam tribunalia Eccleſiaſtica Proteſtantium. Vid. Boehmer Jur. Eccleſ. l. I. tit. XXVIII. Invaluerunt quidem ſec. IV. *judicia* Eccleſiaſtica, ſed quibus ipſi praeſidebant Epiſcopi, nec cauſas civiles, niſi per modum *arbitrii* tractabant: ſed nunc, ad normam proceſſus civilis, aliam induerunt formam. Imo vero cauſae civiles ad Eccleſiaſticum tractae ſunt tribunal, variis ſub praetextibus, uti 1. *peccati*, circa cauſam civilem commiſſi, vel praeveniendi 2. *denunciationis* euangelicae, ſic dictae, quae peperit remedium juris extraordinarium: quatenus quis, jus contra proximum nanciſci non valens, denunciat Eccleſiae,

petens, ut proximum, tanquam qui peccavit, in ordinem redigat. 3. denegatae *justitiae* a Laicis judicibus. 4. *matrimonii*, tanquam sacramenti, quo praetextu omnes causae matrimoniales ad tribunal Ecclesiasticum referuntur. 5. *juramenti*, quo nomine omnia negotia, cum juramento conjuncta, rebus accensentur ad forum Ecclesiasticum pertinentibus. De quibus omnibus, aliisque causis, vid. Boehmer Jur. Eccles. l. II. tit. II., qui ibid. l. V. tit. I. prolixum, juxta seriem alphabeticam, contexuit criminum Ecclesiasticorum, vel mixtorum, catalogum.

§. XCV. Praeterea *Indulgentiarum* plenissima potestas fuit Papis adtributa; quam ex gr. Honorius II. et Eugenius III. exercuerunt, qui, ut sacras promoverent expeditiones, promiserunt, utique Eugenius, ut *omnium, de quibus corde contrito confessionem fecerint, indulgentiam obtinerent*; teste Bernardo epist. 322. et 394. ubi eam adpellat *largissimam*. Unde Canonistarum fluxit doctrina, solius Papae, instar Dei, esse remissionem peccatorum. Denique originem huic seculo debet opinio de *thesauro*, seu superabundante cumulo meritorum Christi et Sanctorum: cujus dispensatio est Ecclesiae commissa, seu principaliter Papis, Petri successoribus, ex quo indulgentiae dispensantur. Raymundus autem eam doctrinam in lucem protraxit. Albertus M. dein magis excoluit, et Tomas Aquinas splendide ornavit, Clemens VII. pontificali autoritate corroboravit. Vid. Boehmer Jur. Eccles. tom. IV. in dissert. praeliminari de *Romana Ecclesia matre indulgentissima*.

## VITA ET MORES.

§. XCVI. Orti sunt hoc seculo, ut a Monachatu, pro more, incipiam, novi ordines, sive militares, sive mendicantes. Militares fuerunt, causa et occasione peregrinationum Hierosolymam instituti, Hospitalarii, seu Johannitae, Templarii, Teutonici, milites Jacobi Calatravae et Alcantarae: quorum

quorum aliqua danda eſt notitia. *Hoſpitalarii* nomen traxerunt ab hoſpitali S. Johannis Hieroſolymis, cujus haec fuit origo, ut Gulielmus Tyrius l. XVIII. et Jacobus de Vitriaco hiſt. Hieroſol. c. 64. narrant, vid. etiam Humbertus, *Praedicatorum* magiſter quintus, in tractatu *de modo promte cudendi ſermones* etc. lib. II. c. 35., ubi in ſeq. etiam de aliis ordinibus agit, exſtat in Bibl. M. Patr. tom. XXV. Cum Hieroſolyma in poteſtate eſſet Saracenorum, multi autem ex Occidente, ſive mercaturae, ſive devotionis, ergo, eam viſitarent, Amalphitani mercatores, qui Normanni erant, licentia a Calipha Aegypti, cui tunc regiones a Laodicaea Syriae Alexandriam uſque parebant, muneribus et tributis inpetrata, conſtruxerunt Hieroſolymis Eccleſiam, in quo Latinum celebrarent officium, prope ſepulchrum Domini, dictam *S. Mariae de Latina*, in honorem quippe Mariae, matris Domini, quae Abbati et Monachis Latinis eſt tradita. Cui mox alterum acceſſit monaſterium, in honorem Mariae Magdalenae, excipiendis mulieribus peregrinis deſtinatum, in quo ſanctimoniales hoſpitalariae ſunt collocatae. Confluxu deinde peregrinantium creſcente, Abbates et Monachi Eccleſiae Mariae de Latina condiderunt, in uſum infirmorum et egenorum, aliquod *hoſpitale* in honorem Johannis, ſive eleemoſynarii, qui Patriarcha fuit Alexandrinus, ut autores citati teſtantur, ſive, quod Equites hoſpitalarii contendunt, et acta aliqua publica donationum, hoc ſeculo hoſpitali factarum, habent, Johannis Baptiſtae: quod tanti non eſt. Quo in ſtatu res manſerunt uſque ad captam a Latinis Hieroſolymam. Quando Gerardus aliquis, qui in hoſpitali ſub Abbate Eccleſiae Mariae miniſtraverat, et xenodochii magiſter erat, adſumtis viris religioſis, in animum induxit, habitum ſuſcipere religioſum, ſeſeque certae adſtringere regulae, ſumta cruce alba, veſtibus exterius intexta, tanquam ſigno. Operam autem viri hi religioſi collocarunt in egenis ac aegrotis ſublevandis, ſubjectique erant Abbati S. Mariae

de Latina, et Patriarchae Hierosolymitano, cui de bonis suis solvebant decimas. Progressu dein temporis, cum sese ad peregrinantes in via tutandos et defendendos verterent contra infideles, receptis in ordinem suum militibus, ordo iste factus est *equestris*; et negotia sunt divisa, ita ut alii defenderent fideles, alii pauperibus et egenis ministrarent, nominatim *leprosis*; unde adpellati sunt equites S. Lazari. Communi vero subjecti sunt magistro, et postea inmensum in numerum, et varias in nationes, excreverunt, ingentesque opes corraserunt ex fidelium donationibus, aliisque fontibus. Cum vero antea decimas penderent Patriarchae, ut dixi, eique essent subjecti, Anastasius IX. Papa insigne iis concessit privilegium a. 1154., quo a decimis, aliisque oneribus, liberati sunt, ac Patriarchae et Praelatorum jurisdictione exemti; unde inter eos et Clerum Hierosolymitanum mox orta sunt dissidia. Ceterum hi ipsi Hospitalarii, postea per infideles Hierosolyma expulsi, Rhodum secesserunt in insulam, ac Rhodii dicti, sec. XIV., deinde, Rhodo a Solymanno occupata, insulam Miletum sibi vindicarunt, ac Melitenses adpellati equites sec. XVI. Quo nomine adhuc sunt notissimi.

§. XCVII. Ejusdem fere instituti et temporis sunt *Templarii*, seu fratres militiae Templi, eo nomine insigniti, quod Hierosolymis, juxta Templum Domini, in palatio Regio, primam habuerint mansionem, ut tradit Gulielmus Tyrius, et Jacobus de Vitriaco; a quo Templo et aliae eorum aedes in Gallia et Anglia nomen Templi nactae sunt. Templum autem illud, ab Omaro, tertio a Muhammede, ibi sec. VII. in usum Saracenorum conditum, ut Eutychius in Annal. refert, et Gulielmus Tyrius, Hierosolyma a Latinis occupata, Christianorum sacris fuit dicatum, et nomen *Templi Domini* accepit. Cui vicina erat domus Regia, Templum Salomonis adpellata, cujus pars Templariis est concessa, et nomen Templariorum iis dedit. Primi autores

tores fuerunt novem equites, omnes Latini, et primae expeditionis cruciati, inter quos expresse nominantur Hugo de Paganis, et Gaufredus de S. Aldemaro. Professi autem sunt, in manu Patriarchae Hierosolymitani, more Canonicorum Regularium, *castitatem*, *obedientiam*, et *vitam communem*, adeoque veri fuerunt Monachi, et in se susceperunt, quod a Patriarcha, et reliquis Episcopis, ipsis injunctum est officium, *vias et itinera*, maxime in salutem peregrinorum, *pro viribus conservandi*, *contra latronum et incursantium insidias*, ut Gulielmus Tyrius, et Matthaeus Parisiensis, tradunt. Institutus est ordo a. 1118. sub Balduino II., rege Hierosolymae, et Gelasio II. Papa, dein post novem annos confirmatus, autoritate Concilii Trecensis in Gallia a. 1128., et Papae Honorii, regula etiam iis praescripta, quam Bernardus Claraevallensis non quidem composuit, sed alius, a concilio et Bernardo ad id vocatus, teste prologo regulae, sed valde laudavit in tractatu, qui ordinis continet elogium, et exhortationem ad officium praeclare praestandum. Habitus eorum fuit albus, primum sine cruce, sed a tempore Eugenii III., qui ab a. 1145. sedit, cruces de panno rubeo mantellis coeperunt adsuere, ut autores citati habent. Albae vestes significarent innocentiam, et cruces rubeae martyrium, ac bellum contra infideles. Vexillum autem praetulerunt bipartitum, ex albo et nigro interstinctum. Denique insigne erat, *duo unum equum equitantes*, in signum primae paupertatis, quae tanta fuerat, ut duo Principes eorum, modo memorati, unum tantum habuerint dextrarium, seu *destrarium*, seu equum majorem et cataphractum.

§. XCVIII. Crevit ordo, et hominum et opum copia, brevi tempore, inmensum. Equites, tempore Gulielmi Tyrii, fuerunt jam trecenti, et fratres infinito fere numero. Tradit vero Matthaeus Parisiensis ad a. 1118., eorum possessiones, *tam citra quam ultra mare, adeo inmensas fuisse, ut jam non sit in orbe Christiano provincia, quae eis bonorum*

*suorum portionem non contulerit, et regiis hodie divitiis praestantiores sint*: dein ad a. 1244. p. 144. in Christianitate habuisse eos novem millia *maneriorum*, seu habitationum, cum certa agri possessione. Divitias vero autores citati testantur fuisse pares regiis: addit Gulielmus Tyrius, ne provinciam quidem esse in orbe Christiano, quae bonorum portionem in eos non contulerit. Quae opes partim sunt ortae a superstitiosa Christianorum liberalitate, partim inde, quod Principes viri nomina sua ordini dederint, qui bona sua secum in eum tulerunt. Eminuit autem inter liberales illos datores Ludovicus VII., Galliarum Rex, ejusque successor Philippus II., qui summi eorum fautores fuerunt. Sed et hinc factum est, quod Templarii, qui in principio statum suum praeclare sunt tuiti, defecerint ad superbiam primum, et dein ad summum luxum. Inter superbiae indicia fuit, quod Patriarchae Hierosolymitani, a quo ordinem et omnia acceperant, obedientiae se subtraxerint, et Papis inmediate subjecti fuerint, sicut tempore Gulielmi Tyrii jam factum fuit. Sed et tunc ipsis Christianis per latrocinia, et caedes, aliaque facinora, sese molestos praestare coeperunt, teste Gulielmo Tyrio. Expeditiones autem eorum, felices infelices, enarrare, ab instituto nostro alienum est: quaedam adtingam in historia belli sacri. Plura qui de Templariis velit, adeat inter alios Gurtlerum, Virum Clar., et eruditum Theologum, in eorum historia.

§. XCIX Exortus etiam hoc seculo est tertius ordo celebrior, utrumque superiorem imitatus, et ejusdem instituti, dictus *Teutonicus* S. Mariae in Hierosolyma, quia originem debet Germanis, ejusque gentis peregrinis recipiendis destinatus est, et ex Germanis constabat. Adpellatur vero *S. Mariae*, quia Mariae Virgini, tanquam patronae, erat dicatus et devotus: cui oratorium quoque consecrarunt juxta hospitale, seu Xenodochium, a nobili Germano Hierosolymis constructum, in usum pauperum peregrinorum ex Germanis. Confirmatus autem est ordo a Coelestino III. Papa a. 1191.,

a. 1191., quando cruces nigras albis chlamydibus adſuerunt. Vid. Jacobus de Vitriaco. Poſtea vero ſec. XIII. ordo eſt in Germaniam tranſlatus, ſub Frederico II. Inperatore, quando Boruſſiam invaſerunt. De origine ordinis Vid. chronicon Pruſſiae, ſec. XIV. conſcriptum, a Petro de Dusburg, ſacerdote ordinis, et cum notis editum a Chriſtophoro Hartknoch. Ceterum adjunctus ordini eſt alius, *Gladi- vel enſi-ferorum*, ad formam Templariorum, a. 1186. contra Livones, alioſque populos barbaros, ſub Alberto Bremenſe, Epiſcopo Regenſe, inſtitutus. Vid. Arnoldus Lubecenſis in hiſtoria Slavorum lib. VII., et Krantzius l. VI. Vandaliae.

§. C. Reliquos ordines, hoc ſeculo natos, paucis adtingam. Inſtitutus eſt a. 1120., ad Templariorum quoque formam, ordo *Equitum S. Sepulchri*, adverſus infideles, in variis Arragoniae locis; qui etiam *fratres de palmis* adpellantur, quod palmam elegerint pro inſignibus. Accidit ſub Alphonſo, Arragoniae Rege. Vid. Surita annal. l. I. Circa medium ſeculi inſtitutus eſt ordo militum *Calatravae arcis*, et urbis in Caſtella, a Raymundo Abbate Fiterii, coenobii Ciſtercienſis, in Vaſconia, vel Navarris, inſtigante Didaco Velaſquio, ex ſtrenuo milite Monacho facto, circa a. 1158., ſub Sanctio majore, patre Ferdinandi I. Occaſionem dedit rumor de inſtante Maurorum irruptione. Cum enim Templarii, qui arcem tenebant, eam propterea Regi tradidiſſent, tanquam defendendae inpares, Abbas cum Didaco propoſitum ſuum ſignificavit Johanni, Primati Toletano, qui mox publice fecit proclamari, omnes, qui in auxilium Calatravae irent, remiſſionem peccatorum habituros eſſe. Unde ordo natus eſt, qui, Calatrava accepta, ibi ſedem poſuit, et ab Alexandro III. a. 1164. confirmatus. Habitus vero diſtinguens eſt niger veſtitus cum cruce rubea. Vid. Rodericus Toletanus rer. Hiſp. l. VII. et Mariana hiſt. Hiſp. l. XI. Ad horum denique normam ſurrexerunt Equites S. Juliani de *Peirero*, in reg-

 no

no Legionensi, praeter alios, quos mitto. Vid. Mauricus in Annal. Cisterciens. Tandem ordo militum *S. Jacobi*, antea flagitiorum atrocitate, quam fidelium propugnatione, nobilior, reformatus est, et ad modo memoratos conformatus, cui autoritatem dedit Alexander III. a. 1175. Institutus autem est ad eorum defensionem, qui ad Jacobum Apostolum, quem fama ferebat Compostellae in Gallaecia esse sepultum, visitandum irent in Hispaniam, ut illi contra Maurorum incursiones essent tuti. Distinguunt sese insigni gladii rubentis, seu militaris spathae, capulo, instar purpureae crucis, qua pectus muniunt. Dicitur autem ordo *Sant-Jago*.

§. CI. De mendicantibus et Carmelitis cum ad sec. sequens sit agendum, digito adhuc monstrabo ordinem *fontis Ebraldi*, a Roberto de Arbrisello fundatum, eo nomine singularem, quod caput ordinis sit Abbatissa, cui, aeque ac sanctimoniales, subjecti sunt Monachi. Confirmarunt ordinis regulam Papae Paschalis II. et Callixtus II. Incepit autem ordo a. 1100 Ceterum hic Robertus, in villa Arbrisello, in Aremorica, natus a. 1047. et in parthenone ordinis, a se instituti, in dioecesi Bituricensi mortuus a. 1117., insigne fertur fuisse Galliae lumen, summa in gratia apud Ecclesiae et seculi principes, vitae quoque severioris, ac vitiorum seculi acerrimus censor. Cui tamen vitio versum est, quod foeminis nimis familiariter fuerit usus, adeo etiam, ut cum ipsis, ac inter ipsas, noctu frequenter cubare non erubuerit, sed eo scopo, ut carnem cruciaret, ejusque ardorem exstingueret: sicut ipsi objecit Goffridus, Vindocinensis Abbas, de quo supra plura dixi, in epist. ad ipsum scripta, quae est 28*va* lib. IV. Quod idem, et alia, ipsi objecit Marbodus Redonensis in Britannia Armorica Galliae Episcopus ab a. 1096. in epistola ad eum, si sit genuina. Sed non desunt, qui eum, tanquam falso rumore ejus criminis suspectum, defenderunt, ut Sirmondus Oper tom. III. in praefat., ubi Goffridi opuscula exstant. Narrat vero

Neu-

Neubrigensis rer. Anglic. l. I., inter Bernardum Vitalem et Robertum convenisse, ut Robertus foeminarum conversarum curam gereret: unde forte suspicio de nimis familiariore conversatione ejus cum foeminis nata est.

§. CII. Vitae et morum ratione habita, turpissima plane et tristissima fuit Ecclesiae in utroque orbe facies, Clero juxta et populo valde corrupto, et, praeter ignorantiam ac incredibilem superstitionem, dominantibus vitiis hypocrisios, ambitionis, dominii, avaritiae, luxus, scortationum, rapinarum, et oppressionum. De quo omnes testantur annales, historici, aliique scriptores. Vid. Usserius de Success. Eccles in Occidente, Catalogus testium veritatis l. XIV., et Wolfius Lect. Memorab. cent. XII., et Hottingerus in hist. Eccles hujus seculi, ne aliorum faciam mentionem. Ex veteribus, ut aliquos excitem, legendus est Bernardus in libris de *consideratione* ad Eugenium III., et sermo in concilio Rhemensi ad Clerum, qui ejus nomen praefert, Oper. Bernardi vol. II. De inmensa Praelatorum avaritia luculentum exstat Bernardi testimonium, sermon. X. ad Canticum Salomonis Oper. tom. I. p. 1208., de fastu eorum et aliis vitiis ibid. p. 1397., ubi etiam inde collegit, instare tempus, quo manifestetur Antichristus. Sic et de eorum luxu, pompa, ac spoliationibus Ecclesiae, sermon. 77. De luxu, hypocrisi, et fastu inmodico Monachorum variis in locis agit, quorum multa excerpsit Wolfius Lect. Memorab. centur. XII. ad a. 1148, videatur etiam Arnoldus Chron. Slavorum l. III. c. 9. Legenda in primis est *Apologia* Bernardi ad Gulielmum Abbatem, qua se, et ordinem suum Cisterciensem, defendit a calumnia obtrectationis aliorum ordinum. Conferantur etiam Gaufridi Abbatis declamationes ex Bernardo, Oper. Bernardi tom. II., ubi etiam de scortationibus, et nundinationibus sacris, ac ambitione munerum Ecclesiasticorum, aliisque vitiis, agitur. De avaritia et luxuria Praelatorum et subditorum conqueritur quoque Petrus Cellensis l. VII. epist. 11. et 13., nec non de ebrietate et

 libidine

libidine in Anglia grassante l. III. ep. 10., qui l. IV. ep. 13. corruptionem Monachorum acerbe deplorat. Exstant ejus opuscula in operibus Sirmondi tom. III. Petri Blaesensis epistolam, qui in Cleri avaritiam et luxum vehementissime invehitur, recensuit Catalogus *testium veritatis* loc. cit. Testatur quoque de seculi corruptione Gillebertus Abbas, in Canticum Salomonis serm. 13 et 14., in operibus Bernardi tom. II., nec non Aelredus, Reivallensis in Anglia ordinis Cisterciensis Abbas, Bernardi familiaris, serm. X. et XI. ad Jes XIII. in Biblioth. M. Patrum tom. XXIII. De avaritia et desidia Episcoporum vid. autor vitae Radberti in Antiq. Lection. Canisii tom. III. p. II., qui hujus videtur esse seculi. Volcuinus, Abbas Sittichenbacensis, in comitatu Mansfeldensi, qui hujus est, et non XVti, ut male habet Catalogus testium veritatis, diabolum dixit sacerdotibus tres suas filias elocasse, superbiam, avaritiam, et luxuriam. Vid. de eo Leuckfeldius in Antiquitatibus Walckenridensibus. Omnem porro meretur animadversionem notabile carmen jambicum Gulielmi Malmesburiensis, in ejus historia obvium l. III. c. 28., nec non *satyra* Bernardi Cluniacensis de *contemtu mundi*, in Catalogo testium veritatis l. XIV., unde hos tantum versiculos excerpam.

*Aurea tempora, castaque pectora, praeterierunt.*
*Tempora pessima, scilicet ultima, jam subierunt.*
*Stant modo stantia lucra, superbia, pax sine pace.*
*Fraus, Venus, otia, furtaque conscia noctis opacae.*
*Schismata, praelia, vis, homicidia, traditiones.*
*Ira, protervia, livor, inertia, seditiones.*
*Stat simulatio, corruit actio, religionis.*
*Heu! sua propria deputat omnia Rex Babylonis.*

In seculi corruptos mores acerrime etiam invehitur Arnoldus Chron. Slavorum lib. III. c. 22. *Peccatum est maxime Graduum Ecclesiasticorum*, inquit Rupertus Tuitiensis ad

Apoc.

Apoc. XI. lib. VI. *peccatum venalitatis et avaritiae, quod nunc adſpicimus, et ubique regnare videmus, ambitione nimia cuncta devaſtante, avaritia fere univerſa repoſita intus in Eccleſiis devorante, ubi, quia licet vivere, licet etiam ambire*, etc. Vitia et crimina civium Babyloniae ſui temporis, per omnes ordines graſſantia, graphice etiam depinxit Honorius Auguſtod. de *Praedeſtin.* et *libero arbitrio* in fine. Vid. etiam Potho, Presbyter Prumienſis, de *ſtatu domus Dei*, in Bibl. M. Patrum vol. XXI. lib. I., et lib. III, utrobique haud procul ab initio, ubi totalem Eccleſiae corruptionem acerbe deplorat: ſicut et avaritiam curiae Romanae Abbas Urſpergenſis, de *diſſidio Philippi et Othonis IV.*, ubi inter alia dicit, *cataractas theſaurorum in terra aperiri*, ut in curiam illam nummi magna copia confluant. Hugonis Altiſſiodorenſis verba ſupra citavi in Gregorio VIII. Ipſe Innocentius III. de ſacerdotibus ſcripſit, illos *nocte venerem amplexari, qui mane virginem venerantur, noctu filium veneris agitare in cubilibus, qui mane filium virginis offerunt in altari.* Foediſſimum ejus exemplum proſtat apud Henricum Huntingtonienſem circa a. 1158. in Johanne de Cremona, legato Pontificis, et Praeſide in Synodo Londinenſi, qua conjugia ſacerdotum ſunt damnata, qui in complexu meretricio eſt deprehenſus eo ipſo tempore, quo conjugia proſcripſit: cujus tamen facinoris nullus alius meminit hujus temporis, ne quidem Gul. Malmesburienſis. Vid. Baron. Ann. a. 1125. Vid. etiam Matthaeus Weſtmonaſter. ad a. 1115. Denique frequentes fuerunt hoc ſeculo ſanctorum et reliquiarum, etiam fictarum, nundinationes, pietatis ſpecie, ſed vere lucri cauſa, exercitae. Quibus ſeſe ſtrenue oppoſuit, inter alios, Guibertus Abbas in libris de *Pignoribus Sanctorum.* De monachorum Graecorum avaritia, ſplendore, et luxuria, vid. etiam Nicetas Choniat. in Manuele Comneno l. VII. c. 3., ubi etiam refert, Manuelem vitam Monaſticam, *jam nutantem, quin humi proſtratam*, conatum eſſe ad priſtinam paupertatem revocare.

§. CIII. Huc etiam facit, quod omnem meretur adtentionem, communem fere melioris hominum partis vocem fuisse, Antichristum in Ecclesia, vel exortum esse, vel tempus, quo oriatur, adesse: cujus opinionis fundamentum ponitur in hac ipsa foeda Ecclesiae facie, et corruptione Pontificum, Cleri, et Monachorum. *Plerique omnes*, verba sunt Aventini Annal. l. V., *boni, aperti, justi, ingenui, et simplices, professi sunt, tum inperium Antichristi coepisse.* Papam et Clerum etiam Babylonis, et bestiae Apocalypticae, characteres expressisse, adserit, et exponit, Honorius Augustodunensis, in *dialogo de praedestinatione et libero arbitrio*, loco modo citato. Potho etiam Prumiensis loco cit. dicit, *mysterium iniquitatis jam operari, donec caput illorum Antichristus adveniat* etc. Narratur vero, sedente Paschali II., Fluentius, vel Florentius, Episcopus publicis concionibus circa a. 1106. docuisse, *jam natum esse Antichristum.* Qua re motus Paschalis, conventu Florentiae habito, eum, ut a temerario incoepto desistat, admonuisse fertur. Vid. Sabellicus, Ennead. IX. l. 4. Autor vero coaevus vitae Paschalis, apud Papebrochium in *conatu* Chronol. Histor. *ad catalogum Pontif. Rom.* in Paschali II. tradit, in concilio isto *cum Episcopo loci de Antichristo, quia eum natum dicebat, satis disputatum esse: sed*, ita pergit, *ob frequentiam populi, qui ob rei novitatem audiendam hinc inde confertim, cumulatimque, confluxerat, nec concilium finem, nec disputatio deliberationem, habuit.* De Norberto, celebris nominis viro, tradit Bernardus Epist. 56. ad Gaufredum Carnotensem, *se ex ejus ore audivisse, Antichristum ea aetate esse revelandum, et generalem futuram in Ecclesia persecutionem.* Ipse Bernardus haud uno in loco dixit, *nihil superesse, quam ut reveletur homo iste peccati.* Fredericus vero Inperator in suo ad Hadrianum IV. responso, inter alia, dicit, *non possumus non respondere auditis, cum superbiae detestabilem bestiam usque ad sedem Petri reptasse videmus.* Denique apertius instituit Joachimus Calaber., Abbas Florensis, qui *Antichristum*

*jam*

*jam nati, in ſede Apoſtolica ſublimandi, characteres* ex Apocalypſi expreſſit apud Hovedenum Annal. p. II., de quo poſtea. Editus quoque eſt a. 1120. luculentus tractatus de Antichriſto, contra Pontificios, quem vulgavit Perrinus hiſt. Waldenſium p. III. lib. 3.

## PARTES ACCIDENTALES.

## HAERESES.

§. CIV. Primum inter haereſes locum dabo *Bogomilis*, quia ab Oriente, ubi viguerunt, ordior. Hiſtoria eorum ex Alexia Comnena Alexiad. l. XV. et Zonara l. XVIII. 23. petenda eſt, dogmata vero et mores enarravit Euthymius Zigabenus, qui, juſſu Alexii Comneni, ea collegit in Panoplia, nec non in triumpho de Secta Meſſalianorum, in Itinerario Tollii, ubi etiam excerpta, huc pertinentia, exſtant ex Conſtantino Harmenapulo. Ex recentioribus, prae aliis, conſuli meretur Chr. Wolfius, qui Euthymii veſtigia preſſit, et ex Graeco ejus textu hiſtoriam contexuit. Nomen a ſtudio precum acceperunt; *bog* enim lingua Bulgarorum eſt *Deus*, et *milui* dicit *miſerere*, adeo ut bogomilus ſit, qui Dei miſericordiam implorat: quod Euthymius in panoplia p. II. tit. 23. jam obſervavit: num vero ipſi ſe eo nomine inſigniverint, an alii ipſis dederint, minus conſtat, nec tanti eſt. Videtur autem nomen ex formula, qua uti ſolebant, *Deus miſerere mei*, ortum. Nomen vero *Meſſaliani*, quo Meſſalianitae veniunt ſec. IV., ex quibus Bogomili orti ſunt, idem fere denotat, ut ad illud ſec. obſervavi. Sed ipſi ſeſe ſimpliciter *Chriſtianos* denominari voluerunt, teſte Euthymio in *elencho* Meſſalianorum, ſeu Bogomilorum, reliqua nomina averſati. Ex quo probabilius fit, eos ab aliis eſſe *bogomilos* dictos, a quibus etiam nominati ſunt φυνδαῖται, vel φυνδιαγίαται, ut inſcriptio epiſtolae Euthymii apud Lambecium in Bibl.

Caeſar. habet, incertum vero, quare? Cotelerius in not. ad monumenta Gr. t. I. quidem derivat a φένδα, ſeu *crumena*, qua ad ſtipem colligendam fuiſſent uſi, ſed nullo fundamento.

§. CV. Etſi vero hi homines jam ante fuerunt, cum tamen hoc ſeculo in publicam venerint notitiam, et longe lateque ſint diſſeminati, origo eorum huic ſeculo tribuitur. Factum illud eſt a quodam Baſilio, qui ſectae promovendae magnam navavit operam, duodecim electis interioris admiſſionis diſcipulis, ut olim Manichaeus fecerat, ad exemplum Chriſti. De quo viro nihil aliud, quam, eum fuiſſe medicum, et monaſticum praetuliſſe habitum, conſtat. Zonaras autem refert, illum annos 52 pernicioſa dogmata docuiſſe, et *totam fere orbem ſua peſte inpleviſſe*, donec CPol. veniens ibi ſit detectus, et vivicomburio e medio ſublatus ab Alexio; ut mox narrabo. Quae vero de ejus hypocriſi et vafritie referuntur, auctoribus, qui hoſtes ejus fuerunt, relinquo. Poſtquam, ut ejus fata, ſatis miſerabilia, ſummatim enarrem, ab uno diſcipulorum, per tormenta ad id compulſo, proditus eſſet, et coram Alexio Inperatore adductus, is, una cum fratre Iſaacio Sebaſtocratore, nefaria arte, per blanditias, ipſa diſcipuli adſumta perſona, adeo etiam, ut ipſum in haec verba adlocutus fuerit, teſte Anna l. cit., *equidem Pater reverendiſſime! miror te inpenſe, ac veneror, virtute tua captus, cupioque valde doceri abs tua reverentia, quae tradis, quibus haec noſtra vana eſſe doces, et nullius frugis*, eum eo adegit, ut dogmata ſua explicuerit; qua ratione quoque olim Meſſalianorum primipilus legitur apud Theodoret. H. E. l. IV. c. 10. deceptus a Flaviano Antiocheno. Quo facto, cum ſua dogmata defenderet Baſilius, cuſtodiae mandatus, ubi a malis geniis vexatus, et lapidibus petitus eſt, ut fertur, denique rogo addictus, ſecundum ſententiam, ab ipſa Synodo, et Patriarcha CPol. Nicolao, latam, conſentiente Alexio, et combuſtus eſt. Adſeclae quoque ejus, quotquot ad ſaniorem

niorem mentem ſeſe adduci non fuerint paſſi, arctiori cuſtodiae traditi, et in carcere mortui, ſunt. Illuſtre profecto Spiritus Antichriſtiani, ſeu perſecutionis, in Oriente quoque ſpecimen. Sed ne ſic quidem exſtincta eſt ſecta, imo ſeſe haud diu poſt iterum oſtentavit ſub Johanne Comneno, per Conſtantinum Chryſomalum; cujus libri, poſt ejus mortem detecti, et in Synodo, habita hac de re, condemnati ac flammis combuſti ſunt. Acta Synodi exhibet Leo Allatius de *conſenſu* et *diſſenſu* etc.; l. II. c. 11. Incidit quoque in ejus haereſios ſuſpicionem Niphon aliquis, cum nonnullis aliis Epiſcopis, qui a Michaele Patriarcha CPol. damnatus, et barba privatus, ac in carcerem detruſus eſt, ut Cinnamus refert l. II. c. 10. Eductus quidem inde eſt a Coſma, Michaelis ſucceſſore, ſed poſtea denuo ei eſt mancipatus, et ipſe Coſmas ſede deturbatus: quod tamen malignorum calumniae adtribuit Nicetas Annal. l. II. Ceterum Bogomilos hoc ſeculo non fuiſſe exſtirpatos, vel illud demonſtrat, quod Germanus Patriarcha CPol. ſec. ſequente non tantum homilias contra eos habuerit, ſed et cum iis, ut ipſe in homiliis teſtatur, collocutus ſubinde fuerit.

§. CVI. Dogmata illorum, ſicut Euthymius, ex quo ſolo fere hic ſapiendum eſt, ea exhibet, fuerunt ſequentia 1. Scripturam Vet. Teſt., ipſum Decalogum, exceptis Pſalmis et Prophetis, ſpreverunt, tanquam a malo ſpiritu profectam, et peccato, carnique, inſervientem. Novi vero Teſt. libros adſumſerunt quidem, ſed ineptis allegoriis eorum ſenſum corruperunt. 2. Deum quidem ſtatuerunt eſſe ἀσώματον, *corpore* vacuum, attamen ἀνθρωπόμορφον, non craſſa quidem, ſed ſubtiliore materia, praeditum, quae *humanam* praefert formam: Filium vero et Spiritum S. *effluxus* eſſe Dei cenſuerunt, qui opere perfecto, in eum refluunt, contigiſſe autem efluxum illum, cum Chriſtus eſt ex Maria natus, quae Sabelliana olim fuit opinio. 3. Incarnatio itaque ex eorum opinione fuit fictitia, et phantaſtica,

tastica, ita ut effluxus iste Dei per Mariam, ut canalem transierit, per aurem ejus ingressus, indeque sub specie humana egressus, omniaque in speciem egerit, et dein in Patrem fuerit resolutus. Quod opinioni de carne, mali genii effectu, et sede peccati, concinit. 4. Creatorem quoque hujus orbis statuerunt esse Satanam; qui in terram invisibilem et rudem, seu materiam praeexistentem, dejectus formam mundi produxit, simul corpus formavit hominis, animo tantum a Deo infuso 5. Diabolum autem, antea potentissimum Angelum, ex ipsa Dei essentia natum, dignitate, prae superbia, hac sua non contentum defecisse; retento tamen magno imperio esse adorandum, ne quid mali infligat. Quo fini ficto Christi dicto in Euangelio usi sunt, *daemonia colitis, non ut vobis prosint, sed ne obsint.* 6. Lapsum et peccatum primorum hominum repetunt a Satanae, sub forma serpentis, concubitu cum Eva, unde natus est Cain, nisi illud allegorice de concupiscentia carnali, Evae per serpentem injecta, sit intelligendum. 7. Singulis porro hominibus singulos inesse daemonas, scelerum autores, sed et poenarum cum iis participes. 8. De regeneratione, et conceptione Verbi Dei, ejusque productione in animis auditorum, fortiter locuti sunt, ita ut sese Mariae fuerint censiti aequiparare; adeoque opus non esse baptismo aquae, quem a Johanne dixerunt profectum, se habere baptismum Spiritus, qui Christi est. Unde etiam est, quod eos, qui, licet baptizati, ad sectam suam accesserunt, admiserint, post justi temporis probationem, per manuum inpositionem, euangelio quoque Johannis capitibus eorum inposito, et Spiritu S. invocato. 9. Coenae Dominicae, quam pro daemonum sacrificio habuerunt, substituerunt Orationem Dominicam, ejusque petitionem de *pane quotidiano.*

§. CVII. 10. Spreverunt praeterea omnem externam religionis formam, uti sacramenta, Templa, Imagines, etc. ipsum quoque ministerium Ecclesiasticum, Templa etiam

cum

cum ſepulchris comparantes, et duos ordines, Clericorum et Monachorum, cum duobus illis daemoniacis, quorum mentio eſt in Euangelio, in ſepulchro degentibus, quippe qui Bogomilis valde erant infeſti. Repudiarunt etiam crucis ſignaculum, addita, vel ipſis adficta, ratione, quod Chriſto vitam ademerit. Cui crucis contemtui ſeſe vehementer oppoſuit Germanus, CPol. Patriarcha ſec. XIII., habita concione de *exaltatione crucis contra Bogomilos*, apud Gretſerum de *Cruce* tom. II. Abſtinuerunt etiam a conjugio, et reſurrectionem carnis negarunt, ex opinione de carne ſede peccati. Denique 11. praecipuum pietatis exercitium ſitum fuit in jejuniis, et precibus, ſed repudiatis precum formulis, in Eccleſia uſitatis, ſola excepta oratione Dominica, quam frequentiſſime interdiu et noctu pronunciarunt, praeterea a carne, caſeo, et ovis ſibi cavebant. Ceterum, ſi omnia haec ex vero ipſis inputata ſint, cum Manichaeis et Meſſalianis comparandi ſunt: de quo, in nonnullis ſaltem, valde dubito: ſed, prae monumentorum defectu, certi quid pronunciare non valeo. Admittunt utique nonnulla aliam interpretationem, et vix dubitaverim, quin externi cultus religioſi, hoc tempore uſitati, contemtus odium ipſis maxime pepererit, adeo ut omnia abſurda ipſis facile inputaverint, ſicut multis aliis, pro haereticis habitis, factum eſſe conſtat.

§. CVIII. Fuit quoque ſeculum hoc Haereticorum, vel quibus haec nota eſt inuſta, feraciſſimum inter Latinos: de quibus agere inſtituo. In initiis ſeculi *Tanchelinus* quidam, *nimiae ſubtilitatis*, verba ſunt Roberti de Monte l. cit., *cum tamen eſſet laicus, ſed multis etiam diſertis Clericis in ſermone acutior*, cum Antverpiam, flagitioſo paſtore infectam, adeoque ad aliena dogmata proclivem, reperiſſet, docere non tantum inſtituit, miniſterium Epiſcoporum et ſacerdotum eſſe inane, nec a Chriſto inſtitutum, euchariſtiae quoque perceptionem non eſſe ad ſalutem neceſſariam, ſed et trium millium armatorum, qui ipſi adhaerebant, manu ſtipatus

 patus

patus in medium processit, splendido indutus habitu, eo cum effectu, ut nemo ei auderet resistere, multi qua blanditiis, qua minis, in ipsius partes fuerint tracti. Praeterea tantam narratur apud adseclas habuisse autoritatem, ut vel aquas, quibus se lavaverat, biberint, easque pro reliquiis sint venerati, imo passi fuerint filias et uxores coram oculis suis ab ipso stuprari. Addit insuper Abaelardus *introduct. in Theologiam* lib. II. ipsum sese Filium Dei gessisse, et a sociis fuisse agnitum, ita ut ipsi exstruxerint Templum. Quid cum hoc homine factum sit, silet historia, nisi quod Robertus a Monte in *adpendice Sigeberti* a. 1114. referat, eum, post multas patratas caedes, a presbytero aliquo fuisse in cerebro percussum, et occisum. Duravit nihilominus ejus haeresis aliquandiu post, donec Norbertus, Praemonstratensium fundator, evocatus venerit Antverpiam a. 1114. qui errantibus convertendis, et Ecclesiae instaurandae, cum successu incubuit. Vid. Robertus, modo citatus, et Hugo in vita Norberti, praeter Abaelardum l. cit. Sintne haec omnia vera, praestare non possum, nonnulla forte ab adversariis adficta ipsi sunt, ut ipsum redderent odiosum: Clerum enim perstrinxerat, et irritaverat.

§. CIX. Adjungo ipsi similem, vel pejorem adhuc, fanaticum *Eudonem*, vel Eonem, e Brittannia Armorica, qui depingitur tanquam illiteratus, sed a daemonibus ita fascinatus, ut eorum ope multas praestiterit praestigias, eoque venerit dementiae, ut, se judicem fore mortuorum, et viventium, dixerit, eo per formulam, in exorcismis Ecclesiae usitatam, adductus, in qua et haec verba occurrunt, *per Eum, qui venturus est judicare vivos et mortuos*, se, cum idem gereret nomen, *eum* esse dictitans: ut narrat Neubrigensis Hist. l. I., qui de ejus praestigiis, aliisque ineptiis, plura refert. Quae si vera sint, hominem non sanae fuisse mentis demonstrant, interea, talem haud paucos numero offendisse aeque insanos, qui ipsius fuerunt adseclae, fidem fere superat. Sed seculum hoc fuit super-

perstitiosissimum. Ceterum in Synodo Rhemensi a. 1148. derisus non tantum, sed et carceri mancipatus est, in quo a daemonibus dicitur occisus. *In auctario* Anselmi Gemblacensis Chron. l. cit. tantum traditur, eum *vitam quidem et membra, Episcopo, qui eum adduxerat, expostulante, retinuisse, sed tamen praecepto Papae in custodia relegatum, ibi esse mortuum.* Discipuli vero ejus, qui magnis ab ipso erant ornati elogiis, dum alius sapientia, alius judicium, et sic porro, fuerit ab ipso adpellatus, in opinione constanter perseverantes, primum curiae, tum igni, sunt traditi, et combusti: ut idem refert historicus. Conferatur etiam Otto Frisingens. de gestis Frederici l. I: 54. et Robertus de Monte in adpendice Sigeberti, a. 1148., nec non auctarium Anselmi Gemblacensis Chron. a. 1146. et 1148.

§. CX. Succedant sanioris mentis haeretici, ut hoc tempore habiti sunt. Inter quos locum tenent, ut ab iis incipiam, Petrus et Henricus Bruisii, eorumque discipuli, *Petro-bruisiani* adpellati. *Petrus*, de quo parum, nihilque, nisi profectum ab adversariis, constat, sacerdos fuit et canonicus Gallus, qui per viginti annos in Galliae Provincia et Languedoco, ac alibi, contra varias doctrinas, caerimoniasque dominantes, docuit, ingentemque hominum numerum in partes suas traxit, ita ut altaria in illis locis fuerint confracta, cruces etiam combustae, ad quas in ipsa quadragesima carnes fertur coxisse, epulis inde confectis, sed et ipse tandem captus, et ignis supplicio adfectus, est, apud Fanum et Abbatiam S. Aegidii in dioecesi Nemausensi a. 1126. Vid. Petrus Cluniacensis in epist. ad Archiepiscopum Arelatensem et Ebredunensem, ut et in tractatu, iisdem nuncupato, quo errores ejus refutat, in Bibl. M. Patrum tom. XXII. Eadem non tantum tenuit vestigia, vel discipulus ejus, ut vulgo putatur, vel eodem in opere Collega, *Henricus* Bruisius, monachus, sed majore cum fama et progressu. Accessit enim ad morum sanctitatem, et vitae austeritatem, vis dicendi et movendi, adeo etiam, ut,

ipso concionante, foeminae abjecerint ornatum, et in ploratum eruperint auditores. Quam ob causam ipse Episcopus Cenomanensis eum magni fecit, licentia quoque in ditione sua concionandi, cum iter Romam susciperet, data. Quod ipsi fatale fuit. Concitavit enim sibi ab eo tempore invidiam et odium Cleri, quo nihil vehementius esse solet, a cujus obedientia populus abstrahebatur, nonnullis quoque a clero vexando non abstinentibus. Quo factum est, ut Clerus, in unum coactus, Henricum cum sociis, absente adhuc Episcopo, excommunicaverit, et diris devoverit. Episcopus vero redux, cum populum a se abalienatum reperisset, adeo ut benedictionem suam respuerit, Henricum fertur ignorantiae et haereseos convicisse, sed ignorantiae specimina, quae recensentur, spectant unice ad *officium* sacrum et missam. Quo examine facto, Episcopus sine alia poena jussit, ut dioecesin suam relinquat. Haec in Chronico Cenomanensis Ecclesiae, in Analectis Mabillon. referuntur, hostili animo scripto, cujus et hoc est indicium, quod non *ratione sed violentia contra illas bestias* dicatur esse agendum. Ipse Petrus Cluniacensis in epist. cit., moderatior licet sit, *vi* armata nihilominus haereticos illos *exturbari* vult per *laicos*, si *praedicatione*, quam adhibere *Christianam charitatem* magis *decere* fatetur, id fieri nequeat. Egit deinceps adhuc concionatorem Henricus in ditione et vicinia Tolosana, donec captus, et catenis abductus ad Albericum, Legatum Apostolicum, et ab eo carceri perpetuo mancipatus, vel occulte interemtus est. Nihil enim de ipso fuit ab eo tempore auditum. Vid. Goffridus in vita Bernardi.

§. CXI. Condiderunt hi viri haeresin, vel sectam, *Petrobrusianam*: quae ab a. 1119. turbas jam coepit dare, ut ex concilio Tolosano constat, eo tempore celebrato, praeside Papa Callisto II., in quo canon est contra hujus sectae homines conditus, his verbis: *qui religionis speciem simulantes dominici corporis et sanguinis sacramentum, baptisma puerorum*

*erorum*, *ſacerdotium*, *et ceteros Eccleſiaſticos ordines*, *et legitimarum foedera damnant nuptiarum.* Quos per poteſtates exteras decernitur eſſe coercendos. Teſtatur quoque *hiſtoria Trevirenſis*, in ſpicilegio Dacheriano, ſimilis generis homines a Brunone Archipraeſule detectos eſſe: obiit autem ille a. 1123. Petrus Cluniacenſis epiſt. citata tradit, haereſin illam quidem ſeſe *paulum removiſſe* a regionibus Epiſcoporum, ad quos ſcribit, ſed *migraſſe ad loca ipſis ſatis contigua*, *et a ſeptimania veſtra*, inquit, *vobis perſequentibus expulſam*, *in Provincia Novempulana*, *quae vulgo Gaſconia vocatur*, *et in partibus*, *ei adjacentibus*, *ſibi foveas praeparaſſe*, etc. Poſtea vero damnati ſunt in concilio Lateranenſi II. oecumenico, ſub Innocentio II. a. 1139., teſte canone ejus 23*tio*. Laborarunt in hac haereſi exſtirpanda duumviri celeberrimi, Petrus Cluniacenſis, et Bernardus Claraevallenſis, quorum ille Petro, hic Henrico, Bruiſio ſeſe oppoſuit, ſed nec Bernardus ſibi a malis moribus Henrico inpingendis cavit: vid. epiſt. 252. ad Hildefonſum, comitem Aegidii. Plauſtra vero conviciorum in eum conjecit Chronicon Cenomanenſe, ſupra citatum. Haereſios autem capita fuerunt 1. Paedobaptiſmum non poſſe infantes ſalvare, nec alienam fidem ipſis prodeſſe. 2. Templa eſſe inutilia, cum Deus ubique adorari poſſit. 3. Cruces eſſe confringendas et ſuccendendas, omni veneratione, magis adoratione, indignas; ratione, ut fertur, inde petita, quod inſtrumentum fuerit tormentorum et mortis Chriſti, adeoque dehoneſtandum magis, quam honorandum. Quod Petro Bruiſio ſaltem inputatur. Henricus prudentius traditur hac parte inſtituiſſe, qui, urbem intrans, crucem tanquam vexillum, praetuliſſe dicitur, Mabillon. in Analectis pag. 316., neſcio quam vere. 4. Corpus et ſanguinem Chriſti non eſſe ſecundum veritatem in euchariſtia, neque Deo debere offerri. 5. Sacrificia, orationes, eleemoſynas, et reliqua bona pro defunctis eſſe inutilia et ſpernenda. 6. Addit Cluniacenſis, eos traditiones, et Patrum autoritates, re-

pudiasse; Henricum quoque, praeter alia, dixisse, *irrideri Deum canticis Ecclesiasticis, quia, qui solis piis adfectibus delectatur, nec altis vocibus advocari, nec musicis modulis potest mulceri.* Denique fama adhuc adjecit, Manichaeorum principiis eos inbutos fuisse, et Vet. ac Nov. Test. libros rejecisse, cui tamen Cluniacensis fidem negat.

§. CXII. Memorantur praeterea apud Gulielmum Neubrigensem hist. l. I. *publicani*, sic dicti, qui sacramenta nihili fecerunt, quorum dux erat *Gerardus* Carpetanus, quique, praeter multas alias regiones, Angliam infecerunt, ubi severe puniti sunt. *Charactere enim haeretico frontibus eorum inusto*, virgis caesi, et urbe expulsi sunt, omnibus severe interdicto aliqua ratione ipsis succurrere; quare intolerando frigore sine ullius misericordia sunt consumti. Ita narrat autor citatus. Exstat etiam de Publicanis narratio Radulphi, Cogishalensis Abbatis, quam ex MSS. exhibet Johannes Picardus, notis ad Gulielmum Neubrigensem, lectu digna, quoad sectae opiniones, et constantiam in fide. Postquam ridiculum factum prodigiosum de anu magistra sectae, projectum fili globum in aerem secuta, retulisset, quod mitto, ita pergit, *homines hi hujusmodi inpurissimae sectae mori magis eligunt, quam ab errore converti.* — — — *Asserunt isti, parvulos non baptisandos, donec ad intelligibilem perveniant aetatem. Astruunt, non orandum pro mortuis, nec sanctorum suffragia expetenda: nuptias damnant, virginitatem praedicant, in operimentum suae turpitudinis, lac, et quicquid ex eo conficitur, abhorrent, et omnem cibum, qui ex coitu procreatur. Non credunt, ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam, corpore solutam, ad requiem transire, vel ad damnationem. Nullas sacras scripturas recipiunt, nisi Euangelia et Epistolas canonicas. Rusticani homines sunt, et ideo nec rationibus convincuntur, nec autoritatibus corriguntur, nec persuasionibus flectuntur, mori magis eligunt, quam ab inpurissima secta converti.* Subjungit denique, sed ex nonnullorum tantum relatione,

one, Manichaeiſmi capita, et nefanda ſacrificia Lucifero, ac ſacrilegas turpitudines, quae miſſa facio. Nec multum diſſimiles fuerunt ſic dicti *Apoſtolici*, a Bernardo Claraevallenſi ſerm. LXV. et LXVI. in Cant. cant., et Evervino, Steinfeldenſi Praepoſito, in epiſt. ad Bernardum in Analectis Mabillon., et in noviſſima operum Bernardi editione; deſcripti. Quos etiam depinxit, et refutavit Eckbertus, Abbas S. Florini coenobii, quod Schonaugia adpellatur, in dioeceſi Trevirenſi, poſt medium ſeculi, in Bibl. M. Patrum tom. XXIII. qui originem quoque a Manichaeo repetit. Addit, eos *talia jam longo tempore latenter ſuſurraſſe, luſtrantes ubique domos — — — circumire mare et arida, ut faciant Catharum unum.* Viguit haereſis maxime circa Coloniam Agrippinam, nec, vitae reſpectu, aliquid, quod carpat, habet Bernardus, niſi, quod, continentiae votum praetexentes, familiariſſimum cum foeminis habeant commercium. Inter capita vero haereſios eſt, quod paedobaptiſmum, invocationem ſanctorum, et orationes pro defunctis, una cum purgatorio, damnent, et ordinibus ſacris poteſtatem denegent, ſi peccatores ſint, conficiendi ſacramenta: quales cum cenſuerint Praelatos eſſe hujus temporis, eos hac poteſtate carere, ſtatuerunt, quemlibet vero electum, ſeu baptizatum, apud ſe ea pollere poteſtate. Adjungitur, eos abſtinentiam a carne, lacte, et ab omni, quod ex coitu gignitur, urſiſſe, abſque ut, ex quo principio ab illis rebus ſibi caverint, fuerit additum. Eckbertus vero dicit, eos *in occultis ſuis* tradere, *omnem carnem facturam eſſe Diaboli.* Nuptias quoque aliqui proſcripſerunt, abſque ut *cauſam*, inquit Evervinus, inveſtigare potuerim. Colligi itaque hinc nequit, eos Manichaeiſmum renovaſſe. Eckbertus praeterea adſerit, ſe ab aliquo eorum apoſtolo audiviſſe, eos veram Chriſti carnem, et reſurrectionem, negaſſe; porro, eos a Clero Coloniae examinatos, confeſſos eſſe, animas humanas eſſe ſpiritus illos apoſtatas, *qui in principio mundi de coelo ejecti ſunt.* Adeo autem narrantur in fide ſua confirmati, ut quae-

vis supplicia laeti subierint, sicut in illis adparuit, qui furore populi, *nimio zelo permoti, nobis invitis*, inquit Evervinus, in ignem conjecti sunt. Disseminarunt etiam sese similis generis homines per regionem Petragoricam, Gasconiae vicinam; qui haeretici *Petragoricenses* adpellati sunt. Vid. Annales Abbatiae de Margan, inter quinque scriptores historiae Anglicanae, nec non Heriberti Monachi epist. de iis, in Analectis Mabillon. l. III. Apostolicos porro, refert Evervinus, in duas classes esse divisos, quos utrosque depingit, additque, illos dicere, se maximam habere multitudinem, ubique fere terrarum sparsam, sectamque suam a temporibus martyrum fuisse occultatam, et permansisse in Graecia, et quibusdam aliis terris. Ceterum hi omnes videntur pertinuisse ad Waldenses, et Albigenses, quorum adcuratiorem dabo notitiam, postquam Arnaldistarum haeresin, magis politicam, paucis descripsero.

§. CXIII. Nomen *Arnaldistae* traxerunt ab Arnaldo Brixiense, e civitate Jtaliae Brixia oriundo, cujus etiam Ecclesiae Clericus ac Lector fuit, discipulus, et sectator, Petri Abaelardi, sed, e Gallia in Italiam reversus, habitum induit religiosum, et Clericis bellum indixit ac Monachis, contendens, nec Clericos proprietatem, nec Episcopos regalia, nec Monachos possessiones, habere debere: sed cuncta haec esse Principis, a cujus beneficentia in usum laicorum ea cedere debeant. Praeterea de sacramento altaris, et baptismo parvulorum, quoque non sensit ex sententia Ecclesiae dominantis. Quae omnia ex Ottone Frisingense de gestis Frederici l. II. 21. et Gunthero, poeta Ligurino, in collectione Reuberi, constant; qui autores Arnaldum propterea dixerunt esse Episcoporum derogatorem, et Monachorum persecutorem, Laicorum vero adulatorem, absque ut ingenii, aut vitae districtae, laudem ipsi denegare fuerint ausi. Vid. etiam, praeter Ottonem, Bernardus epist. 195. ad Episcopum Constantiensem, ubi inter alia, exclamat: *utinam tam sanae esset doctrinae, quam districtae vitae?* Sed in specie sese Romani Pontificis inperio ci-

vili opposuit, contendens, Inperatoribus urbem Romanam, Magistratibus potestatem civilem, esse restituendam, Pontifici et Clero tantum relictis rebus Ecclesiasticis.

§. CXIV. Quae principia cum a Clero et papis, ut facile patet, ferri non possent, Innocentius II. ea in Synodo Lateranensi II. a. 1139. damnavit, et Arnaldo silentium indixit, ac discessum. Sed ab eo tempore haec doctrina quaquaversum est disseminata, simul ubique a Clero condemnata, multum eo contribuente Bernardo, qui ipsum nusquam consistere passus, et ubique persecutus est. Vid. epist. ejus 195. modo citata, et 196., ad Guidonem Cardinalem, ac Legatum Apostolicum, apud quem Arnaldus ferebatur diversari. Interea altas egit doctrina ejus radices in populo Romano, et Senatoribus, qui veterem libertatem, et regiminis formam, revocatam volebant; ita ut, Papa ab urbis regimine submoto, summa rerum esset penes senatores et Patricium: quae contentio, cujus in historia Paparum aliquas duxi lineas, quinquaginta annos, ab Innocentio II. ad Clementem III., duravit. Memorabilis hanc in rem valde est Senatus, populique Romani, seu Arnaldistarum, ut scriptores Pontificii eos adpellànt, epistola ad Inperatorem Conradum III., qua eum adhortantur, ut in urbem veniat, suumque et populi jus vindicet, apud Ottonem Frisingens. l. cit., 1144. Sed renuit Inperator. Invaluerùnt dein illa principia magis magisque, cum Arnaldus Romam venit a. 1145., in initiis Eugenii III., et plebem quoque ad violenta excitarunt facinora, ut Otto et Guntherus referunt. Tandem, cum Arnaldus, Roma ab Hadriano IV. interdicto sacro subjecta, nisi Arnaldo renunciaret, discederet, et, infelici fortuna, in castra Frederici se, tutelae inveniendae ergo, contulisset, quo tempore Inperator Romam tendebat, et Papae gratiam aucupabatur, ipse captus, et, ut victimae loco inmolaretur, Papae traditus, et a Petro, urbis Praefecto, ad rogum damnatus, ac combustus est, cineribus in Tiberim projectis: ut autores citati tradunt, a. 1155.

§. CXV. Pergamus nunc ad Waldenses et Albigenses, quorum notabilis est historia, haud defunctorie tradenda. De *Waldensibus*, a quibus initium sumam, consulendi sunt ex veteribus, licet eorum acerrimi adversarii, a Gretzero editi, et inde in Biblioth. Patrum, 1. *Bernardus*, fontis calidi Abbas, ordinis Praemonstratensis, hujus sec. scriptor, qui capita disputationis inter Bernardum, Narbonensem Archiepiscopum, et Waldenses, a. 1195., exhibet. Edidit Gretserus, una cum Ebrardo, Bethuniensi Flandro, et Ermengardo, ignotis autoribus, *contra Waldenses*, et inde in *Biblioth. M. Patrum* tom. XXIV., sed ex illis parum disci potest. 2. *Reinerius* Sachonus, patria Placentinus, primum eorum antesignanus, dein, iis desertis, Praedicatorum classi adscriptus, et Inquisitor Generalis sec. XIII., cujus exstat liber contra Waldenses. Reinerii summam prolixam dogmatum Waldensium, forte ante 300 annos confectam, recenset Catalogus testium veritatis lib. XV.; ubi etiam ex Aeneae Sylviae *historia* Bohemiae, ac Jacobi de Riberea *collectaneis de urbe Tolosa*, et aliis, nonnulla exhibentur huc pertinentia. Reinerii liber plenius est editus a Gretsero, et inde in Bibl. M. Patrum tom. XXV. 3. *Petrus Pilichdorfius*, sec. XV., qui contra errores Waldensium, et contra Pauperes de Lugduno, scripsit. 4. Liber denique *sententiarum* inquisitionis Tolosanae, in lucem a Limburgio in historia Inquisitionis editus. Sed, praeter haec monumenta, ab adversariis profecta, et prae illis, conferenda sunt ipsa Waldensium, longe majore fide digna, sive sint *confessiones*, sive *catecheses*, sive *dialogi*, sive alii tractatus, apud Legerum in historia Waldensium lib. I., quibus aliae sunt addendae confessiones, sive Waldensium, sive Albigensium, apud Flacium Illyricum in *catalogo testium veritatis* lib. XV. Centuriatores Magdeburgenses centur. XII., B. Pictetum in continuatione Sueri sec. XI., qui omnium antiquissimam, a. 1100. confectam, recenset. Bossuetus in historia *Variationum* etc., contendit quidem, monumenta illa non esse antiqua,

qua, ſed ea vindicarunt Legerus et Baſnagius hiſt. Eccleſ. tom. II. Confirmat vero earum antiquitatem et lingua, et inmemorialis Waldenſium traditio: licet negari nequeat, de omnibus illis non aeque conſtare ſummam antiquitatem. Ex recentioribus vero adeundi ſunt, praeter Legerum Perrinum, et Petrum Aegidium, ſeu Piere Gillis, inter Proteſtantes Uſſerius, de *Succeſſione Eccleſiae* etc., et Limburgius in hiſt. *Inquiſitionis* l. I. c. 8., alii, inter Catholico-Romanos Thuanus Hiſt. l. V. a. 1550., Boſſuetus hiſt. Variat., Natalis Alexander hiſt. Eccleſ. hujus ſec., et alii.

§. CXVI. *Nomina* tulerunt varia, ſive a Doctoribus eorum, ſive a genere vitae, ſive a locis, in quibus degerunt, ſive a fatis, quae ſubierunt, ſive a conviciantium libidine, quae omnia recenſuiſſe longum foret, et taedioſum. *Waldenſes*, ut nonnulla praecipua nomina digito adtingam, quo nomine paſſim veniunt, adpellati cenſentur a *Petro Valdo*, alias Waldo, qui vel fundator, vel praecipuus ſectae promotor, habetur. Fuit civis, et praedives mercator, Lugdunenſis, qui circa medium ſeculi a. 1160. floruit. Cum aliqui Optimates, in unum coacti, inter quos erat Waldus, variis de rebus ſermones fererent, unuſque eorum ſubito ante ejus pedes moreretur, ipſe, ut fertur, tanto fragilitatis humanae, et irae Divinae, ſenſu fuit tactus, ut ſeculo renunciaverit ab eo tempore, ſeſeque totus Verbi Dei meditationi, et pietati propagandae, dederit. Initio ab inſtitutione domeſtica ſumto, dein, fama ejus increbreſcente, quoſvis admiſit erudiendos; ipſam Scripturam S. in linguam Gallicam vernaculam quoque vertit: eum enim non fuiſſe eruditionis expertem, quod nonnulli putant, ſe ex vetuſtis membranis cognoſcere adſerit Flacius Illyricus. Clerus vero Lugdunenſis, hiſce auditis, ſeſe quidem conatui ejus oppoſuit, eique inſtitutionibus domeſticis interdixit, ſed, tantum abeſt, ut operi ejus obex fuerit poſitus, ut majore etiam ſtudio in Cleri opiniones, rituſque religioſos, ac mores, inquiſiverit, eoſque apertius et animoſius oppugnaverit.

Qua ratione per quadriennium, vel quinquennium, docuit Lugduni, multosque fecit discipulos, de ipso, ut putatur, *Waldenses* cognominatos: sed alii hoc nomen inde repetunt, quod in Vallibus Pedemontanis degerent jam ab antiquo ejus sectae Christiani. Valles adpellantur *vaux*, unde *Vaudois*, Vallenses, et hinc ipse Petrus nomen *valdi* tulisse videtur, quod eam sectam sequeretur. Utique fuisse ante ipsum in usu, ex eo liquet, quod in confessione, a Picteto in lucem protracta, illud reperiatur. Reliqua nomina, sive iis propria, sive cum Albigensibus communia, sunt praecipue sequentia. *Leonistae*, vel Pauperes de Lugduno, adpellantur a loco, unde orti sunt, et vita paupere, quam initio per eleemosynas erogatas, et aliorum vexationes, degere debuerunt. Quo etiam respicit nomen *Sabbatatorum*, a ligneis calceis, *sabots* Gallice dictis. Vid. du Cange Gloss. Lat. *medii aevi*, in voce. Quam ipsam ob causam existimantur *Patarini* dicti, quia multa patiebantur; sed rectius, quia *haeretici* habebantur: eo enim nomine seculo superiore notati sunt Mediolani, qui coelibatum Clericorum urgebant, unde ad quosvis transiit haereticos: uti ad illud sec. suo loco observavi. Eo etiam tendit *Catarorum* epitheton, cui nomen, ut putatur, *Ketter* respondet, de quo etiam in superioribus egi. Ceterum Picardi, Lombardi, Bohemi, Albigenses, Bulgari, a locis, in quibus degerunt, dicti sunt: denique Turpelini, sive *Turelupini*, praecipue in Flandria et Artesia, quia multis erant expositi miseriis; ansam praebente proverbio, ibi usitato, quo liberi Turelupini nuncupabantur, qui infelicis erant sortis, a viro aliquo Turelupino, patre liberorum, qui misere perierant. Vid. Beausobre de Adamitis, p. II. Sed Turlupinos eosdem fuisse ac *fratres liberi Spiritus*, eosque fanaticos, et mysticos, erroribus *Pantheistarum* inbutos, contendit Moshemius hist. sec. XIII., qui de his consuli meretur.

§. CXVII. *Capita* haeresios, ante recensenda, quam eorum originem et fata enarrem, fuerunt, ut ex supra citatis monumen-

numentis conſtat, ſequentia. 1. Scripturam S. unicum eſſe fidei et religionis principium, rejecta Patrum et traditionum autoritate: nec Novi tantum, ſed et Veteris, Teſt. libros ad eam pertinere, ut ex Reinerio, et aliunde, probavit Uſſerius: uſi tamen maxime ſunt Novo Teſtamento. Unde anſam arripuerunt adverſarii, ipſis contemtum librorum V. T. inputandi. 2. Fidem tenuerunt ſanam, per omnes ſymboli Apoſtolici articulos. 3. Externos Eccleſiae dominantis ritus, exceptis baptiſmi et euchariſtiae ſacramentis, reſpuerunt omnes, ut Templa, ornatum, imagines, cruces, ſanctorum et reliquiarum cultum religioſum, ſacramenta quoque reliqua, tanquam ſatanae et carnis inventa, ac ſuperſtitionis plena. 4. Purgatorium cum miſſis et precibus pro defunctis repudiarunt, duobus tantum admiſſis extremis, Coelo et inferno. 5. Confeſſiones peccatorum, cum earum conſequentiis, et indulgentias admiſerunt nullas, exceptis confeſſionibus fidelium, mutuae inſtructionis, et conſolationis ergo. 6. Sacramenta baptiſmi et euchariſtiae pro ſignis tantum habuerunt, negata praeſentia Chriſti corporali in euchariſtia: ſicut habet liber hujus ſectae hominum de Antichriſto, et ipſis tribuit quoque Ebrardus de Bethunia in lib. *antihaereſios*. 7. Tres tantum ſtatuerunt eſſe ordines Eccleſiaſticos, Epiſcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum; reliquos eſſe figmenta hominum, monachatum vero cadaver foetidum, vota eſſe hominum inventa, conjugium denique Clericorum eſſe licitum et neceſſarium. Ceterum habuerunt tres, vel quatuor, teſte Reinerio, ordines. Primus vero erat Epiſcopus, qui ſub ſe duos habebat Presbyteros, unum filium majorem, alterum minorem, qui fideles, Epiſcopo ſubjectos, viſitabant, et unum Diaconum. 8. Romanam Eccleſiam denique dixerunt eſſe meretricem illam Babylonicam, nec Papae et Epiſcopis obtemperandum, Papae non competere primatum ſuper Eccleſias omnes, aut utriuſque gladii poteſtatem.

§. CXVIII. Praeter haec capita tribuuntur quidem ipſis

alia, sed quae controversia non carent, utique a nonnullis negantur. 1. Judices et Magistratus, cum omni judicio in inprobos, ab ipsis inprobari, traditur quidem fide Reinerii, et Inquisitionis Tolosanae: sed illud respectu poenae capitalis tantum intelligendum esse, ipsa illa testimonia evincunt. Praeterea, eos obedientiam non negasse Magistratui, antiquae eorum testantur confessiones. Quid? quod in *lumine et thesauro* fidei, apud Perrinum, judicia capitalia non absolute damnent. Quousque itaque talia judicia proscripserint, et num omni tempore, omnesque Waldenses, ita senserint, dubium est. 2. Nec, quod ipsis inputatur, *paedobaptismum* spreverunt, sed pro re non necessaria tantum habuerunt, ut ex ipso Reinerio patet, qui ipsis tantum inputat, baptismum infantum esse inutilem. Liquet quoque ex *Calendario* eorum Spirituali, infantes ab ipsis fuisse sacro lavacro tinctos. Interea, cum eorum pastores saepe abessent, baptismum omittebant potius, quam ut sacrificulis committerent infantes, paedobaptismum non tam esse necessarium existimantes: unde facile oriri potuit suspicio, spreti ab ipsis infantum baptismi. 3. *Jusjurandum*, etiam legitimum, eos praestare noluisse, refert quidem Reinerius, sed addit, *perfectis* eorum hoc proprie convenire, qui mortem potius eligerent, quam jurare, reliquis non prorsus vetitum esse juramentum. Testantur praeterea Waldenses ipsi in *Kalendario* Spirituali, legitimum apud se obtinere juramentum.

§. CXIX. De ortu et progressu sectae acturo praemittere visum est singulare Reinerii testimonium, quo hanc sectam reliquis omnibus esse perniciosiorem dicit, ob has tres causas, 1. quia est *antiquior* et diuturnior, addens, aliquos dixisse, eam a temporibus Silvestri sec. IV. durasse, secundum alios a tempore Apostolorum. Reinerius in *summa*, sub finem, tradit, eos censere, *quod Ecclesia Christi*, haec enim ejus verba sunt, *permansit in Episcopis, et aliis Praelatis, usque ad B. Silvestrum, et in eo defecit, quousque*

ipsi

*ipſi eam reſtaurarunt: tamen dicunt, quod ſemper fuerunt aliqui, qui Deum timebant, et ſalvabantur*, 2. quia eſt *generalior*, imo *nullam fere eſſe terram*, inquit, *in qua haec ſecta non ſit*, 3. quia puram habet fidem in Deum, et ſymboli articulos, magnamque pietatis ſpeciem. Quod teſtimonium ab eorum adverſario, nec ab hoc tempore longe remoto, vixit enim medio ſec. XIII., profectum, omni animadverſione dignum, et veritati conſentaneum, eſt habendum. Objecerunt quidem nonnulli Pontificiorum ipſis vagas libidines, aliaque crimina, ſed ex para puta calumnia, pro ſolito eorum more, quo iis, qui a communione ſua diſcedunt, libidinem, tanquam ſeparationis cauſam, inpingunt, eo ineptius, quod, omni libidinis licentia in ſocietate Pontificia obtinente, nulla ſit propterea abeundi cauſa. Nihil tale de Waldenſibus habet Inquiſitio Toloſana, nihil Reinerius, quin, ut modo vidimus, contrarium. Anonymus in *tractatu de haereſi Pauperum de Lugduno*, *in theſauro novo* Martineti tom. V. diſerte dicit, *quod autem, ut dicitur, oſculentur aliqui catos et ranas, et videant Diabolum, vel exſtinctis lucernis pariter fornicentur, non puto ejus eſſe ſectae, quia Cathari hoc dicuntur facere, nec aliqua eorum veraciter intellexi, quibus fidem adhiberem.* Veriſſimum quoque ejus eſſe de antiquitate, et multiplicatione, eorum teſtimonium, adparebit ex ortus et progreſſus eorum hiſtoria, quam tradere adgredior.

§. CXX. De *antiquitate* ſectae, licet unius Reinerii ſufficeret teſtimonium, alia quoque teſtantur monumenta. Utique ante Valdum fuiſſe hujus ſectae homines, liquet ex antiquo tractatu de *Antichriſto* a. 1120., contra Pontificios, a Joh. Perrino in hiſt. Waldenſium vulgato, nec non ex epiſtola Praepoſiti cujuſdam Stenelden ad Bernardum, ante Valdi mortem ſcripta, cujus fragmentum ex Driedone exhibet Uſſerius, ubi, inter alia, traditur, nonnullos illorum hominum, inmoderato zelo populi eſſe raptos, et in ignem conjectos, eoſque tormentum ignis non ſolum in pa-

tientia, sed et laetitia, tulisse; describuntur vero tanquam qui in *suffragiis mortuorum*, *et orationibus sanctorum*, *non confidunt*, *jejunia*, *ceterasque adflictiones*, *quae pro peccatis fiunt*, *non esse necessaria justis*, *statuunt: purgatorium ignis post mortem non concedunt: in altari corpus Christi fieri negant; Ecclesiam apud se esse dicunt*, *non habentes agros*, *nec possessiones*. Esse sectam Waldo antiquiorem ex Bernardo Claraevallense quoque jam probavit Harenberg in *Otiis sacris*, observ. X. Sed quanta haec sit antiquitas pro certo adfirmari nequit. Alii ad tempora Berengarii referunt apud Usserium, alii, ut et Legerus l. I. c. 11. a Claudio Taurinensi, qui imaginibus, et dominio Paparum, sese sub Ludovico Pio opposuit, originem repetunt: ad quae tempora quoque pertinent piae meditationes ad singulos Psalmos, sanam doctrinam, et pietatem, spirantes, et in separatam aliquam Ecclesiam recte convenientes: quae prostant in Biblioth. Bremens. l. II., Ab eo autem tempore in Alpibus Cottiis et Rhaeticis, eorumque montium convallibus, ejusmodi homines resedisse, et latitasse, volunt: unde etiam nomen *Waldensium* derivant, quasi dicas Vallenses, *Vaudes*, Valdesios. De quo supra monui.

§. CXXI. *Progressus* sectae fuit et rapidissimus et latissimus, ita ut Reinerius, jam suo tempore nullam fuisse terram ab ea liberam, testetur. Causas progressus recenset Reinerius cap. 3. sequentes 1. inanem gloriam, qua, sicut doctores Catholici, honorari volunt. 2. quia omnes scilicet viri et foeminae, nocte ac die, non cessant docere et discere, ingente zelo flagrantes. Addit, quod adverti velim, *pro introductionibus eos docere*, *vitare obtrectationem*, *et juramentum*. 3. qui Novum et Vetus *Testamentum vulgariter transtulerunt*, *et sic docent ac discunt*. Adjungit, *audivi et vidi quendam rusticum idiotam*, *qui Job recitavit de verbo ad verbum*, *et plures*, *qui totum Novum Test. perfecte sciverunt*. 4. *In locis et horis occultis docent et discunt*, *nec aliquem admittunt*, *qui non sit credens eorum*. 5. *Scandalum de malo*

*exemplo*

*exemplo quorundam Catholicorum.* 6. *Insufficientiam doctrinae quorundam, qui praedicant quandoque frivola, quandoque falsa. Unde quicquid Ecclesiae Doctor*, inquit, *docet, quod per textum N. Test. non probat, hoc totum pro fabulis habent, contra Ecclesiam.* 7. *Irreverentiam, quam quidam ministri Ecclesiae perhibent sacramentorum.* 8. *Odium, quod habent contra Ecclesiam. Audivi*, sic pergit, *ab ore haereticorum, quod intendebant Clericos redigere, et Claustrales, ad statum fossorum, per ablationem decimarum et possessionum* etc. Subjungit denique, *in omnibus civitatibus Lombardiae, et in Provincia, et in aliis Regnis et terris, plures esse Scholas haereticorum, quam Theologorum, et plures auditores, qui publice disputabant, et populum ad solennes disputationes convocabant, in foris et in campis praedicabant et in tectis*, etc. *Inquisitioni*, ita pergit, *et examinationi, haereticorum frequenter interfui, et computatae sunt scholae haereticorum in dioecesi Pataviensi* XLI. Ecclesias denique recenset, *quas haeretici habent.* Albigensium Manichaeorum erroribus recensitis, subjungit autor magni Chronici Belgici ex Caesario a. 1208., *sic autem Albigensium error invaluit, ut brevi intervallo temporis infecerit usque ad mille civitates, et si non fuisset gladiis fidelium repressus, puto, quod totam Europam corrupisset.* Contigit vero, cum Waldenses ab Archiepiscopo Lugdunense vexarentur, et expellerentur, et Waldus cum sociis sese in alias contulerit regiones, ut ab eo tempore Waldenses quaquaversum fuerint dispersi, uti per Galliam, Italiam, Germaniam, Angliam, et Hispaniam. Alii in Gallia Narbonensi, quae Provinciam, Delphinatum, et Sabaudiam continet, sedes fixerunt, alii sunt in Alpes effusi, et in Pedemontium ac Lombardiam deduxerunt colonias. Vid. Usserius l. cit. Refert quoque Thuanus l. cit. Petrum Valdum, patria relicta, in Belgium venisse, atque in Picardia, quam hodie vocant, multos nactum esse sectatores, dein in Germaniam transiisse, et per Vandalicas civitates diu diversatum, postremo in Bohemia consedisse. De Bohemia

id confirmat Dubravius in *historia Bohem.*, et circa a. 1184. contigisse tradit. Ipsi Waldenses in colloquio cum Bohemis apud Lasitium declararunt, se ab a. 1160. fuisse dispersos per Lombardiam, Calabriam, Germaniam, Bohemiam, aliasque regiones. Quo pertinet, quod circa idem tempus intrasse dicantur Bohemiam duo Diaboli, sub forma hominum, docentes, inpune peccare licere, et nudos incedere debere credentes: unde sec. XV. orta est calumnia de Picardorum *nuditate*. Vid. Beausobre de *Adamitis*, ad calcem historiae L' Enfantii belli Hussitici, ubi etiam, Waldenses hoc seculo penetrasse in Bohemiam, demonstrat. Testatur denique autor *Catalogi testium veritatis* lib. XV., se possidere Consultationes Jurisperitorum Avenionensium, item Archiepiscorum Narbonensis, Arelatensis, et Aquensis, nec non ordinationem Albanensis Episcopi de exstirpandis Waldensibus, jam ante annos 340. scriptas. In fine vero earum consultationum scribitur, *nullum esse, qui ignoret, condemnationem haereticorum Waldensium, a longis retro annis, tam justissime factam, tam famosam, tam publicam* etc.

§. CXXII. Oppugnationes et vexationes eorum antequam enarrem, *Albigensium*, quibuscum eas habuerunt communes, notitiam tradam. Eos a provincia Albiensi et Tolosana, ubi praecipue versati sunt, nomen accepisse, constat. Albia vero, vel Albiga, hodie Alby, civitas erat in Cadurcis agri Tolosani, olim adscripta Aquitaniae Primae, maxima vero pars Galliae Narbonensis hoc tempore nomen *Albigesii* tulit, unde haeretici Galli generali nomine Albigenses adpellati sunt. Dispersi autem fuerunt per totum illum tractum Galliae Narbonensis, et per dioeceses Albiensem, Cadurcensem, Agennensem, Ruthenam, et vicinas. Sed cujus generis et sectae fuerint, non convenit inter doctos. Scriptores Pontificii, non recentiores tantum, sed et veteres sec. XIII., ut Petrus Vallium Cernaci, monachus Cisterciensis, in Albigensium historia, Inno-

cen-

centio III. dicata, Caesarius Heistirbacensis, in dialogo miraculorum, Acta Inquisitionis Tolosanae apud Limburgium, alii, hos homines depingunt atris admodum coloribus, tanquam manichaeos non tantum, sed et pessimae vitae ac morum. Traduntur, ex gr. *α.* quoad doctrinam, tenuisse 1. duos esse Deos et Dominos, unum bonum, Patrem Christi, autorem invisibilium et incorruptibilium, alterum malignum, autorem visibilium et corporalium, illumque Novi, hunc Veteris, Testamenti autorem; adeoque Vetus Testam. repudiandum esse, praeter pauca, inde a Novo Test. transumta. 2. Christum non habuisse, in veritate, sed in similitudine tantum, carnem; adeoque nec e muliere natum, nec Mariam, matrem Domini, aliam esse ac suam Ecclesiam, quae mandata facit Patris. 3. Corporum resurrectionem esse nullam, sed corpora fore spiritualia. 4. Animas humanas esse Spiritus, qui propter peccata de coelo ceciderant.

§. CXXIII. *β.* Quod ad ritus et instituta adtinet, 1. Ecclesiae Romanae non solum sacramenta, omnesque ritus Ecclesiasticos, repudiarunt, quod cum Waldensibus habuerunt commune, sed et ipsum baptismum, ac eucharistiam, sola retenta inpositione manuum. Crucem quoque signum detestandum Diaboli adpellarunt. 2. Ordinem Ecclesiae Romanae rejecerunt, omni ipsis ligandi et solvendi negata potestate, cum essent peccatores. 3. Ipsi in duo genera fuerunt distincti; quorum alii erant *perfecti*, seu *consolati*, qui fidem et religionem eorum profitebantur, et e quorum numero habebant Magistratus, Diaconos et Episcopos dictos: qui perfecti quoque speciatim vocati sunt *boni homines*: de quibus vid. Cl. Joecherus, Professor Lipsiensis, in programmate de *bonis hominibus*, ad calcem Schmidei hist. Eccles. p. III., alii vero cum hisce fecerunt *pactum*, ipsis dictum *la convenensa*, convenientiam, se scilicet sub vitae finem recipi velle in eorum sectam. Receptio autem illa, dicta *haereticatio*, hac ratione peragebatur; per-

fectus tenebat manus recipiendi inter manus ſuas, et aliquem librum ſuper ipſum, in quo legebat euangelium Johannis, in *principio erat verbum*, uſque ad verba, *gratia et veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Vid. etiam de hoc ritu Ermengardus contra Vallenſes, a Gretſero editus, ſupra memoratus c. 14., tradebat praeterea ei *filum* ſubtile, quo pro haereſi cingeretur. Diſcriminis quidem aliquid erat in foeminarum receptione, ſed illud tanti non eſt. Ceterum haec receptio, ad quam per quaſdam abſtinentias praeparabantur, credebatur adferre ſalutem, quare conſolamentum, etiam baptiſmus ſpiritualis, adpellabatur, et ad finem vitae differri ſolebat, ac infirmis adplicari: quibus etiam, ne ad ſanitatem redeant, praeſcribebatur, ut ſe ponerent in *endura*, ſeu inedia, ad mortem accelerandam; quo fine ſubinde venae ſectione, et balneatione utebantur. Qui vero duram illam legem recuſabant, ab omni commercio cum viris, etiam uxoribus, abſtinebant, ne relabantur: alia praetereo. 4. Rejecerunt matrimonium, ut carnale et illicitum, ei ſubſtituto ſpirituali conjugio. 5. Mitto libidines, et vitia omne genus, quae ipſis inputantur.

§. CXXIV. Qui colores ſi ipſis conveniant, veraque ſit haec eorum deſcriptio, prope ad Manichaeos adceſſerint, neceſſe eſt, praeterea omnino a Waldenſibus diſtincti et longe diverſi, ſicut ſec. XIII. ſcriptores inter eos et Waldenſes quoque probe diſtinxerunt. Petrus, Monachus vallium Cernaii, modo citatus, expreſſe dicit, Valdenſes longe fuiſſe ab illis diverſos, nec tam malos, imo in multis convenire cum Eccleſia Romana, tantum in nonnullis diſſentire, quum ita pergit de Valdenſibus: *ut plurima de infidelitatibus eorum omittamus, in quatuor praecipue conſiſtebat error ipſorum, in portandis ſcilicet ſandaliis, more Apoſtolorum, et in eo, quod dicebant, nulla ratione eſſe jurandum, aut occidendum, in hoc inſuper, quod adſerebant, quemlibet eorum in neceſſitate, ſi modo habeant ſandalia, abſque ordinibus ab Epiſcopo*

*Episcopo acceptis, posse conficere corpus Christi.* Distinxit quoque Reinerius Waldenses ab Albigensibus, nec non Inquisitio Tolosana apud Limburgium. Horum vestigia pressit Bossuetus *hist. Variationum* etc. l. II., contenditque, Waldenses in summa rei cum Catholicis sensisse, adeoque fuisse tantum Schismaticos. Quid ad haec Protestantes? Vulgata eorum antea fuit opinio, Albigenses et Waldenses fuisse eosdem, adeoque Manichaeismum, Arianismum etc., ipsis inputatum, puram putam esse calumniam. Conatus quoque est eos ab hac labe purgare Legerus hist. Wald. l. I. c. 19., cujus tamen testimonia magis in Waldenses quadrant, licet tales quoque plures fuisse Albigenses evincant. Vid. etiam autor libri, *la condemnation de Babilone*, contra Bossuetum, ubi de Waldensibus, eorumque antiquitate, etiam agitur, et Albigensium aeque ac Waldensium puritas in doctrina et moribus vindicatur. Sed ab hac sententia discessit Limburgius, qui, Albigenses a Manichaeismo non posse absolvi, disputat. Mediam quandam viam tenent alii, ut Spanhemius, et Basnagius in hist. Eccles., et fusius in *historia Ecclesiarum Reformatarum*, ubi actorum Inquisitionis Tolosanae prolixam dedit recensionem, cap. 10. etc., qui, inter eos fuisse Manichaeos et Arianos, concedunt, ex Oriente in illas, et alias Occidentis, regiones delatos, sed longe maximam partem eos fuisse puriores, a Pontificiis vero inter se confusos, contendunt.

§. CXXV. Equidem non iverim inficias, Manichaeos in his regionibus fuisse versatos haud exiguo numero, Albigensium quoque nomine insignitos, de quo vid. Usserius et Limburgius l. cit., admitto quoque, inter Waldenses et Albigenses passim hoc, et sequente, seculo, ita fuisse distinctum, ut Albigenses fuerint censiti principia habuisse Manichaeismi, si non crassioris, saltem subtilioris, quatenus de Diabolo, tanquam altero aliquo Deo hujus mundi, fuerint locuti, et carnem pro sede peccati habuerint, eoque nomine ab omni cum carne commercio abstinuerint, ut supra

exposui, et ex Limburgio elucescit: attamen nullus dubitaverim, quin veri Waldenses quoque Albigensium tulerint nomen, sic ex. gr. Petrus Cernai in dedicatione historiae Albigensium tradit, haereticos omnes Galliae Narbonensis fuisse *Albigenses* dictos, et inter eos minus malos esse *Waldenses*. Gulielmus Podolaurentius in Chron. Albigenses distinguit in Arianos, Manichaeos, et Waldenses, quod etiam Benedictus probat in historia Albigensium, ex epistola quadam Regis Aragoniae, Bertrandus quoque, ICtus Tolosanus, in gestis Tolosanorum, absolvit Comitem Tolosanum, patronum Albigensium, à Manichaeismo. Vid. Usserius de Success. Ecclesiae etc. cap. 10., et Basnagius l. cit. Denique, cum purae et Manichaicae fidei Albigenses secum commune habuerint, quod externis Ecclesiae ritibus contradixerint, Ecclesiae quoque dominanti, ac sedi Papali, sese magno studio opposuerint, fieri vix aliter potuit, quin ab hostibus pro Manichaeis fuerint habiti omnes, nullo facto discrimine, ut eo meliorem odii et persecutionis haberent praetextum, eosque omnium odio exponerent: sicut, cum sic dictis haereticis passim fuisse actum, historia in omnium ingerit oculos, et omnium seculorum, ne nostro quidem excepto, experientia evincit.

§. CXXVI. Primum concilium, ut oppositiones et vexationes, quarum aliquas jam supra recensui, simul complectar, et summatim enarrem, contra hujus sectae homines celebratum est Oxoniae a. 1160., in quo eorum dogmata, a Gerardo quodam Teutonico cum triginta sociis e Germania in Angliam translata, ut, quod baptismum contemnant et eucharistiam, vanasque dicant ceremonias, item matrimonium etc., secundum iniquam scilicet adversariorum interpretationem, non tantum damnata sunt, sed et haec in eos lata est sententia, ut *candenti ferro notarentur in fronte, et urbe expulsis nemo vel hospitium vel cibum praeberet, aut ulla ratione cum iis communicaret.* Quae sententia cum rigide fuerit executioni mandata, miseri homines as-

pera hyeme partim fame, partim frigore, perierunt; attamen nihil de manſuetudine et patientia remittentes, quin perſecutoribus benedicentes. Exſtant acta apud Gulielm. Neubrigenſem l. II., qui addit, fuſtigationem reliquis poenis fuiſſe adjectam. In Gallia prima contra ipſos habita eſt Synodus Turonenſis ab Alexandro III. a. 1163., in qua haereſis damnata eſt, de qua dicitur, eam in *partibus Toloſae dudum emerſiſſe*, et per alias provincias, nominatim Guaſconiam, eſſe diſſeminatam. Quibus provinciis adnumeranda eſt Petragoricenſis, Guaſconiae vicina; unde haeretici Petragoricenſes adpellati ſunt, de quibus ſupra quaedam monui. Interdictum praeterea omne qualecunque cum iis eſt commercium, uſque etiam ad venditionem et emtionem, omne receptaculum aut praeſidium ipſis praebendum. Deinde damnati rurſus ſunt in concilio Lumberienſi in Vaſconia, ſub metropoli Toloſana, a. 1175., ubi *bonorum hominum* titulo inſigniti ſunt, quibus hi errores inputantur, 1. Vetus Teſtamentum nullius eſſe autoritatis. 2. fidei confeſſionem non eſſe neceſſariam. 3. Infantes per baptiſmum non ſalvari. 4. Euchariſtiam a Laico etiam conſecrari. 5. Matrimonium eſſe illicitum, nec cum ſalute conſiſtere poſſe. 6. Solos ſacerdotes ligandi et ſolvendi poteſtatem non accepiſſe. Interea exſtat, actis inſerta, confeſſio fidei ipſorum, his erroribus directe oppoſita; addunt, ſe paratos eſſe ad agnoſcendum, quicquid ex *Euangelio, ſcriptiſque Apoſtolicis*, demonſtrari poſſit ad ſuam convictionem: juramentum vero praeſtare recuſarunt, quippe per euangelium et ſcripta Apoſtolica vetitum. Vid. Hovedenus Annal. p. II., qui eos male nuncupat Arianos, Damnati et hic ſunt ac expulſi. Quod iterum in Synodo Toloſana a. 1178. factum eſt, praeſide Apoſtolicae ſedis Legato, eodem Hovedeno teſte. Praeterea in concilio Lateranenſi III. a. 1179. proſcripti ſunt, ut in Alexandro III. habuimus: quod mox confirmavit Lucius III., referente Bernardo, Abbate *fontis calidi*, in praefatione tractatus

contra hanc haeresin; qui adjungit, eosdem esse a Bernardo Narbonensi invocatos, et post praecedaneam disputationem damnatos. Nec alii videntur fuisse, qui, teste Rigordo de *gestis Philippi Augusti Francorum Regis*, inter scriptores Franc. Pithoei, haud exiguo numero combusti sunt in Flandria a Gulielmo Rhemensi Archiepiscopo, Apostolicae sedis legato, et a Philippo illustri Comite Flandrensium. Accidit a. 1184. Adpellatos fuisse vulgo *Popelicanos* tradit Gulielmus Briton. *Philippidos* lib. I. ibid. Denique in Synodo Senonen. a. 1198. idem contigit: ubi Rainaldus, Abbas S. Martini, duorum quoque errorum dicitur convictus, scilicet, corpus Domini mitti in secessum, et omnes juxta Origenem esse salvandos. Vid. Chronicon Autisiodorense, ubi adpellantur *Populicani*, sicut in concilio Lateranensi III. *Publicani*; quo nomine Manichaei sunt insigniti, alias Pauliciani, et Pauliani, dicti.

## NESTORIANI ET EUTYCHIANI.

§. CXXVII. *Nestorianorum* historia cum praeter Patriarcharum catalogum nihil fere memoratu dignum exhibeat, nisi quod Elias III., qui per 24 annos, usque ad 1190., sedit, celebretur tanquam Linguae Arabicae et Syriacae cognitione, nec non nonnullis homiliis, epistolis, ac precibus ab ipso compositis, ad officium vespertinum, nocturnum, et matutinum, clarus, de quo vid. Asseman. Bibl. Orient. tom. III., de *Eutychianis* quaedam dicenda sunt. *Syro Jacobitarum* historia parum suppeditat memorabile praeter Patriarchas sibi succedentes, qui saepe ambitiose et inperiose praefuerunt. Sub *Johanne Maudiana*, qui octo annos, usque ad 1137., praefuit, *Gregorius*, Armenorum Catholicus, carmine edito, Syro-Jacobitas reprehendit, quod *uno* digito crucem formarent, fermento uterentur in eucharistia, vinum, mel, oleum, tactu insectorum polluta, precibus mundarent. Cui carmini cum aliud opposuisset *Bar-Andreas*,

*as*, Mabugi episcopus, quo Armenios Judaicorum rituum agebat reos, Gregorius gentis suae famae consulturus, utrumque carmen igni combussit, eaque ratione pacem inter Armenios et Jacobitas confirmavit, *Athanasio* VIII. sedente, ab a. 1138. ad 1166. Barhebraeus duo vitia ejus temporis Episcoporum notavit, unum, quod episcopi ob lasciviam depositi vel alio translati sint, vel a Christiana fide defecerint, alterum, quod Episcopos coadjutores ordinari fecerint nepotes suos adhuc tenerae aetatis.

§. CXXVIII. Omnium celeberrimus *Michael* I., *magnus* dictus, sedit ab a. 1166. ad a. 1198., vir gloriosae memoriae, secundum Bar-hebraeum, in sacris scripturis adprime eruditus, qui multos reliquit libros. Edidit *anaphoram*, seu liturgiam, ordinavit Pontificale et rituale Syrorum-Jacobitarum, nec non opus de *praeparatione ad communionem*, in quo maxime in morem, qui tunc apud Coptitas obtinebat, quo confessio apud sacerdotem negligebatur, invehitur. Invaluit autem illud sub Marco, Zaraae filio, et Johanne Abulmeged, Patriarchis Alexandrinis, opera Michaelis Damiatae Episcopi, Vid. Renaudot. in historia Alexandrin. Praeterea, sedente Michaele, ad eum litteras scripsit Michael Comnenus Inperator de religione, et Theorianum misit ad eum, ac Narsetem, Armenorum Catholicum, qui eos ad colloquium invitavit, in quo disceptatum est de *substantia et natura*, et doctrina Apostolica. Theoriani librum de hac sua legatione edidit Leunclavius gr. et Lat. Ceterum Graecorum Inperator decem quaestiones Armenis proposuerat, *quinque* de fide, ut duas in Christo naturas unitas dicerent, duas voluntates, duas operationes, utique cum tribus Synodis praedicarent quoque quartam, quintam, sextam, et septimam, denique e trisagio adpendicem, *qui crucifixus es pro nobis*, expungerent: praeterea *quinque* de ritibus, ut festum nativitatis Christi cum ceteris nationibus celebrarent, fermentum in eucharistia, et aquam in calice ponerent, chrisma ex oleo olivae conficerent, in Ec-

 clesiis

clesiis orent, denique liturgiam palam faciant. Quas easdem propositiones Graeci ab Armenis postularunt in concilio Tarsensi a. 1177. Vid. Galanus in *conciliatione* Ecclesiae Graecae et Armenae tom. I.

§. CXXIX. Celebrem praeterea praestitit ejus Patriarchatum *Jacobus Barsalibaeus*, Amidae Episcopus, de quo prolixe egit, et opera ejus, quae multa sunt, sermone Syriaco elegante conscripta, recensuit Asseman. Bibl. Or. tom. II. Scripsit commentaria in totam Script. S., antiquorum premens vestigia, teste praefatione ejus in Matth.: insuper, praeter alios libros, *anaphoram*, seu liturgiam, *expositiones* rituum, *canones* de sacramento confessionis; unde patet, auricularem confessionem coram sacerdote fuisse apud eos in usu: *expositionem* quoque missae, ex qua ritus Syrorum antiqui in liturgia colligi possunt, et fides eorum de praesentia Christi in eucharistia luculenter elucescit. Inter ritus usitatos sunt. 1. hostiarum numerum, nisi sit binarius, debere esse inparem, in signum Trinitatis. 2. panem esse fermentatum, sale quoque et oleo mixtum, nec non recentem et quotidianum. 3. Eucharistiam semel in die super uno altari esse celebrandam, et a jejunis sumendam. 4. Stationem, et non genuflexionem, in missa obtinere. Quoad fidem, inpanationem manifeste tenuit, sicut Graeci et Veteres omnes, simul dilucide exposuit: *ut carnem*, haec ejus inter alia sunt verba, *cui Deus unitus fuit, deificavit, Deumque eam fecit, non quidem natura, sed operatione, ita et corpus, quod manducamus, estque illud quod ex virgine natum est, non quidem natura, sed unione cum verbo Deo:* nec alio sensu dixit, panem et vinum converti in corpus et sanguinem Christi. Quam eandem in mentem disserit Anonymus Syrus apud Asseman. ibid. p. 102., adeo ut hinc de Syrorum, et Jacobitarum, et Catholicorum sententia clare constet. Denique ex eodem Barsalibaeo patescit, consecrationem, non tantum per quinque notissima Christi verba, sed per *invocationem* Spiritus S., fuisse peractam, sicut omnes

nes tenuerunt Veteres. Sed adtentionem meretur, quod dicat, *Spiritum S.* eodem modo credi descendere super panem, etsi divina natura cum eo uniatur, quo modo in Mariam descendit Luc. I: 35. Postremo scripsit de Providentia, contra Johannem Episcopum Mardae, creatum Patriarcham a. 1125., qui statuerat, *flagella in homines non a Deo inmitti.*

§. CXXX. In historia *Coptorum* nihil sese offert valde memorabile, praeter schisma inter Marcum, Zaraae filium, Patriarcham Alexandrinum ab a. 1166. ad a. 1189., et Marcum, Konbari filium, circa sacramentum confessionis: quod ex Barhebraeo enarrat Asseman. Bibl. Or. t. II., de quo etiam egit Renaudot. de *poenitentia*, et in *hist. Alexand.* Marcus Konbari, nullam obtineri posse remissionem peccatorum, nisi facta apud sacerdotem confessione, vehementer ursit, sed Marcus Patriarcha, confessionem Deo esse secreto faciendam contendit; cui sese patronum praebuit non tantum Michael, Damiatae Episcopus, sed et Marci successor Johannes VI., unde schisma fuit ortum. Praeterea hi posteriores traduntur multum commendasse circumcisionem, modo fiat ante baptismum.

## SCHISMA GRAECORUM.

§. CXXXI. Quamvis Latinorum ritus et disciplina multa Orientis loca occupaverint, per expeditiones cruciatas, Latinis quoque Patriarchis sedentibus Antiochiae et Hierosolymae, Graecorum in servitutem missis, unde Graecorum querelae sunt ortae, apud Anonymum de *dissidio Graecorum et Latinorum*, citatum Allatio, l. II. c. 13., continuatum tamen fuit schisma, superiore seculo firmatum. Inperatores quidem Graecorum Alexius, Johannes Manuel, Comneni, sese specie tenus minus a Latinis et Papis, et unione Graecorum cum Latinis instauranda, demonstrarunt alienos, quia Latinorum metuebant expeditiones, et Germanorum Inpe-

ratoribus et titulum et potestatem Inperatoris invidebant, quare Papis sunt adulati, ut eos a Germanis abstraherent, et sibi devincirent; sicut Manuel fecit Alexandro III., ut eum in Fredericum I. incitaret, teste Niceta Choniate l. VII. Unde factum est, ut sub illis Inperatoribus unio Ecclesiarum fuerit per legationes et colloquia tentata, sed irrito semper successu. 1. Missus est, Alexio Comneno Inperante, a Paschali II., Archiepiscopus Mediolanensis, Grosolanus, alias Proculanus, ad Graecos in gremium Ecclesiae Latinae reducendos: qui, CPolin adpulsus, publicam habuit coram Inperatore disputationem de *Processione Spiritus S.*, quam recenset Baron. a. 1116 Sed ei sese Eustratius Nicaenus, Nicolaus Methonensis, Niceta Seidus, aliique, quorum supra memini, fortiter opposuerunt: adeo ut nihil fuerit effectum. 2. Sub Johanne Comneno CPolin ablegatus est a Lothario II. Inperatore Anselmus, Havelburgensis Episcopus, qui, licet Inperatoris legatione fungeretur, a Graecis provocatus, cum iis celebri in conventu disputavit. Quas collationes ipse Anselmus tribus dialogorum libris publicavit, quorum duo posteriores continent disputationes contra Graecos, de processione Spiritus S., de azymo, et autoritate Ecclesiae Romanae, in Spicilegio Dacheriano tom. I. Nec hic, testibus ipsis dialogis, aliquid praestitum est. Denique 3. sub Hadriano IV. et Alexandro III. Pontificibus, cum Inperator esset Manuel Comnenus, missis utrinque legatis, et a Manuele ad concilium Lateranense III., et ab Alexandro CPolin. Indicta quoque est Synodus CPolitana, in qua de pace cum Latinis tractari voluit Inperator, sed irrito non tantum, verum contrario, effectu. Decretum enim a Graecis est, consentiente Inperatore, *ut totali separatione Papam abscinderent, et quotquot illi adhaererent.* Vid. ipse Leo Allatius l. II. c. 12., ex dialogo Anchiali, et Macario Ancyrano, qui Graecorum caussam sunt tuiti. Ceterum notetur, Legatos Papae hic praecipue urfisse, ut Papae concederentur τὰ πρωτεῖα, seu Primatus jura,

ut

ut et adpellationes ad ſedem Romanam, denique Papae commemoratio inter ſacra. Egerunt autem hoc tempore cauſam Graecorum Michael Anchiali, Patriarcha CPolitanus, Georgius Corcyrenſis, Andronicus Camaterus, et Baſilius Achridanus, ſed qui paulo antiquior eſt. De quibus ſupra dixi. Continuavit itaque ſchiſma, imo Graecorum Inperatores, licet praetenderint amicitiam, valde fuerunt a Latinis alieni: ut ex Cruciatorum hiſtoria patet.

## DISSIDIA LATINORUM.

§. CXXXII. Famoſum inprimis eſt hoc ſeculum prae reliquis omnibus per inteſtina inter Latinos certamina, ſive propter ſedem Papalem, ſive inveſtiturarum cauſa, ſive ob jus eligendi Patricium, Conſules, et Senatores Romae, ſive opinionum et quaeſtionum ſcholae ergo. De quibus omnibus ſupra expoſui. Hic itaque terribiles illas factiones, nominibus *Guelforum* et *Gibellinorum* inſignitas, quorum illi Pontificis, hi Caeſaris, partes ſectabantur, quae diu durarunt, et innumera pepererunt, etiam inter privatos, mala, ut ex Chronico Bergomenſe apud Muratorium Script. Italiae tom. XVI., et aliunde, patet, totamque fere turbarunt Europam, inprimis Italiam, per tria fere ſecula, leviter perſtringam. Vid. de hac diviſione, ejuſque origine, ſec. XV. ſcriptor Johannes Faber, Monachus Ulmenſis, in hiſt. Suevorum, et recentioris aevi egregius hiſtoricus Giannone hiſt. Neapol. lib. XVI., de origine quoque et ratione nominum notae ad Albertum Muſſatum in ſcriptor. Italiae Muratorii tom. X., ubi variae etiam recenſentur opiniones. Addatur inprimis Muratorius Antiq. Ital. med. aevi diſſ. LI. de *origine et progreſſu* earum factionum: ubi de cauſis earum egregie diſſeruit. Originem praebuit diſſenſio inter familias, Suevicam et Bavaricam, de corona Inperiali, quo tempore Conradus III. Suevus ſucceſſit in Inperio Lothario a. 1139. Mortuo ſcilicet Lothario, qui Papis faverat, Henricus Superbus,

perbus, Dux Bavariae et Saxoniae, gener Lotharii, acceptis a socero inperii insignibus, simul potentia suâ fretus, inperialem sibi promiserat coronam, sed eam non inpetravit: cum Principes Conradum, filium Frederici, Sueviae Ducis, et sororis Henrici IV., elegerint. Unde funestum est bellum ortum inter Conradum et Henricum primo, dein, Henrico mortuo, Guelfum, fratrem ejus, a Rogerio, Siciliae Rege, adjutum, sed in perniciem Guelfi. Quae concertatio inter Conradi successores, et Bavariae Duces, deinceps continuavit. Quae bella cum Italiam adfligerent, Siculi vero cum Papis adhaererent Bavariae Ducibus, reliqui Inperatorum partes sequerentur, translata sunt nomina illa ad factiones Paparum et Inperatorum. Nomina vero Guelphorum et Gibellinorum, secundum Ottonem Frisingens. de *gestis Frederici* lib. II., inde habuerunt originem, quod, ut ipsius habent verba, *duae fuerint in orbe Romano, apud Galliae Germaniaeque fines, famosae familiae hactenus, una Henricorum de Guibelinga, altera Guelphorum de Altorfia, altera Inperatores, altera magnos Duces, producere solita.* Conradus vero Inperator, Henricorum successor, cognominatus est de Weibelingen, vel de Guibelinga, frater vero Henrici, Bavariae Dux, dictus est Gulphus, sive Guelpho, vel Welpho. Audita sunt in primis haec factionis nomina sub Frederico II., qui natus, vel educatus, fuerat Guibelingae in Suevia.

## PROPAGATIO ECCLESIAE.

§. CXXXIII. Praeter fictam et superstitiosam, per expeditiones Cruciatas, cum verior, saltem eo nomine majore cum specie dignior, propagatio, in populorum nonnullorum conversione ad Christianismi professionem, ut Pomeranorum, Livonum, Norvegorum, et Finlandorum, sita, obtinuerit hoc seculo, ejus historia praemittenda est. *Pomerania* et *Leutitia*, quae, ut Pagi ad Baron. a. 1128. recte observavit,

vit, comprehendit partem Makleburgi, Marchiae Brandeburgicae, et Ducatum Stetinensem, ad Christianam professionem adductae sunt, postquam Pomerani armis essent a Boleslao III., Polonorum Rege, subacti, per Ottonem, Episcopum Bambergensem, qui eas regiones, prima vice a. 1124., et altera a. 1128., adiit, ac Uratislaum, Pomeraniae Ducem, cum duobus ejus Filiis baptizavit, quando Adalbertus renunciatus est Pomeraniae Episcopus, sede posita Vollini, quod est insulae Julini, ad Ostia Oderae, oppidum: variae dein erectae sunt Ecclesiae in Pomerania et Leutitia in honorem Adalberti, Episcopi Pragensis, qui fidem ibi seculis superioribus plantare in animo habuerat, de quo supra suo loco. Vid., praeter Helmoldum in Chronico Sclavorum, Anonymus in vita Ottonis, apud Canisium in Lect. antiquis tom. III. p. II. Hic autem Otto, licet Bambergensis Episcopus per annulum et baculum esset ab Henrico Rege inauguratus, ad Papam Paschalem profectus, Episcopatui a Rege accepto renunciavit, donec a Papa fuerit ordinatus: praestitit sese celebrem quoque per cellas, et monasteria, in illo tractu, et in circuitu, exstructa, ac ditata, quae ab autore vitae ejus ibid. recensentur. Statuta vero Patrum, quae eos servare docuit, recenset Abbas Urspergens. ad a. 1124., quae jejunium sextae feriae, quadragesimam, baptismum bis in anno, compatres in eo, continent, praeterea, ut una uxore contenti sint, sepeliant mortuos in coemiteriis, non in silvis aut campis, ne fustes ad sepulchra ponant, omnem ritum et pravitatem paganam abjiciant — — — ne quid inmundum comedant, non morticinium, non suffocatum, neque idolothytum, denique ut peccata coram sacerdote confiteantur, et in infirmitate presbyteros ad se vocent, peccata confiteantur, et corpus Domini accipiant: etc. Genius vero viri patescit, quod, eodem referente autore, in *consuetudine habuerit, a manibus sacerdotum in conclavi corporales accipere disciplinas, sane adeo acres, ut cruor aliquando latera ejus ungeret.* Ceterum,

 inter

inter alia singularia, quae in horum populorum conversione acciderunt, lectu utilia, et hoc est, quod Stetinenses in initio Christianismum recipere recusarint ob pravos Christianorum mores. Apud *Christianos*, inquiunt apud Canis. l. cit. p. 67. *fures sunt, latrones sunt, truncantur pedibus, privantur oculis, et omnia genera scelerum et poenarum. Christianus execratur Christianum. Absit a nobis religio talis!*

§. CXXXIV. *Livonum* conversionis prima jecit fundamenta Meinardus, Sigebergensis canonicus, cum mercatoribus Lubecensibus eo delatus, qui socium in hoc opere habuit Bertoldum, Monachum Cisterciensem, et Abbatem in Lucca, vel Luka, monasterio Saxoniae; ut refert autor aequalis, Caesarius Heisterbacensis, Miracul. l. VII. Meinardo quoque in Episcopatu Rigensi successit Bertoldus, sed Dux cruciatorum, quos Coelestinus III. conscripsit, in expeditione contra Livones infideles, et hostes, periit, successoremque habuit Albertum, Bremensem Canonicum; qui, cum ingens militum manus eum secuta esset, rem felicius est executus. Qua occasione ordo Ensiferorum est institutus. De quo supra egi. Vid. Arnoldus Lubecensis in hist. Slavorum lib. VII. c. 8. Inter *Slavos* quoque religio Christiana magis magisque propagata est per Hartvicum, Hamburgensem Archiepiscopum, qui sedes Episcopales, a barbaris destructas, reaedificavit, nec non per Wicelinum, Aldenburgensem Episcopum, qui per triginta annos in Holsatia mansit, et plurimos Slavos, circa Holsatiam degentes, ad Christianismi professionem compulit, Vid. Helmoldus, qui hujus Wicelini fuit discipulus, in Chron. Slavorum lib. I. Ceterum, quod notari meretur, ab ipso Duce accepit *investituram*; quod alioquin Inperatoriae Majestatis erat privilegium, frustra dissuadente Hartvico. Vid. Helmold. l. cit. c LXIX. et LXX.

§. CXXXV. Denique, praeterquam quod Archiepiscopatus hoc seculo erectus sit, tum in Norvegia, sede metropolitica constituta Nidrosia, tum in Suecia, sede Upsalensi,

lensi, quod utrumque a. 1148. contigit, de quo vid. Johannes Magnus hist. Gothiae l. XVIII. *Finlandia* fidei professionem suscepit per Henricum, Episcopum Upsalensem, Finnorum Apostolum habitum a. 1168. Sed postquam ab Erico, Suecorum Rege, sub jugum missi essent Finlandi, et ad Christianismum compulsi: uti traditur in additione ad *auctarium Aquicinctinum*; ubi etiam refertur, *Rugios*, ab Erico devictos, idem fecisse. Vid. Pontanus in hist. rerum *Danicarum*. Ceterum Rugiani fidem jam tempore Ludovici Pii aliquatenus receperant, una cum S. Vito pro patrono, a S. Anschario ipsis commendato. Sed progressu temporis ad idololatriam reversi sunt, et hunc ipsum Vitum pro idolo adorarunt et coluerunt, dictum *Suatevith*, vel *Santevith*. Hoc vero tempore a. 1168. altiores ibi egit radices professio Christiana. Vid. Helmold. Chron. Slavorum lib. II. c. 12. et Saxo Grammaticus lib. XIV.

§. CXXXVI. Hae conversiones, licet nec euangelice factae sint, nec ad purum euangelium, cum superstitio Romana aeque fuerit propagata, Vid. ex. gr. institutio, ab Ottone tradita Pomeranis, modo memorata, nomen tamen propagationis Christianismi rectius merentur, quam *Expeditiones Sacrae*, ad quarum historiam pertexendam pergo, cum regni Hierosolymitani, post Bullionei, primi regis, mortem a. 1100., tum novarum expeditionum, respectu. Bullioneo successit in Regno hoc frater ejus *Balduinus* I., qui regnum fortiter est tuitus non tantum, sed et promovit. Expugnavit, post infelix praelium Ramae, Achonem Ptolemaidam a. 1104., opem ferentibus Genuensibus, qui cum ingente classe eo venerant: ut tradit Fulcherini hist. Hierosolym. l. II. Dein, eorum etiam ope, Tripolin a. 1109., mox Sidonem, Berytum, totamque illam oram, excepta Tyro. Reliquit itaque, a. 1118. defunctus, res Christianorum in florente statu. Utique tenuerunt, praeter regnum Hierosolymitanum, Principes Christiani

tiani principatum Antiochenum, Comitatum Edessae, comitatum Tripolitanum, et portus celebriores. *Balduinus* II. de Burgo, Comes Edessenus, cognatus et successor ejus, sub quo ordo Templariorum ortus est, cum ad comitatum Edessenum tutandum tenderet, captus quidem est a Saracenis a. 1123., sed Saracenos prostraverunt Christiani, Venetorum classe adjuti, ipsamque Tyrum expugnarunt; quando brevi liberatus est Balduinus, pecunia redemtus a. 1124. Suscepit quoque Principatum Antiochenum, mortuo Boamundo, genero suo, Principe Antiocheno a. 1130. brevi fato functus a. 1131. Successit *Fulco*, gener ejus, Comes Andegavensis, qui Principatum Antiochenum gloriose defendit contra Graecorum Inperatorem, illum invadentem, tanquam ad se pertinentem, omnes quoque regni partes contra Sanguinum, Sultanum Aleppi, fortissimum infidelium; denique, occupata Paneade ad septentrionem, et Berseba ad austrum, Cananaeam tenuit a Dan ad Berseba. Mortuus est a. 1142., duobus relictis inpuberibus, Balduino primogenito, et Amalrico; quorum ille successit sub tutela matris Milisendis.

§. CXXXVII. Ingentem quidem jacturam fecit res Christiana in Oriente, durante minorennitate *Balduini*, Edessa a Sanguino (alias Atabet-Zengi, Atabeck autem est titulus honoris, a Sultanibus datus praefectis provinciarum, Vid. Herbelot Bibl. Orient. in voce *Atabeck.*) Aleppensi Principe, Sultano Bagdadensi subdito, expugnata a. 1144., cum ejus comes esset Josselinus junior, vir ignavus et luxuriosus, teste Abbate Urspergense, Christianis aut occisis, aut in servitutem redactis; quae jactura secum Christianismi interitum trans Euphratem traxit: de quo vid. Neubrigensis de rebus Anglorum, qui modum et occasionem urbis captae tradit. Sed Balduinus, ex quo regnum coepit gubernare, illud strenue est tuitus contra Noradinum, filium Sanguini, et successorem in principatu Aleppensi, fortissimum hostem; alias principem justum et bonum.

Prae-

Praeter alia egregia facinora expugnavit Balduinus Afcalonem a. 1153., urbemque conceffit Amalrico, Joppenfi Comiti, fratri fuo: ut Gulielm. Tyrius refert. Sub ipfo quoque fecunda contigit, quae hujus feculi prima eft, expeditio Cruciatorum Ludovici, Regis Francorum, et Conradi, Inperatoris. De quo mox. Sed, quo tempore mortuus eft, a. 1162. res Chriftianorum, praecipue in principatu Antiocheno, valde fuerunt adtritae, tum per captum Rainaldum Principem, caefis vel captis omnibus ejus comitibus, tum per terribilem terrae motum; ut patet ex epiftola Amalrici ad Ludovicum, apud Bongarfium in *geftis Dei* per Francos. *Amalricus* quoque, qui Balduino fucceffit, duplice nomine fuit infelix, uno, quod fefe rebus AEgypti inmifcuerit, prima vice a Calipha evocatus contra Noradinum, AEgyptum invadentem, felici, altera, ut thefauros AEgypti raperet, pacto cum Graecorum Inperatore inito, infelici fucceffu. Noradinus enim, a Calipha in fubfidium vocatus, per Siraconem, fortiffimum Ducem, eo cum exercitu miffum, Amalricum cum clade et ignominia expulit. Infelicior porro fuit *altero* nomine, quod fub ipfo magnus ille Saladinus fuerit exortus, qui, Siraconi, quem Calipha AEgypti conftituerat Sultanum, feu praefectum AEgypti, fuccedens, mox ipfum Calipham trucidavit, fibique totam fubjecit AEgyptum, imo, Noradino mortuo, ejus quoque Principatum vel Regnum, filio Noradini exhaeredato, et nuptiis cum Noradini vidua contractis, accepit; nomen itaque fupra alios omnes in Oriente Principes nactus grande, ut Neubrigenfis et Tyrius referunt. Ceterum Amalricus, Princeps avarus, nihil praeclare pro Chriftianis geffit. Obfedit quidem Paneadenfem civitatem, mortuo Noradino, fed haud diu poft, accepta pecunia, inde difceffit, tefte Tyrio.

§. CXXXVIII. Succeffor et Filius ejus *Balduinus* III. a. 1173., cum tredecim vix effet annorum, regni procuratio tradita eft Raymundo, Comiti Tripolitano. Reportata

quidem est a Balduino et Templariis, parva armatorum manu, insignis et mirabilis victoria de Saladino, qui versus ipsam Hierosolymam moverat exercitum, omnibus fere militibus ejus vel gladio vel flumine absumtis, a. 1177., ut narratur a Tyrio, et aliis, succincte etiam et summarie a Chronographo Aquicinetino: sed haec scena brevi mutata est. Balduino enim morbo elephantiaco laborante, adque regnum inepto, coronatus quidem rex est *Balduinus* IV., sororis ejus filius, adhuc puerulus, et Guido de Lizoniaco, sororis ejus maritus, constitutus procurator. Sed utroque Balduino, priore a. 1185., posteriore, seu puerulo, a. 1186. mortuo, omnia sunt turbata, Principibus de successione diffidentibus, et Saladino ansam Hierosolymam occupandi praebentibus. Successerat Balduino *Guido* ille Joppensis, ducta ejus matre Sibylla uxore; sed illud aegerrime tulerunt Optimates, inprimis Comes Tripolitanus, tutor Balduini: quem eousque abripuit indignatio, ut res Christianorum prodiderit, et, Muhammedanus secreto factus, Saladinum evocaverit, ad sibi opem ferendam, verius ad regnum Hierosolymitanum destruendum. Quod et factum est a. 1187. a Saladino, post duarum tantum septimanarum obsidionem Hierosolymae: ut Nangius in Chronico refert, quando Christianis tres tantum urbes superfuerunt, Antiochia Syriae, Tyrus, et Tripolis. Qua ratione Hierosolyma post annos 88 rediit ad Turcas, Latinis partim Antiochiam, partim Alexandriam, vel Siciliam, petentibus, sed Syris, Georgianis, Graecis, et Armenis, ibi sub Turcarum dominio manentibus, et servituti addictis. Ceterum inter caussas, quibus res Christianorum in Oriente pessum iverunt, praecipuum merentur locum 1. Crimina et vitia, ut luxus, avaritiae, perfidiae, latrociniorum, et inpietatis, in Clero et reliquis grassantia, ut Tyrius l. XXII. et Neubrigensis rer. Angl. l. III. diserte testantur. 2. Inperia divisa inter Regem Hierosolymae, Principem Antiochiae, Comitem Tripolitanum, et Magistros militiae Templi ac Hospitalis,

uno

uno deficiente capite ſupremo. 3. Mutua diſſidia, modo memorata. 4. Saladini virtus, feliceſque progreſſus. 5. Infelices denique Cruciatorum expeditiones, quae hoc ſeculo fuerunt *tres*, quas ſummatim enarrare inſtituo.

§. CXXXIX. Plures quidem ſuſceptae ſunt, vel peregrinationes, vel expeditiones, ſed quae vix in cenſum veniunt, et minoris fuerunt momenti, infelicem etiam nactae eventum, qualis fuit, ex. gr., quam, audita Hieroſolymae a Chriſtianis expugnatione, inmenſa hominum multitudo ex Germania, Gallia, et Italia adgreſſa eſt a. 1102., cui ipſe Hugo Magnus interfuit, novo ſtudio, quod in patriam poſt primam expeditionem reverſus remiſerat, incitatus: ſed quae tota multitudo periit fere in itinere, cum per itineris incommoda, tum per Alexii perfidiam, et Turcarum inſidias; erat enim confuſa et diſciplinae expers. Ipſe Hugo a Turcis circumventus, et Tarſi Ciliciae defunctus eſt. *Secunda* itaque expeditio, hujus ſeculi *prima*, eſt, quam Conradus III. Inperator, et Ludovicus VII. Galliarum Rex, incitante Eugenio III. Papa, et Bernardo Claraevallenſi, qui ex divina revelatione quoque felicem promiſit eventum, inſtituerunt, a. 1146. et 1147., poſt Edeſſam a Turcis occupatam, et famam de adflicto Chriſtianorum in Oriente ſtatu quaquaverſum ſparſam. Eugenius, de eo certior factus per legatos Orientis, mox, litteris ad Ludovicum datis, a. 1145., Ipſum, alioſque Principes, ad expeditionem exhortatus eſt, plenaria peccatorum cruce ſignatis, et debitoribus uſurae, remiſſione conceſſa, ſimul licentia data, ut bona et poſſeſſiones, ſi Domini, quorum feuda erant, id recuſarent, perſonis Eccleſiaſticis oppignorare poſſent, liberis eorum, cum uxoribus et bonis, in tutelam Apoſtolicam ſuſceptis. Ludovicus, cum legati quoque in Gallias veniſſent, concilium Vezeliacenſe a. 1146. congregavit, in quo decreta eſt expeditio, ad quam Rex valde pronus erat, ut grande crimen, in Caſtri Vitrici baſilica, cum 1300 hominibus, incenſa, commiſſum, expiaret; ut, praeter alios, tradit Odo de Diogilo

de *profectione* Ludovici Regis in Orientem, et Anonymus de geſtis Ludovici in hiſt. Francica tom. IV. Eſt autem illud oppidum in ditione Theobaldi, Comitis Campaniae, cui Rex iratus erat, quod Petrum de Caſtro, Bituricenſem Epiſcopum a Papa conſecratum, a Rege vero expulſum regno, ſuſcepiſſet: ut in Innocentio II. vidimus. Habuit quoque hac in Synodo orationem Bernardus Claraevallenſis, qua omnibus expeditionem perſuaſit. Suſcepit itaque Rex crucis inſigne, a Papa miſſum, cum multis aliis, qui communi voce clamabant, *cruces*, *cruces*. Sumſit quoque eodem anno crucem Conradus Inperator, ejuſque nepos Fredericus, qui poſtea inperavit, ab eodem Bernardo, in generali conventu Spirenſi, qui Inperatorem ea de cauſa convenerat

§. CXL. Inperator, lectiſſimo et numeroſiſſimo cum exercitu, praecedens, per Hungariam et Bulgariam proſpere quidem in Thraciam venit, caſtraque haud procul CPoli, in amoeniſſima valle, quam Meias fluvius perfluit, poſuit, quorum quam ſplendidiſſimus erat conſpectus; ſed ubi longe triſtiſſimus accidit caſus, majoris mali praenuncius. Terribili enim tempeſtate ſubito exorta, et fluvio exundante, tentoria ſunt deturbata, totuſque exercitus diſſipatus, nec ſine aliquot militum, ac equorum, interitu. Venit dein, collecto exercitu, CPolin, ubi Comneni perfidiam variis modis expertus eſt, quae interitum exercitus produxit, non obſtante, quod duo illi Inperatores duas ſorores habuerint uxores. Ipſe Nicetas refert, nullum mali genus fuiſſe, quod Inperator non vel ipſe in eos machinaretur, vel aliis machinandi autor eſſet, ut ſcilicet eorum poſteri perpetuis monumentis ab invadendis Romanis, ſeu Graecis, abſterrerentur. Urſit non tantum Manuel, ut fretum quantocyus trajiceret in Aſiam, ſed et Sultanum Iconii de eo admonuit, exercitum varie infeſtavit, commeatus negavit, imo curavit, ut ferebatur, inquit Nicetas in Manuele l. I., qui addit, ſibi incompertum eſſe, num juſſu Inperatoris factum ſit, ut farina, quae ven-

debatur, fuerit gypſo corrupta: unde multi mortui, multi infirmati ſunt: dedit denique viae duces, qui exercitum in loca ſterilia et arida duxerunt, ubi omnium rerum erat penuria, iverunt enim, magno ſuo malo, per Aſiae ſeptentrionalia. Quo facto, fuga dilapſis viae ducibus, exercitus, famae fere enectus, incidit in manus Sultani, ita ut ne decima quidem pars cum Inperatore evaſerit, aliis fame, aliis ferro, occiſis, aliis ſervituti addictis. Quo miſerabili in ſtatu Inperator, Nicaeam redux, ſeſe quidem Galliarum Regi adjunxit, ſed et mox ſeſe ab eo ſeparavit, et cum parva manu reſidua navibus profectus eſt in Syriam.

§. CXLI. Ludovicus, Galliarum Rex, felicioribus auſpiciis, et ſine ulla jactura, per Auſtriam, Hungariam, Bulgariam, et Thraciam, venit in Aſiam. CPoli quoque cum ingente adplauſu, multiſque amicitiae ſignis, receptus eſt ab Inperatore, ſed quae in prudentiorum oculos perfidiam adeo ingerebant, ut aliquis Epiſcoporum Regi ſuaſerit CPolin occupare, et ſibi ſubjicere, eaque ratione Cruciatos a Graecorum perfidia reddere ſecuros. Quo conſilio ſpreto, ut votum contra Infideles inpleretur, Rex non per Aſiae ſeptentrionalia, ſed inter Phrygiam et mare, ſicut olim inſtituit Alexander M., iter perſecutus, cum Epheſum veniſſet, ora maritima relicta, ortum verſus movit, et, Maeandro, coram oculis hoſtium, feliciter trajecto, hoſtibus quoque fuſis vel fugatis, verſus Pamphiliam flexit, ne commeatus deficeret, exercituſque laboraret penuria. Quo in itinere cum mons eſſet ſuperandus, Rex, prudente quidem conſilio, exercitu in duo agmina diviſo, juſſerat, ut alterum poſt alterum eum conſcenderet, et caſtra in eo ponerentur; ſed prius agmen, monte conſcenſo, inde mox deſcendit, quia multum diei ſupererat, et vallem fertilem inveniendi ſpes a viae ducibus erat facta: quod fatale fuit exercitui. Poſterius enim agmen in ipſo conſcenſu montis ab hoſtibus, qui de omnibus certiores erant facti, et montis verticem occupaverant, invaſum, et totum diſſipa-

tum est, aliis trucidatis, aliis fugatis, ipso Rege non nisi summo discrimine evadente. Qua accepta clade, et reliquiis priori agmini adjunctis, cum ingente fame premeretur exercitus, Rex cum maxima parte naves conscendit, et in Syriam feliciter adpulsus est: reliqui vero partim inedia et morbo, partim ab hostibus, sunt deleti, ita ut pauci per terram salvi venerint in Syriam. Hac ratione cum Rex in Palaestinam adpulsus, et cum Conrado conjunctus, esset, consilio capto, decreta est Damasci oppugnatio, et suscepta, quae felicem habuisset exitum, nisi proditi et decepti fuissent ab ipso Raymundo Tripolitano, qui Ludovicum odio habebat, et aliis, qui partim ferre nequibant, Principatum Damascenum esse Comiti Flandriae adsignatum, partim ab hostibus erant pecunia corrupti. Effecerunt enim proditores, ut urbem, relicta parte ubi erant, et urbs brevi fuisset capta, ab altera, qua vinci non poterat, oppugnarint. Quo factum est, ut ingente cum clade et ignominia inde discesserint non tantum, sed et Rex ac Inperator exhausti viribus, et opibus, cum nihil a se praestari posse animadverterent, re infecta, et cum inmensae hominum copiae jactura, ad sua reversi sint a. 1149. Ceterum, cum Bernardus Claraevallensis, felicem exitum divinitus pollicitus, magnam sibi creasset invidiam, scripta apologia sese inter alia exemplo Mosis defendit, qui Israelitis promiserat terram Cananaeam, quique in deserto perierunt, propria sua culpa, et criminibus suis.

§. CXLII. *Tertia* expeditio, hujus seculi *Secunda*, suscepta est ab Inperatore *Frederico* Barbarossa, et Regibus Galliae ac Angliae, post Hierosolymam a Saladino occupatam, et res Christianorum fere deletas in Oriente. Quam, praeter Teganonem apud Freherum, inter scriptores Germaniae, descripsit Anonymus, autor aequalis, in Antiq. Lection. Canisii tom. III. p. II., qui omnino conferendus est. Promovit eam Clemens III., post Gregorium VIII., qui eam decreverat, sed perficere non poterat, concessa plenissima indul-

indulgentia, ut ab omnibus peccatis, de quibus poenitentes confessi erant, forent liberi et absoluti: multum quoque eo contulit Gulielmus Tyrius, in Europam eo fine missus. Crucem vero mox sumsit Fredericus ex Henrici Cardinalis, Episcopi Albanensis, eo scopo a Papa ablegati, manibus; idem quoque fecerunt quidem eodem anno Henricus Angliae, et Philippus Galliae, Reges, sed, bello inter eos exorto, non sunt eo tempore exsecuti. Inperator, omnibus rite paratis, antequam itineri se adcingeret, misit legatos ad Saladinum, qui bellum denunciarent, nisi crucem Domini captam reddat, et terram Hierosolymae restituat, ad Iconiensem quoque Sultanum, et Inperatorem Graecorum, liberi transitus ergo, quem promiserunt; denique ad Hungariae Regem, eandem ob causam, qui non id tantum concessit, sed et filiam suam filio Inperatoris in uxorem. Quibus peractis, venit Inperator, bono ordine, sine magnis incommodis, nisi quod a Bulgaris aliquid in Bulgaria passus sit, ut Chronographus Reicherspergensis tradit, in Thraciam: quando Isaaci Angeli, Graecorum Inperatoris, perfidia sese mox manifestavit. Ipse enim, promissis non stetisse non contentus, sese hostem praebuit, milites intercipiendo, et exercitum infestando. Quem tamen, quippe ignavum, facile in ordinem redegit oppugnando Adrianopolin, et Isaacio interitum minando, ni promissa expleret. Quo facto in Asiam trajecit, humanissime a Sultano tractatus, donec in campos Laodicaeae ultra Ephesum venerit, haud procul a loco, ubi Ludovicus cladem acceperat. Sed mox, Isaaci et Sultani perfidiam expertus, a Graecis et Turcis undiquaque obsessus et infestatus est, sed, quibus fortiter repulsis, omnibusque incommodis, quae iter difficillimum et fames adferebant, superatis, adtigit Seleuciam, ubi fatum invenit, subito mortuus, sive in Ciliciae fluvio Cydno, sive in Armenia, aquis suffocatus, quas, vel lavandi, vel hostes insequendi ergo, erat ingressus; variant enim autores. Sicardus in Chron., cui tutius habetur fides, dicit: *cum*

*esset aestus magnus valde, Inperator in flumen descendit, cum duobus militibus, volens se balneare; quumque natare coepisset, demersus est.* Addit *codex Ostens.* apud Muratorium, *inpingens in scopulum, natando vitam amisit; a militibus igitur adprehensus ad ripam semivivus ducitur, accepta poenitentia et corpore Domini, eo die mortuus est.* Qua infelici morte dissipatus est exercitus, major tamen pars *Conradum*, Sueviae Ducem, Inperatoris filium, est secuta. Venit quidem Conradus cum reliquis copiis per mare Antiochiam, sed totum fere amisit exercitum, peste absumtum cum Principibus; quae adeo grassata fuit, ut magna quotidie multitudo caderet, nec, qui sepeliret, inveniretur. Cecidit itaque et haec Inperatoris illustris expeditio in vanum, quae ingentem sui concitaverat exspectationem. Vid. Chron. Reichersperg.

§. CXLIII. Galliae et Angliae reges, Inperatorem, pace facta, secuti a. 1190., per mare instituto itinere, post multa incommoda in Siciliam adpulsi, hyemarunt Messanae; quando *Philippus* Palaestinam versus solvit, et apud Acconem, seu Ptolemaida, eo tempore a cruciatis obsessam, adpulit. *Richardus* vero (is enim tunc fuit Angliae Rex, mortuo Henrico,) cum classe Cyprum adpulsus, eam insulam Pseudo-Inperatori Isaaco Comneno, qui ibi dominabatur, ereptam, suis munivit militibus, quam postea Guidoni, Hierosolymitano Regi, vel vendidit, vel, ut Neubrigensis refert, donavit: quod initium fuit regni Cypri. Hoc in transitu peracto, venit et Ipse in Palaestinam, junctoque exercitu Philippi, Acconem expugnavit. Philippo dein, morbo gravato, et Richardo diffidente, ad sua reverso a. 1191., Richardus, qui solus cum lectissimo exercitu ibi mansit, urbes maritimas non tantum recepit, ac reparavit, munivitque, sed Saladinum, 300 millium copiis stipatum, glorioso praelio devicit, ingente illata strage, ipsum Saladinum, duello cum eo inito, de equo deturbavit, ita ut turpi fuga se servare coactus fuerit. Recuperasset forte etiam Hierosolymam, si

si recta mox eo tetendisset, sed sese urbibus muniendis occupatum tenuit, et cum postea Hierosolymae oppugnationem intempestive tentasset, re infecta discedere debuit; ipsa quoque Palaestina brevi post deserta. Cum enim, motus in Anglia intestinos esse ortos, et Regem Galliae regno suo imminere, intellexisset, iter in patriam suscepit. In mari autem cum jam esset classis, et Saladinus Joppen obsideret, reversus in eam urbem sese conjecit, ac, eruptione facta, prostravit Saladinum, et inducias cum eo fecit, in has conditiones, ut loca, quae post Acconem expugnatam ceperant Christiani, denudarentur, totam vero oram maritimam a Joppe ad Tyrum retinerent, reliquas Palaestinae terras haberent Saraceni, excepta Ascalone, quae fortiori cederet, induciis finitis: denique, Christianis liceret Hierosolymam devotionis ergo adire. Quibus confectis, mari se rursus commisit Richardus, sed tempestate ad Dalmatiae littora ejectus, per terram iter faciens, et per Austriam tendens, incidit in manus Leopoldi, Ducis Austriae, infensissimi hostis, qui ipsum Inperatori tradidit captivum, unde non nisi difficulter postea liberatus est: ut in historia Coelestini Papae narravi Ceterum, ut illud obiter observem, Marchione Montisferratensi Conrado, qui per uxorem Isabellam, Balduini IV. sororem, ad regnum Hierosolymitanum adspirabat, quod tenebat Guido, unde acris erat inter Cruciatos orta concertatio, mortuo, Richardus, antequam Palaestina excessisset, persuasit Isabellae, ut nuberet Henrico, Campaniae Comiti, litemque de eo regno ita composuit, ut Henricus esset Rex, et Guidoni cederet novum illud Cypri regnum, quod Richardus, ut narravi, occupaverat in itinere. Objecerunt quidem hostes Richardi, Conradum ejus instigatione a duobus sicariis fuisse occisum, sed injuria, cum a quodam Principe, qui *Vetus de Monte* adpellabatur, fuerit obtruncatus. De quo sene, *de montanis* dicto, inmani sicario, vid. Paulus Venetus de *regionibus Orient.* l. I. c. 28, et 29., et Maria Sanuta l. III., praeter

alios multos. Adpellati sunt Assassini, et belli sacri tempore maxime innotuerunt, ac in Phoenicia sedes habuerunt, locaque munitissima tenuerunt, et ad 40 millia excreverunt, ducemque habuerunt, a dignitate *senem*, a loco, *de montibus*, dictum; grassati autem quaquaversum sunt rapinis et caedibus, praecipue in nobiliores personas, terrorem ubique circumferentes, donec a Tartaris, Ottomannicum regnum invadentibus, fuerint ad internecionem usque deleti, post medium sec. XIII., Vid. inter alios H. Bangertus ad Arnoldum, Abbatem Lubecensem, in Chron. Slavorum l. III. c. 37. et VII. c. 10.

# SECULUM DECIMUM TERTIUM.

## ECCLESIA OCCIDENTALIS.

### SCRIPTORES ET STUDIA.

§. CXLIV. INter *Hiſtoricos*, ut ab iis auſpicia ſumam, qui, paucis exceptis, Eccleſiarum ſuarum, vel monaſteriorum, annalibus condendis paſſim occupati fuerunt, primum meretur locum *Conradus a Lichtenau*, Abbas Urſpergae coenobii, ordinis Praemonſtratenſis, qui Abbatem egit ab a. 1215. ad 1240., autor Chronici a Belo, Aſſyriorum primo rege, uſque ad a. nonum Frederici II., ſeu a. 1229., quod dein a Caſpare Hedione continuatum eſt ad a. 1537. Eſt autem in vitiis aulae Pontificiae taxandis ingenuus, in chronologia adcuratus, in rebus Germanicis copioſus: ſed de fidelitate ejus in rebus Othonis IV. diſputatur. Vid. Meibomius in apologia Othonis, qui ejus patrocinium ſuſcepit contra Urſpergenſem. Statuitur quidem, ejus chronicon eſſe ipſiſſimum Eggehardi Urſpergenſis, ante 100 annos jam ſcriptum, et ab ipſo ſuo nomine publicatum, ſed ab hoc plagio ipſum liberare conatus eſt autor in Anecdotis Boineburgicis p. II. p. 1449. Haud minoris faciendus eſt *Matthaeus Pariſienſis*, Anglus, et monachus Benedictinus, in coenobio S. Albani, vir praeclarus, et Henrico III., Angliae Regi, familiariſſimus, aulae quidem Pontificiae addictus, ſed liberrimus ſimul ejus cenſor, qui ſummae ejus corruptionis vividiſſimam dedit picturam, adeo ut Paparum nimii fauto-

res, ad incitas redacti, Matthaeo haec esse inserta sine ullo fundamento finxerint: quod falso jam perstrinxit Casaubonus in Prolegom. ad Exercitat. Baron. Scripsit *historiam majorem*, seu rerum Anglicarum, a Gulielmi Conquestoris adventu a. 1066. ad a. 1259., seu 43. Henrici III., Angliae Regis, quam continuavit Gulielmus Rishangerus, Monachus quoque S. Albani, sec. XIV., ad a. 1273. Dedit quoque epitomen, seu *historiam minorem*, ad a. 1250. et *additamenta* ad historiam majorem, nec non vitas duorum Offarum, Merciae Regum, et viginti trium Abbatum S. Albani. Quae omnia opera optime sunt edita cura Gulielmi Watsii, addito glossario vocum barbararum cum adversariis.

§. CXLV. Adjungi iis meretur *Albertus Stadensis*, natione, ut videtur, Germanus, coenobii vero Stadensis, in Archiepiscopatu Bremensi, Abbas ab a. 1232. ad 1240. sed quam praefecturam, quia morum correctionem non ferebant Monachi, dein abdicavit. Scripsit Chronicon ab Orbe condito ad a. 1256., quo res Germaniae praecipue enarrantur, e melioris notae autoribus: quare eum in primis imitatus est Krantzius in sua *metropoli*. Continuationem vero ab a. 1264. ad a. 1324. addidit Andreas Hojerus, Hafniae a. 1720. Inter chronicorum conditores nomen quoque profitetur, non spernendus autor, *Martinus Polonus*, seu a loco nativitatis ita dictus, fuit enim Oppaviensis e Silesia, sive quod ad Archiepiscopatum Gnesnensen, et primatum Poloniae, vocatus sit a Nicolao III., cujus fuit major poenitentiarius. Monachus fuit Benedictinus, et in itinere Poloniam versus, ad Archiepiscopatum capessendum, a. 1278. mortuus. Autor est Chronici, quod *Martinianum* adpellatur, a nato Christo ad a. 1277., in quo res gestas Inperatorum et Pontificum contexuit. Adjecta est continuatio a Ptolemaeo Lucensi, et dein a Bernardo Guidonis ad a. 1316. Novissime prodiit in corpore Scriptorum Germaniae Eccardi. Scripsit denique *Vincentius Bellovacensis*, ita

ita dictus, quod apud Bellovacos habitaverit, ex ordine Praedicatorum, *Speculum* quadruplex, *historicum*, ab orbe condito ad a. 1254., quod seorsim etiam prostat, *naturale*, *morale*, *et doctrinale.* Omisi, verbo memorandum, *Sicardum* Chemonensem Episcopum, circa finem praecedentis, et initium hujus, seculi, qui chronicon contexuit ab orbe condito ad a. 1213., cujus magna pars edita est inter Italiae scriptores Muratorii tom. VII. Consuli in rebus sui temporis, vel ad illud propius adtingentibus, meretur, sed in aliis fabulosus est.

§. CXLVI. *Petrus de Vineis*, ut nonnullos rerum particularium scriptores subjungam, patria Capuanus, Cancellarius Frederici II., strenuusque ejus contra Papalem tyrannidem defensor, sed qui pro officiis Inperatori hac parte praestitis, tum Patavii in publico conventu a. 1239., tum in Synodo Lugdunense a. 1244., illud retulit, ut proditionis accusatus ab invidis, fuerit jussu ingrati Inperatoris oculis privatus, et in carcerem conjectus Paduae, ubi prae taedio sibi ipse mortem conscivit. Scripsit *epistolarum* historicarum de gestis Frederici libros sex, a Schardio editos, et dein ab aliis, sed inter quas epistolas aliquae exstant ipso recentiores. *Reinerius Sachonus*, Placentinus, primum Waldensium primipilus, dein apostata, et haereticorum Inqeisitor Generalis, qui, post multos per ipsum igni adjudicatos, Mediolano expulsus, obiit in exilio a. 1259. Scripsit contra Waldenses librum, 10 capità complexum, a Gretsero editum, et inde in Biblioth. Patrum; cujus in historia Waldensium est insignis utilitas. Marcus *Paulus* Venetus, celebris itinere per Orientem, dedit *regionum Orientalium* descriptionem. Qui liber, ex lingua Italica in Latinam versus, exstat, ab Andrea Mullero denuo editus, et varia subiit eruditorum judicia, dum alii pro fabuloso, alii fideli, habeant scriptore: multa de Tartaris, eorumque dominio, refert. Floruit etiam *Brocardus*, vel Burchardus, ordinis Praedicatorum monachus, et sacerdos: cujus superest

 duplex

duplex *terrae sanctae* descriptio: altera sincerior, a Clerico ad calcem Eusebii et Hieronymi Onomast. edita, altera impurior, inde confecta in Antiq. Lection. Canisii tom. IV. Denique agmen claudat Jacobus de *Voragine*, seu, ut alii, *Viragine*, seu vico virginis, Ligurum civitate; forte rectius, ut Muratorius in praefat. ad chronicon ejus observat, de *Varagine*, ab oppido, haud procul Genua, patria ejus, ordinis Praedicatorum, dein Vicarius Generalis, tandem Archiepiscopus Januensis, seu Genuensis a. 1292., famosus autor *historiae Lombardicae*, seu legendae aureae, quae nomen illud a titulo narrationis, capiti 126. subjunctae, accepit. Continet collecta de *vitis sanctorum*, plena fabulis, quare, secundum Ludov. Vivem, et Melchiorem Canum, dicitur scripta ab homine *oris ferrei*, *et cordis plumbei*. Quo non obstante avide est lectus, et saepe typis expressus, ejus liber, ut et, ejusdem furfuris, *Manuale* ejus *aureum*, de laudibus et virtutibus Mariae Virginis. Melioris notae est ejus Chronicon Genuense, nuper editum inter scriptores Italiae Muratorii tom. IX., quo historia Genuae ab urbe condita ad a. 1297. traditur. Resecuit editor multa superflua et inepta, et reliqua videntur fideliter conscripta. Ceterum primus dicitur a Sixto Senense Biblioth. S. c. 4. Scripturam S. transtulisse in linguam Italicam: sed ejus nusquam reperitur vestigium.

§. CXLVII. Aliis, vel singulorum Regnorum, ac regionum, vel virorum singularium, scriptoribus missis, ad Theologos, sive scholasticos, sive Commentatores Script. S. pergam, posteaquam verbo memoravero, *Raymundum Martini*, linguarum Orientalium gnarum, et, sicut olim, ita et nunc, celeberrimum, utilissimo libro, qui inscribitur *pugio fidei* contra Judaeos et Saracenos, quorum magna erat in Hispania copia: fuit autem gente Catalaunus, et ordinis Praedicatorum Monachus, circa a. 1278. clarus. Fuisse eum antea inter Judaeos Rabbinum, negat quidem Wolfius in Bibliot. Hebraea, sed sententiam postea mutavit, ut refert

fert in epiſtola ad la Croze, in theſauro Epiſtolarum la Croziano tom. II. Diſputat autem eo in libro contra Judaeos ex ipſis eorum monumentis, ut viam ad eorum converſionem ſternat. Adjunxit huic operi doctas obſervationes Jacobus de Voiſin, Burdegalenſis ſec. XVII.; et optima editio eſt Capzoviana, cum erudita introductione in Theologiam Judaicam. Ortum vero eſt hoc rerum Judaicarum cognoſcendarum ſtudium, ex eo, quod Judaeis convertendis hoc ſeculo operam dederint ordinis Praedicatorum viri, et Judaei, autoritate Regum Caſtellae, coacti fuerint eorum concionibus contra Judaeos intereſſe, nec non libros ſuos omnes cum iis communicare. Quo fine Honorius IV. Papa Pariſiis quoque introduxit inſtitutionem linguarum Orientalium, ut ejus litterae apud Wadingum habent a. 1278. Ceterum ex Martini libro omnia ſumſit Porchetus in *Victoria* ſua adverſus Judaeos, ſed citato autore ſuo; ut et Petrus Galatinus de *arcanis Catholicae veritatis*, ſed eo ſilentio involuto.

§. CXLVIII. Primum inter Scholaſticos locum haud uno nomine meretur *Albertus Magnus*, ita dictus, vel quod nomen fuerit familiae, ſicut Ludovicus Vives eum adpellat *Grotum*, vel quod eruditio et fama ipſi hunc titulum pepererit. Natione fuit Germanus, ſeu Lavingenſis Suevus, ex nobili ſtemmate, et profeſſione ordinis Praedicatorum. Narrant, vel potius fabulantur, Dominicani, ipſum, per naturam hebetem, accepiſſe donum ſcientiae interceſſione Mariae, quam inpenſe coluit, ſed et, ſecundum ejus praedictionem, memoriam ac ſcientiam triennio ante mortem perdidiſſe omnem. Illud conſtat, eum fuiſſe virum in Philoſophicis, Mathematicis, et Theologicis habitum Summum: quare ab inperito vulgo eſt Magiae accuſatus. Docuit primum Pariſiis a. 1236., dein Coloniae, ubi, inter alios, Thomam Aquinatem habuit diſcipulum, denique Epiſcopus Ratiſponenſis; ab a. 1260., ſed quo munere abdicato, in monaſterium Colonienſe rediit a. 1263., et ibi litteris inpal-

leſcens obiit a. 1280., aetatis 75. Oppido multos ſcripſit libros, quorum qui editi ſunt 21 conſtituunt in fol. volumina, edente P. Jammy. Sunt autem maximam partem commentarii in Ariſtotelem, Lombardum, et Scripturam S. Ceterum primus inter Latinos, ut Trihemius tradit, exaravit commentaria in omnes Ariſtotelis, Lombardi, et Euclidis, ſimiliumque autorum, libros, jecitque ſecundae aetatis ſcholaſticorum, de qua poſtea, fundamenta. De ſumma, qua actus fuit, ſuperſtione, vel ſola Biblia ejus Mariana, modo ejus ſint, teſtantur, in quibus omnia fere praeclara, quae in Scriptura S. occurrunt, ad Mariam trahuntur.

§. CXLIX. Aequalis, et in ſtudiorum genere ſocius, Alexander Halenſis, ſeu de Hales, fuit Anglus, patria Glocestrienſis, Minoritarum ordini adſcriptus, ſtudiiſque dedit operam Pariſiis, tantamque in Theologia ſcholaſtica, et Jure Canonico, adeptus eſt laudem, ut Doctoris *irrefragabilis* elogio fuerit ornatus. Magiſter vero fuit, non Thomae Aquinatis, quod nonnulli putarunt, ut in collatione Dominicani cum Fr. Minore, apud Natalem Alexandrum in adpendice tomi VII. Hiſt. Eccleſ. demonſtratur, ſed Bonaventurae, et Johannis Duns, ſive Scoti, unde Scotiſtae orti ſunt, obiit a. 1245. Scripſit commentar. in Ariſtotelem, libros ſententiarum P. Lombardi, et Scripturam S., denique *ſummam Theologiae*, in qua omnibus palmam praeripuiſſe viſus eſt. Diſcipulus ejus *Johannes*, vel Petrus, *Bonaventura*, patria Tuſcus, ordinis Minorum, ſeu Franciſcanorum, Generalis, dein Cardinalis, et Albanenſis Epiſcopus, inter ſcholaſticos dictus *Seraphicus*, ſtante concilio Lugdunenſi II. a. 1174., cui interfuit, mortuus, ſummaque cum celebritate, omnibus Synodi membris exſequias euntibus, ſepultus, a Sixto IV., ſec. XV., ſanctorum catalogo inſertus, et a Sixto V. Doctor Eccleſiae declaratus. Coluit prae reliquis Mariam, primuſque traditur religioſas Laicorum ſodalitates, vel confraternitates, inſtituiſſe a. 1270.

Opera

Opera ejus, quae ſunt ſermones, commentarii in varias Scripturae S. partes, et libros ſententiarum, aliaque opuſcula, proſtant *octo* vol. in Fol.

§. CL. Celeberrimus omnium inter Scholaſticos eſt *Thomas Aquinas*, unde Thomiſtae originem habent, in Caſtro Aquino, ex illuſtri Comitum Aquinatum, Regumque Siciliae et Aragoniae, ſtirpe natus a. 1224., ordini Dominicanorum adſcriptus eſt, a. 1241. unde a Matre et Fratribus nullo modo, ne quidem per vim et carcerem, abſtrahi potuit. Coloniae audivit Albertum M., dein Pariſios accitus libros ſententiarum, ſummo cum adplauſu et confluxu, praelegit: creatuſque Doctor Theologiae in facultate Pariſienſi a. 1255. Dein in publicis Italiae Academiis variis docuit, et tandem conſedit Neapoli, ubi reliquam exegit vitam, et ſummam nactus eſt autoritatem, cum ſuperbo titulo Doctoris *Angelici*. Sed ipſe in agone mortis Dominum Jeſum flens rogavit, ut, ſi minus vera forte ſcripſiſſet, et docuiſſet, veniam ſibi concederet, ſeſeque judicio Eccleſiae Romanae ſubmiſit. Cujus ſedis adprobationem non tantum inpetravit, ſed et, ut fertur, ipſius Domini Jeſu, qui ipſi hoc reſponſum tuliſſet, *bene de me ſcripſiſti, Thoma!* uti in diplomate Pontificio Clementis VIII. ad Neapolitanos traditur. Praeterea, in caſtitatis conſervatae, et ſtrenue defenſae, praemium, cinctus fuit, ut nugantur, zona virginitatis ab Angelis. Ceterum, acta ejus habent, vocem illam Domini ipſi contigiſſe in urbe Vetere, poſt officium ſacramenti ab ipſo compoſitum, nec non Neapoli, poſt Incarnationem Verbi explicitam, denique Pariſiis, cum diſſertationem ſcripſiſſet de accidentibus, poſt Tranſubſtantiationem manentibus. Adhaeſit autem maxime Auguſtino, ita ut communi jactatum fuerit voce, animam Auguſtini migraſſe in Thomam. Summam in Eccleſia conſecutus eſt autoritatem, ita ut, et Concilia, et Papae, ejus doctrinam pro norma, ipſum pro infallibili Doctore, fere habuerint. Mortuus eſt a. 1274., et a Johanne XXII. ſanctis ſec. XIV. adſcriptus, et quin-

tus Ecclefiae Doctor dictus a Pio V., fec. XVI. Opera ejus, quae exftant 18 vol. in Fol., iifdem de materiis agunt, de quibus modo memorati Doctores. Sed eminet, quoad didactica, ejus *Summa Theologiae*, in tres partes divifa, et 512 quaeftiones, in varios articulos diftinctas, continens, quae variis vicibus feorfim prodiit: eftque lectu digna. Effe autem illud opus Thomae, quod Launoius negavit, plurimis teftimoniis demonftravit Natalis Alexander, differt. VI. ad hoc feculum, ubi etiam ipfi vindicavit *officium de corpore Chrifti*, feu facramenti, in ufum fefti corporis Chrifti, quo univerfa utitur Ecclefia Latina. Hic ipfe tamen Thomas varios nactus eft adverfarios, qui diverfa ejus capitula inpugnarunt, quorum antefignanus fuit Gulielmus Lamurenfis, ordinis Minorum, Profeffor Oxonienfis, circa finem feculi, autor libri, cui titulus, *correctorium operum fratris Thomae*; fed quem refutavit Aegedius Romanus, primarius Thomae difcipulus, Archiepifcopus Bituricenfis, quem Academia Parifienfis dixit doctorem *fundatiffimum*. Fuit autem *Aegidius de Columna*, patria Romanus, ex ordine Auguftiniano fratrum Eremitarum. Praefuit Philippi Pulchri educationi, et in Academia Parifienfi dein docuit, denique Bituricenfis Archiepifcopus, et Aquitaniae Primas, a. 1296., num Cardinalis fuerit, difputatur. Defunctus eft a. 1316. Inter opera ejus, quae varia funt, memorari, praeter commentar. in libros fententiarum, et Ariftotelem, meretur quaeftio, in utramque partem difputata, de *poteftate Regia et Pontificia*, quae apud Goldaftum Monarch. tom. II. exftat.

§. CLI. *Johannes Peckam*, Anglus, Bonaventurae haud infimae notae difcipulus, poftquam Parifiis docuiffet, Oxoniae, et Romae, factus eft Epifcopus Cantuarienfis, ab a. 1278., a Papa conftitutus, et Romae confecratus, qui propterea, ni fe excommunicatum vellet, coactus fuit Papae pendere 4000 Marcas. Lites ipfi cum Epifcopo Eboracenfe fuerunt, quia is in provincia Cantuarienfi ante fe geftari

gestari permittebat *crucem auream* in sublime. Scripsit collectanea Bibliorum, et constitutiones 47, de vario argumento. *Rogerus Bacon*, Franciscanus, et ornamentum Britanniae suae, clarus circa a. 1278., Doctor *mirabilis* dictus, in Philosophicis et chemicis ad miraculum usque eruditus, et mirabilium patrator, plus una vice propterea magiae reus actus, etiam in carcerem conjectus, ipso Nicolao IV. mandante, pulveris quoque pyrei materiam et vim dicitur detexisse, scripsit, praeter epistolas seorsim editas, mathematica et chemica, quae prostant. *Opus* ejus, *majus* dictum, edidit Steph. Jebb., Doctor medicinae hoc sec. cum erudita praefatione, et notis. In fine seculi celebris fuit *Richardus de Mediavilla*, seu Midleton, et ipse Anglus, ordinis Minoritarum; qui Oxonii docuit, adpellatus *solidus* et copiosus, etiam *authoratus*; autor *Quodlibeticorum*, de quo mox. Scripsit, praeter commentaria in Scripturam S., et in Magistrum Sententiarum, *Quodlibeta Theologica*, 80 quaestiones complexa.

§. CLII. *Hugo de S. Caro*, patria Delphinas, ordinis Praedicatorum, Doctor Parisiensis, et ordinis Praedicatorum Provincialis, denique Cardinalis ab a. 1245., defunctus a. 1260., celeberrimum reddidit nomen suum per *concordantias* et *Postillas*; quarum fuit autor. Concinnavit autem concordantiam vocum declinabilium ad Biblia Latina, locis simpliciter per *librum* et *caput* indicatis, sine versibus, sed capitibus in septem primas litteras Alphabeti divisis; adeoque et ipse pro autore divisionis Scripturae in *capita* celebratur. Adpellantur concordantiae *S. Jacobi*, quia Hugo, domus *San-jacobeae* Prior Parisiis, cognominatus est Hugo de S. Jacobo. Postea, ut concordantiarum historiam verbo tradam, loca non tantum indicata, sed commata integra, etiam longiora aliquando, descripta sunt. Quod alterum est concordantiarum genus, a fratribus Dominicanis de Anglia, in eodem gymnasio San-Jacobeo studentibus, adornatum a. 1250. Accessit postea *tertium* genus, longioribus

scilicet sententiis resectis, et capitibus brevioribus per quatuor tantum litteras distinctis, sed et additis vocibus indeclinabilibus, attamen praecipuis, non omnibus. Cujus autor est Conradus Halberstadens. circa a. 1310. Postea, magna orta in Synodo Basileensi inter Graecos et Latinos contentione, de particulis *ex* et *per*, occasione dogmatis de processione Spiritus S., Johannes de Ragusio, Procurator Generalis ordinis Praedicatorum, curavit, per Capellanum suum *Gualterum Jonam*, Scotum, confici particularum concordantiam, sec. XIV. Vid. Jacobus Quetif in scriptoribus ordinis Praedicatorum tom. I. Denique ultimam huic rei manum inposuit sec. XVI. Robertus Stephanus, qui perfectiores non tantum quarumvis vocum concinnavit concordantias, sed et Scripturam S. in versus minutiores distinxit, et versus numeris notavit: licet saepe minus apte. Autor praeterea est Hugo *postillarum*, seu brevium notarum, ad universa Biblia, secundum quadruplicem sensum, litteralem, allegoricum, moralem, et anagogicum, quae sive sex, sive octo, voluminibus in Fol. prodierunt. Adpellantur autem illae notae marginales *postillae*, quia secundum verba currunt, quasi *post illa* verba. Sed Nicolaus Trivettus in Chronico tribuit distinctionem Bibliorum in capita et postillas Stephano Langtono, Archiepiscopo Cantuariensi, qui a. 1228. obiit: ut observavit Cangius in voce *Postillae*.

§. CLIII. In Jure Canonico praecipuam meruit laudem *Raymundus de Penna forti*, Barcinonensis, ex nobili familia, qui Bononiae jus docuit, postea canonicus et Praefectus Barcinonensis, dein Capellanus et Poenitentiarius Gregorii IX., denique Generalis ordinis Praedicatorum Magister, sed quo munere se abdicavit post biennium. Autor fuit, ut *Adnunciationis Mariae* festum solenniter fuerit actum in Ecclesia Barcinonensi, quod antea ibi minus celebre fuerat; suasit praeterea Jacobo, Aragoniae Regi, ut sacrum Ordinem Mariae de mercede redemtionis captivorum

vorum inſtitueret, cui ipſe praeſcripſit leges: denique, quod longe pejus eſt, curavit, ut Rex Inquiſitionis officio locum in ſuo regno dederit contra Waldenſes. Mitto fabuloſam ejus navigationem ſine navigio, ſolo pallio ſuper aquas expanſo, et ejus ora reducta ad baculum inſtar veli. Mortuus eſt a. 1275., natus 100 annos, et a Clemente VIII. canonizatus. Scripſit *ſummam caſuum conſcientiae*, in uſum fori poenitentiarii: praeterea quinque libros *Decretalium*, ex quinque collectionibus praecedentibus contextos. Cui collectioni multas conſtitutiones addidit ipſe Papa Gregorius IX. Quinque autem illae collectiones praegreſſae, poſt decretum Gratiani, ſunt. 1. Bernardi, Papienſis Praepoſiti, qui ex antiquis conciliis et Patribus quaedam, a Gratiano omiſſa, addidit, nec non conſtitutiones Pontificum poſt Gratianum. 2. Johannis Vallenſis, et 3 ac 4 ex Regeſtis Innocentii III., ac concilii Lateranenſis III. generalis canonibus, juſſu Innocentii. Quas quatuor collectiones edidit Antonius Auguſtinus. 5. De Honorii conſtitutionibus ad ejus juſſum. Poſt haſce collectiones novam concinnavit Raymundus, partim ex quinque illis, partim ex novis a Gregorio IX. publicatis. Cui collectioni autoritatem addidit Gregorius IX. Veniunt autem hi Decretalium libri nomine *extra*, quaſi extra decretum Gratiani, ſuntque pars altera *juris Pontificii*. Vid. Maſtricht Jur. Eccleſ. §. 338. etc.

§ CLIV. Praeter Raymundum nomen in hoc ſtudiorum genere ſibi peperit *Johannes Wallis*, Anglus, ordinis Minorum, qui Pariſiis Philoſophiam docuit et Theologiam, *arbor vitae* dictus; clarus circa a. 1260., autor ſecundae collectionis, cujus modo memini, et aliorum, praecipue argumenti moralis, librorum. Vixit etiam hoc ſeculo, a. 1243. defunctus, *Johannes Semeca*, Teutoniens. Ictus, et Azonis diſcipulus, Eccleſiae S. Stephani Halberſtadienſis praepoſitus, celebris autor *gloſſae* in decretum Gratiani, ſive primus ſcripſerit gloſſas, ſive ſuperiorum gloſſis ſuas

 adje-

adjecerit, Vid. Struvius in historia Juris. Denique cognoscendus omnino est *Gulielmus Durantes*, ob haud unam rationem. Fuit Narbonensis in Gallia, ex ordine Praedicatorum, propter juris peritiam adpellatus *Pater practicae*, et, ob speculum juris, ab ipso compositum, *speculator*. Creatus est Bononiae Doctor, et Mutinae docuit, dein Capellanus Clementis IV., et palatii Apostolici *auditor* generalis, denique sub Nicolao III. Petri patrimonio praefectus est, cum titulo Rectoris et Comitis patrimonii, nec non Dux militiae generalis in ditionibus Romanae sedis; quo in munere contra Romanae sedis rebelles haud una vice strenue pugnavit: tandem Mimatensis Episcopus in Aquitania ab a. 1286. Scripsit *speculum juris*, commentarios in canones concilii Lugdunensis, denique utilissimum, et lectu dignissimum, librum, *rationale divinorum officiorum*, saepe typis expressum. Ceterum notari meretur ejus de *eucharistia* dictum, apud Cave Script. Eccles., *motum sentimus, modum nescimus, praesentiam credimus.*

§. CLV. Studia quantum, et qua ratione, floruerint, cum ex superioribus satis colligi possit, nonnulla addidisse observata suffecerit. Mos examinandi et promovendi cum titulis et solennibus invaluit hoc seculo, primum forte Parisiis, dein in aliis Academiis. Fuerunt vero insignia, pileus, annulus, longa vestis, liber apertus et clausus, cathedra, et osculum: de quorum origine non una est eruditorum opinio. Videntur forte solennia eo spectasse, ut Doctores et Magistri quasi in Clericorum ordinem cooptarentur: est enim *pileus* tegumentum sacerdotale, *annulo* quoque, quasi pronubo, episcopalia munera conferri solebant, *longa* etiam vestis est habitus sacerdotalis, Doctorum vero propria sunt *liber* et *cathedra*. Fuisse autem Doctores olim Clericis admuneratos, docuit jam Pancirollus variar. lect. l. I. Videtur itaque a probabili non alienum, totum hoc institutum originem suam alicui Paparum, forte Nicolao IV., debere, cum totum in sacri ordinis incrementum et

hono-

honorem tendat, et in omnes Scholas publicas fuerit introductum, quod ab alio ac Papa fieri non poterat, Nicolaus quoque insigne legatur Parisiensibus concessisse privilegium, ut ibi adprobati doctores potestatem haberent ubique docendi, legendi, regendi etc. Vid. Conringius de *Antiquit. Academicis* Diss. III. Sed sacra Theologiae facultas in Academia Parisiensi distributa fuit in quatuor quasi ordines, ut Filesacus de *originibus* statutorum facultatis Theologicae Parisiensis observat; *Magistrorum*, qui doctores erant laurea coronati, *Licentiatorum*, quibus publice in Academia profitendi competebat licentia, et *Baccalariorum*, qui vel erant *formati*, seu, expleto cursu, ad superiores gradus provehi poterant, etiam *dispositi* dicti, vel *Cursores*, seu Theologiae candidati primi generis, qui cursum Theologicum explicare poterant, primo Bibliorum, postea sententiarum Petri Lombardi; unde alii Biblici, alii Sententiarii, sunt dicti. Quid vero nomen *baccalarii* proprie denotet, et unde ortum sit, non una est omnium opinio. Forte ab ordine militari transiit ad Academicam quasi militiam. Inter milites hoc nomen tulerunt, qui, prae paupertate, vel vasallorum exiguo numero, aut aetate, vexillum educere non poterant, quique ad *bannereti* gradum, qui vexillum *banniere* educebat, adspirabant; adeoque quasi dicas *baschevaliers*, quia militibus *banneretis* erant inferiores. Alii a *baculo*, alii aliunde, derivant. Vid. Menage in Dictionar. Etymol. Gallico, et Cangius in Glossario. Ceterum numerum Theologorum Parisiensium ad *octonarium* rectrictum voluit, *nisi forte multa necessitas, vel utilitas, hoc exposcit*, Innocentius III. ep. 151. l. X. ad Episcopum Parisiensem.

§. CLVI. Originem etiam ab hoc seculo repetit Collegium Theologicum, *Sorbonae* nomine notum, Parisiis: cujus fundamenta jecit *Robertus Sorbona*, Theologus, Ludovici Galliae regis poenitentiarius, dein Canonicus S. Mariae Parisiensis; autor trium opusculorum devotionis, de

*conscientia*, *confessione*, et *iter Paradisi*; in Biblioth. Patrum, tom. XXV. Fundavit illud collegium, a se denominatum, a. 1292., aedibus eum in finem comparatis, et haeredibus bonorum suorum scriptis pauperibus Magistris Parisiensibus in Theologica facultate. Sed praecipuum diu postea demum accepit Sorbona splendorem a Cardinale Richelio, Sorbonae Protectore, qui profusis sumtibus in splendidam illam redegit conditionem, qua hodie etiam fulget. Praeterea narrantur hoc seculo et aliae erectae Academiae a Frederico II. ut Viennensis, Patavina, et Neapolitana, de qua vid. Epistolarum Petri de Vineis lib. III. cap. 11., ubi etiam jubetur, quod *omnes scholares in civilibus sub iisdem Doctoribus et magistris debeant conveniri*: porro prohibetur regni Siciliae civibus alibi studere, quam Neapoli; ab Alphonso Palentina, postea Salmanticam translata a Rege Ferdinando a. 1240. Vid. Lucas Tudensis in Chronico, denique a Nicolao IV. Papa Monspeliensis, in civitate Montepessula, pro jure canonico et civili; cujus diploma exhibet Raynaldus; postea etiam facultate Theologica addita.

§. CLVII. Scholastici, ut nonnulla de Theologiae Scholasticae statu subjungam, fuerunt in *Sententiarios*, qui libros Petri Lombardi explicabant, *Summistas*, qui vel summam Thomae tractabant, vel novas summas, aut systemata, condebant, et *Quodlibitarios* divisi. Qui postremi hoc vel illud Theologiae caput sumebant, et, scepticorum ac Academicorum fere instar, in utramque partem disputabant, aliis *quodlibet* horum, seu alterutram, quam vellent, sententiam inpugnandi, relicta potestate. Primus, qui *quodlibeta* scripsit, censetur fuisse Gualtherus, Pictaviensis Episcopus, ab a. 1271., dein imitati sunt alii, ut Thomas, inprimis Richardus de Mediavilla: de quo supra. Sed viguit hoc seculo media Scholasticorum aetas, quae sese ab Alberto M. porrigit ad Durandum de S. Porciano, seculi sequentis Doctorem; cujus character est, Aristotelis placita non

non ſolum admiſcere Theologiae, ſed et, una cum Scriptura S. et Patribus, pro *principiis* habere. Denique ſumma graſſata eſt inter Scholaſticos vanitas, et intoleranda ſuperbia, cujus ſtupendum profert exemplum Matthaeus Pariſienſis a. 1201., in Magiſtro aliquo Pariſienſi, qui, cum multas inextricabiles quaeſtiones circa Trinitatem ſummo cum adplauſu enodaſſet, in has profanas erupit voces: *o Jeſule, Jeſule! quantum in hac quaeſtione confirmavi legem tuam, et exaltavi! profecto, ſi malignando et adverſando vellem, fortioribus rationibus et argumentis ſcirem illam infirmare, et deprimendo inprobare.* Addit hiſtoricus, hunc hominem fuiſſe e veſtigio infatuatum, et elinguem obmutuiſſe, eoque exemplo multorum adrogantiam et jactantiam fuiſſe refraenatam. Praeterea de vanitate Scholaſticorum quoque, cum adrogantiae pleni tituli, ſupra memorati, tum inutiles et ineptae paſſim quaeſtiones, abunde teſtantur. Notatu digna eſt epiſt. Gregorii IX. ad Profeſſores Pariſienſes apud Boulay hiſt. Acad. Pariſ. t. III. contra Scholaſticos, quam ita concludit: *mandamus et ſtricte praecipimus, quatenus ſine fermento humanae ſcientiae doceatis Theologicam puritatem, non adulterantes verbum Dei Philoſophorum figmentis* etc.

§. CLVIII. Sed aliud ſupereſt, ad ſtudia pertinens, obiter adtingendum, paradoxum ſcilicet et abſurdum Joh. Harduini figmentum, de omnibus antiquis ſcriptoribus, ſive paganis, ſive Eccleſiaſticis, hoc ſeculo confictis, adeoque autoribus, quorum nomina praeferunt, falſo inſcriptis, exceptis Herodoto, Cicerone, Plinio, Homero, Virgilio, et Horatio. Finxit eum in finem, ſocietatem hominum, partim Atheorum, partim receptae religionis adverſariorum, in ſpecie qui Calvinianis praeluſerunt, omnes illos libros Veteres finxiſſe, ejuſque ſocietatis caput fuiſſe Severum Archontium, ſive Fredericum II. Imperatorem, nomine illo tracto ex Vopiſco et Firmo. Quod paradoxum eo collineabat, ut traditiones Eccleſiae Romanae, et fictae antiquorum Paparum decretales, ſartae tectae manerent. Propoſuit vero

illud in Dissertatione de *Nummis Herodiadum*, dein plenius exposuit in Chronologia ex Nummis restituta, et chronologia Vet. Test., ad Vulgatam versionem exacta. Cum vero ab omnibus exploderetur, illud retractavit deinceps, et, tanquam ineptum ac periculosum, publice revocavit. Vid. Clericus Bibl. Select. tom. XVIII. Refutavit vero illud, et scopum in lucem protraxit, la Croze in libro; *Dissertations Historiques* etc.

## DOCTRINA ET CULTUS.

§. CLIX. Cum in doctrina nihil se offerat hoc seculo singulare, nisi respectu *cultus* religiosi partium, duas hasce essentiales Ecclesiae partes conjunxi. *Transubstantiationis* dogma, cum ipso nomine, hoc seculo sancitum, et inter capitalia dogmata relatum, est ab Innocentio III., in Concilio Lateranensi IV., a. 1215., ubi in haec verba decretum est: *Christi corpus et sanguis in sacramento altaris, sub speciebus panis et vini, veraciter continentur; transubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem Christi, potestate Divina.* Quem canonem Papa Waldensibus et Albigensibus, in specie Amalarico, de quo postea, opposuit. Sed nec universalem hoc seculo inpetravit haec doctrina adsensum inter Latinos, nec omnis dissensus fuit vetitus. Inter eos, qui ab eo fuerunt alieni, haud infimum tenet locum *Johannes de Parisiis*, Dominicanus, et Theologus Parisiensis, satis celebris, circa a. 1290. Inter Philippum Pulchrum, Galliae Regem, et Bonifacium VIII. Papam, orta dissensione, Regias tuitus est partes ingente studio, scripto etiam libro *de potestate regia et Papali*; in quo, Papas nullam in temporalia Regum habere potestatem, probat: singulare vero est, quod ibidem adserit, Reges aeque facere posse, ut Papae deponantur, quam posse Papas, ut Reges priventur regno, Papas autem id per excommunicationem subditorum Regi adhaerentium facere, Reges vero subditis, sub gravi poe-

na,

na, interdicendo obedientiam Papis. Exſtat hic libellus apud Goldaſtum de *Monarchia Inperii* tom. II. Scripſit praeterea libellum, hoc titulo: *determinatio de modo exiſtendi corpus Chriſti in ſacramento altaris alio, quam ſit ille, quem tenet Eccleſia.* Edidit Petrus Alixius, praemiſſa erudita diſſertatione hiſtorica, de dogmate Tranſubſtant., et praefatione, qua, diverſos manſiſſe modos explicandi converſionem panis et vini, poſt Innocentii definitionem, demonſtrat. Johannes quidem ob hanc doctrinam eſt a Magiſtris Pariſienſibus damnatus, ſed Papam adpellavit, ad quem, cauſam dicturus, tendens, in itinere mortuus eſt. Ceterum in libro memorato duos proponit modos, quibus vera Chriſti praeſentia in euchariſtia poſſit explicari, *unum*, per converſionem ſubſtantiae panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, manentibus accidentibus ſine ſubjecto, *alterum*, per adſumtionem ſubſtantiae panis, vel paneitatis, a Verbo, ſeu divina natura. Quem modum Veteres ſemper tenuerunt, et ſeculo ſuperiore Rupertus Tuitienſis clare expoſuit. Addit, quod notandum, Johannes, neutrum modum ab Eccleſia eſſe definitum, adeoque diſſenſum manere licitum, ſibi autem probabiliorem videri poſteriorem, ita tamen, ut, ſi vel aliter definiverit, vel definitura ſit, Eccleſia, ſeſe paratum profiteatur Eccleſiae definitioni ſubſcribere. Vid. etiam continuator chronici Gulielmi Nangis in Spicilegio Dacheriano tom. III. p. 58. Agnoſcit quoque ipſa facultas Theologica Pariſienſis, nullum modum ab Eccleſia eſſe definitum, teſte judicio Facultatis, apud Laroquanum hiſt. Euchariſt. p. II. p. 744. recenſito. Caeleſtinus V. Papa opuſc. VIII. p. II. varias viguiſſe ſententias de natura euchariſtiae, his notabilibus verbis, teſtatur, *Quidam dixerunt non eſſe in altari corporis et ſanguinis veritatem, ſed imaginationem tantum, et figuram: ſed hoc dictum merito reprobatur ab Eccleſia. Alii dixerunt, quod remanet ibi ſubſtantia panis et vini, et in eodem loco, et ſub eadem ſpecie, eſt corpus et ſanguis Chriſti, et hoc etiam damnatur. Dicendum ergo, quod illa ſubſtantia,*

*quae prius fuit panis et vinum, ex vi verborum convertitur in corpus et sanguinem Domini.* Attamen Episcopus Parisiensis, cum Magistris Canonistis, damnavit Johannis sententiam: licet non defuerint Parisiis plures, qui Transsubstantiationi contradixerunt: ut patet ex litteris Guidonis Grossi, Narbonensis Archiepiscopi, et Clementis IV. Papae, ad se mutuo scriptis: quas ex registro MSS. Clementis IV. exhibet Albertinus de *eucharistia* p. 473. Guido autem, in aula Papae aliquando praesens, sententiam familiari suo, Transsubstantiationi contrariam, declaraverat, addito, sententiam suam satis esse Parisiis vulgatam. Quo audito, post Guidonis discessum, Papa ad eum scripsit litteras, hortatus, ut Ecclesiae fidem de Transsubstantiatione teneat: ad quas rescripsit Guido, eum in modum, ut mentem quidem occultaverit, sed transsubstantiationem non admittere haud obscure insinuaverit. Meminit quoque Joh. Paris. lib. cit. Guidonis de Cluvigni, qui, ut verba ejus habent, *determinavit, corpus Christi esse in altari per adsumtionem, et similiter panem esse corpus Christi per idiomatum communicationem; et dixit, quod si esset Papa, quod confirmaret eam.* Denique notatu digna Guigonis Carthusiensis verba in epistola ad Fratres de *monte Dei*, apud Bernardum Claraevallensem oper. tom. II. p. 118., non possum quin subjungam, *passionis et redemtionis Christi adtentius accolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia, et recondendum fideliter in memoria, hoc est, spiritualiter manducare corpus Christi, et bibere ejus sanguinem, in memoriam ejus, qui omnibus in se credentibus praecepit, dicens, hoc facite in meam commemorationem.* Adpellat quoque deinceps hoc ipsum *rem ipsam sacramenti et mysterii, sine quo ipsum sacramentum nihil, quin mors, est.* Distinguit etiam autor *instructionis sacerdotalis* ibid. apud Bernardum p. 547. inter sacramentalem et spiritualem usum eucharistiae. Illud, quod ad efficaciam baptismi adtinet, subjungatur, in concilio Viennensi sub Clemente V. definitum esse, *tam parvulis, quam adultis, conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes,*

*nec*

*nec tantum culpam remitti, infantibus vero quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum.*

§. CLX. Agamus nunc paulo distinctius, more solito, de objecto, partibus, et circumstantiis cultus. Ad *objectum* pertinet, superstitiosam erga *Mariam* devotionem hoc seculo quid incrementi accepisse: cujus nonnulla proferam specimina. 1. Autor vitae Gregorii IX. refert, eum instituisse, ut feria VI. in vesperis, solito finito cursu, semper caneretur, *salve regina* etc. Cujus cantici, seu antiphoniae, autor habetur Hermannus Contractus, Monachus Benedictinus, sec. XI. Dein Bernardus Claraevallensis, legatus ad Germanos, cum Clericos Spirenses illud audiret decantare, addidit, ter genua flectens, verba postrema, *ó clemens, ó pia, ó dulcis virgo Maria!* ut refert Gulielmus Eisengremius, in chronico Spirensi a. 1147. 2. *Rosarium*, seu psalterium Mariae, Dominicus, tanquam ab ipsa virgine acceptum, invexit, ceu praesentissimum ad daemonas fugandos, morbos pellendos, et haereticos convincendos, medium. Constat autem ex salutatione Angelica, *Ave Maria!* 150 vicibus repetita, ad numerum Psalmorum Davidis, addita oratione Dominica ad singulas decades, adeoque 15 vicibus. Adpellatur *rosarium* a copia rosarum, quae suavem spirant odorem, quibus repetitiones illae censebantur similes. Vid. ad a. 1213. Bzovius, Spondanus, et Raynaldus, continuatores Baronii, in miraculis, per rosarium patratis, narrandis quoque diffusi ad taedium usque. Licet vero antea in usu fuerint numeratae preces, sed sine *ave Maria! rosarium* non innotuit. Vid. Natalis Alexander, ad hoc seculum. 3. Innocentius IV. Papa instituit, in concilio Lugdunensi I., ut *Octava* festi Mariae solenni celebraretur ritu per totam Ecclesiam. Ipsum festum diu antea fuit in usu, ut sec. VII. vidimus, ipsa Octava incepit sec. XII., sed aucta nunc est ejus solennitas et celebritas. Vid. Pagi in vita Innocentii. 4. Clemens IV., ut petitioni Ludovici, Regis Francorum, satisfaceret, indulgentiam concessit trium

annorum omnibus, quoties legerent, *benedictum sit dulce nomen Domini nostri Jesu Christi, et gloriosissimae Virginis Mariae, matris ejus, in aeternum et ultra. Amen! nos cum prole pia benedicat virgo Maria! Amen!* Vid. Werner. Rollevinkius, in *fasciculo temporum*, in Clemente IV. 5. Denique huc pertinet *aediculae Mariae*, seu sanctae casae, in qua Filium concepisse putabatur, miraculosa per Angelos translatio ex urbe Nazareth, primo in Dalmatiae quendam locum a. 1291., dein post triennium a. 1294. in Italiam, tandem in viam publicam agri Recinetensis ibidem, Lauretae cuidam, devotae foeminae, propriam: ubi ad hoc usque tempus considet, undeque nomen tulit *aediculae Mariae Virginis Lauretanae*. Cui fabulae non tantum fidem habuerunt, sed et aedem eam inmensis honorarunt donariis, sacris visitarunt peregrinationibus, summis elogiis ornarunt, uti *sanctissimi Sacelli, solii Divinitatis, propitiatorii, altissimi, civitatis refugii* etc.: Vid., praeter continuatores Baronii, ad a. 1292. et seq., Ludovicus Centofiorenius, Romanae curiae advocatus, in *clypeo Lauretano adversus haereticorum sagittas*, Romae edito a. 1643. Ceterum, primus fabulae autor, quem Turselinus citat, est Flavius Blondus, sec. XV., in *Italia illustrata*, qui domus Lauretanae quidem, sed non ejus translationis, meminit, Vid. de fabulosa hac narratione Rivetus, in *apologia pro Maria* l. I. c. 12.

§. CLXI. Ad Sanctorum cultum referre liceat, Christi *stigmata Francisco* inpressa, ut creditum fuit. Fabula utique habet, eum biennio ante mortem in monte Alvernae, quem jejuniorum, et orationum, ergo conscendebat, unum Spirituum Seraphicorum vidisse, inter alas habentem hominem crucifixum, eoque adtentius considerato, disparuisse quidem visum, sed in Francisci corpore mox adparuisse eadem plane clavorum, et lanceae, stigmata, in manibus, pedibus, et latere, quae in Christo crucifixo. Ita in libro *conformitatum vitae Francisci ad vitam Christi* narratur, et apud Bonaventuram in ejus vita. Liber *conformitatum* autorem habet

Bar-

Bartholomaeum Albizium, Monachum Franciſcanum, Piſanum, a. 1385. Unde fuit Jeſus typicus dictus, et Angelus, habens ſignum Dei vivi, Apoc. VII: 2., alia epitheta mitto. Factum dicitur a. 1224., et a multis Papis commendatum, ut Gregorio, et Alexandro IV., Nicolao III., aliis. Quid? quod Benedictus XI. eorum ſtigmatum feſtum celebrari juſſerit, et Paulus V. officium ſacrum recitari. Additur, vulnera illa ſanguinem jugiter emiſiſſe. Quod etiam refert Matthaeus Pariſienſis ad a. 1227., qui addit, omnia ſtigmata cum obitu ejus diſparuiſſe, ſecundum ipſius Franciſci praedictionem.

§. CLXII. Sanctorum *canonizatio* quoque magis honorari coepit, per indulgentias in ea conceſſas, uti primus fecit Honorius III., teſtibus litteris canonizationis S. Laurentii Dublinenſis ab Honorio a. 1225., praeterea per novos ritus ei adjunctos: cujus primum exemplum eſt in Franciſci canonizatione a Gregorio IX., quae coram tota multitudine facta eſt, corpore ipſo in praeſentiam adducto, a Papa, qui cum tota curia aderat, pretioſis ornatus veſtibus, cum palma et cereis etc. Vid. Albertus Stadenſis in Chronico, et Krantzius in Metropoli l. VII., et in Saxonia l. VIII. Ceterum vixit hoc ſeculo *Guillelmina Boema*, famoſa foemina, quae ſe in ſexu foeminino Spiritum S. incarnatum, e Conſtantia, Regis Bohemiae uxore, jactitavit, et ante univerſalem reſurrectionem eſſe reſuſcitandam, ac coelum conſcenſuram, quaeque poſt mortem a. 1281. aliquot annos ſancta apud vulgus eſt habita, ſepulta Mediolani: donec, fraude detecta, corpus fuerit exhumatum, et in cineres redactum. Vid. Mabillon. Itin. Ital. p. 19. Sed miraculorum, viſionum, et ſimilium fabularum, ingens fuit hoc ſeculo copia, ad novos firmandos ordines, ſanctitatem defuncti alicujus demonſtrandam, dogmata et ritus probandos etc., adeo ut catalogus vix iniri poſſit: ſtudioſi autem in iis recenſendis ſunt Baronii continuatores. Exſtat etiam apud Bzovium a. 1199. in fin. ingens a Gilberto Bremenſi miraculorum ſanc-

 tiſſimi

tissimi sacramenti catalogus; qui sine taedio vix legi poterit. Ad *transsubstantiationem* probandam, ut uno alterove defungar specimine, asinus narratur ad adorandam hostiam compulsus ab Antonio de Padua. Is enim Franciscanus, haereticum de veritate istius dogmatis convicturus, provocavit ad miraculum asinae, inedia maceratae, quae, relicto cibo, ipsi ab Antonio oblato, hostiam, ipso jubente, flexis genibus adoravit, sicut in pictura Ecclesiae Patavinae hodiedum conspicitur. Vid., praeter Bzovium, legenda Antonii. Quo etiam portentum facit hostiae in formam venusti pueri conversae in Ecclesia Cameracensi a. 1254. apud Spondanum, et hostiae sanguineo colore tinctae etc. Quorum commentorum pro purgatorio, invocatione sanctorum, imaginibus, magna est seges. Vid. Hottingerus hist. Eccles. cap. 13. hujus seculi. Narratur, ut illud unum addam, epistola divinitus a. 1200. e coelo missa, ad observandum *diem dominicum*, Hierosolymis ex alto dependens, et post trium dierum et noctium preces a Patriarcha excepta, expansa infula; qua Dominus de neglecta ejus diei observantia conquestus est, poenam etiam minatus, simul eum religiose custodiri injunxit a vespera Sabbati ad solem surgentem diei Lunae, additis etiam sanctorum festivitatibus. Qua epistola ad Romanum Pontificem Innocentium III. delata, ipse mox praedicatores ad ejus tenorem per Ecclesias divulgandum ordinavit, sicut non sine miraculis comitantibus factum est. Delata etiam mox est a. 1201. in Angliam, et promulgata cum miraculis. Vid. Matthaeus Parisiensis ad a. 1200., et Rogerius Hovedenus in annal., ubi ipsa etiam exstat epistola. Raynaldus vero ex recentioribus, fictam esse epistolam, et superstitionum ac fraudum plenam, demonstravit: quod facile in oculos incurrit. De stigmatibus Francisci modo dixi.

§. CLXIII. Ad imaginum et reliquiarum cultum spectat solennis processio, hoc seculo instituta, qua *Veronica*, seu Sudarium Salvatoris, cum imagine ejus inpressa, deportatur

tur a Basilica S. Petri ad Hospitale S. Spiritus Romae. Vid. acta Innocentii III., et Matthaeus Parisiensis a. 1210. Quo ipso tempore insigne fertur contigisse miraculum. Dicitur enim effigies, cum in locum suum d po abatur, sponte se invertisse cum fronte deorsum. Quod triste portentum cum horreret Papa Innocentius, orationem in imaginis elogium composuit, et decem dierum concessit indulgentias, quas postea auxit Joh. XXII., qui decem mille dierum indulgentias dedit omnibus, qui has preces fuderint: *benedicta sis tu ó facies servatoris nostri, niveo linteo inpressa, munda nos ab omni inmunditie, et societati beatorum insere nos: introduc nos in patriam ó beata effigies, ut ibi puram Christi faciem videamus.* Ceterum *veronica* dicitur velum, seu sudarium, quo Dominus cruentam suam faciem tempore passionis fingitur abstersisse, suamque imaginem inpressisse. Quod postea Romam est translatum, ubi adhuc adservatur. Nomen vero accepit, vel a pia foemina Veronice, aut Berenice, quae Christo hoc sudarium, capiti suo detractum, censetur dedisse, vel rectius, quod *veram* Christi referat imaginem, tracto etymo a *vera icon*, seu *iconia*, unde contracte *veronica*, aut vericona, et inde *veronica*, ut opinatur Mabillon. Mus. Ital. tom. I. p 88. Gervasius utique Tilberiensis in *Otiis Inperial.* decis. III. c. 25. inquit, *est ergo veronica pictura Domini vera.* Exstat inter Scriptores Brunsvic. Leibnizii tom. I. Plura qui de veronica velit, adeat Gretserum *de imaginibus non manu factis.* Bzovius quoque in Annal. a. 1216. multa de Veronica, ejusque cultu, testimonia a sec. VIII. usque ad sec. XVII. in medium adduxit.

§. CLXIV. De partibus cultus ritualis uno alterove defungi potero observato. De modo baptizandi per *inmersionem*, ter repetitam, producto signo crucis super aquam, ita tamen, ut una etiam suffecerit inmersio, constat ex Augerio de Montfaucon, Episcopo Conseran. apud du Cange Glossar. Lat. ad vocem *baptismi.* Sed singulare est sta-

tutum Synodale sub Johanne de Zurich, Episcopo Ultrajectino a. 1291., apud Heussenum in *Batavia sacra* p. I. p. 145., quod ita habet, *statuimus, quod caput ter in aqua ponatur, nisi fuerit debilis, aut infirmus, vel frigidum tempus, tunc aqua per manus sacerdotis super caput pueri profundatur, ne propter submersionem, vel frigiditatem, seu debilitatem, puer extinguatur, et moriatur.* Caelestinus V. Papa *opuscul.* VIII. p. I. *de Baptismo* c. 6. dicit, Hugonem adserere, *si caput perfundatur, vel praeter caput major pars corporis, baptizatum esse, alias non: alios vero dicere, quod in quacunque parte corporis cadat aqua, baptizatum esse.* Addit ipse, *potest autem infans debilis ac infirmus adspergi tantum aqua.* Praeterea sacramentum *confirmationis* hoc demum seculo est a baptismo avulsum, et ad aetatem adultam dilatum, sicut et infantes baptizati desierunt ad eucharistiam admitti, quia sub una panis specie coepit administrari. Vid. Martene de antiq. Eccles. rit. l. I. p. I. c. 2. Sed Graecis in usu mansit utriusque sacramenti conjunctio, baptismi et confirmationis. Vid. Leo Allatius de *consensu* etc. l. III. c. 18. Ceterum sacramentum confirmationis non fuit simpliciter necessarium habitum ad salutem. Caelestinus V. Papa opusc. VIII. p. II. dicit, *qui sine confirmatione decedit, non minus Christianus moritur, quam si esset confirmatus.*

§. CLXV. Quod ad *eucharistiam* adtinet, cujus ritus fuse, et cum singulorum mystica expositione, enarravit Guibertus Tornacensis, in tractatu *de officio Episcopi, et Ecclesiae cerimoniis*, in Bibl. M. Patr. tom. XXV., ubi etiam de ordinibus Ecclesiasticis differit. 1. Consuetudinem plures uno die celebrandi missas, quae per multa secula obtinuit, abolevit Ecclesia, exceptis festis Nativitatis, Paschatis, et mortuorum exequiis. Vid. Martene l. cit. Caelestinus V. Papa opusculo VIII. cap. 8. *Nullus*, inquit, *debet cantare in una die duas missas, praeterquam in die nativitatis Domini, quia tunc possunt tres celebrari. Potest quis propter necessitatem peregrinorum, vel infirmorum, vel nuptiarum, plures celebrare.*

Censet

Censet quoque ibid., *missam dici posse in necessitate sub dio, vel in tentoriis, sed semper in altari consecrato.* 2. Mos sub una specie communicandi, sine calice, magis magisque invaluit. Coeperant jam a seculo XI. scrupulosius agere cum calice, sive panem vino intinctum sumendo, sive vinum per pugillares, aut fistulas vitreas, argenteasve, hauriendo, ne gutta quaedam decideret; fundamenta quoque calicis auferendi jacta erant, ut supra suo loco observavi; sed, modis illis abrogatis, tandem hoc seculo introductus est mos, sub una specie panis communicandi, duobus superstructus fundamentis, quorum alterum effundendi sanguinis metus praebuit, alterum opinio de toto Christo sub singulis speciebus, ut habet Innocentius IV. Vid. Durant. in Rationali l. IV. c. 42. Robur consuetudini addidit Thomas Aquinas, qui eam adprobavit in *III.* quaest. 80., addit tamen, in multis Ecclesiis alium mansisse morem. De quo etiam testatur Alexander Alesius in Summa p. IV. quaest. 53., dicens, *sua aetate quosdam religiosos petiisse, ut sub utraque specie sumeretur sacramentum.* 3. *Elevatio* panis, *cujus jam antea sec. XI.* adparuerunt indicia, cum adoratione, hoc seculo fere ubique fuit in usu. Cujus meminit Hildebertus Cenomanensis, postea Archiepiscopus Turonensis, in versibus de *sacrificio Missae.* De Germanis patet ex Caesario Heisterbacense l. IX. dialog. c 51., apud Raynaldum ad a. 1203., ubi refert, Guidonem Praenestinum instituisse, ut ad *elevationem hostiae omnis populus in Ecclesia ad sonitum nolae veniam peteret, sicque usque ad calicis benedictionem prostratus jaceret.* In Ecclesia Romana nullum ejus vestigium reperitur ante Bonifacium VIII. Quo sedente ejus mentio fit in ordine Romano XIV. apud Mabillon. mus. Ital. l. II., composito a Cajetano Cardinali, ab illo creato. Adtribuitur tamen Honorio III., in decretalibus Gregorii III. lib. III. de celebratione Missae, decretum; *ut, cum in celebratione missae elevatur hostia salutaris, se reverenter inclinent.* Occurrit etiam in caeremoniali Gregorii

apud Mabillon. l. cit. 4. De pulsatione autem *campanae*, hoc et superiore seculo usitata, constat ex Caesario, modo citato, ac Gulielmo Parisiensi, inter cujus statuta locum habet, *ut in celebratione missarum, quando corpus Christi elevatur, in ipsa elevatione, vel paulo ante, campana pulsetur, ut sic mentes fidelium ad orationem excitentur:* denique ex antiquiore Ivone Carnotense epist. 142., licet ejus testimonium minus sit adcuratum, clarius vero ex Gregorii IX. decreto, *de pulsandis etiam campanis ad confectionem Christi corporis*

§. CLXVI. Adcessit solenne festum, quod *festum Dei* adpellatur, in honorem sacramenti, indeque orta *processio* solennis. Festum est ab Urbano IV. institutum a. 1264., celebrandum annuatim, feria quinta post octavam Pentecostes, edita constitutione, a Bzovio a. 1264. recensita, et sec. XIV. a Clemente V., edito diplomate a. 1311., confirmatum, ac omnibus injunctum celebrandum. Vid. Bzovius ad a. 1317. Officium vero pro festo compositum est a Thoma Aquinate, ut Natalis Alexander dissert. VI. demonstravit. Proximam autem occasionem festi praebuit miraculosa, ut praetendebatur, sanguinis effluxio ex hostia, in loco non longe ab urbe Vetere, Bolsena dicto, sed remotiorem, revelationes quaedam mulierculis Leodiensium factae, de festi celebratione instituenda, cum Urbanus esset Archidiaconus adhuc Leodiensis. Vid. Diaestemius Blaerus, Prior S. Jacobi Leodiensis, in *commentario de institutione corporis Christi*, a. 1496. conscripto, et ejus excerptum apud Bzovium a. 1230. *Processionem*, qua corpus Christi eo die ad pompam circumgestatur, haud diu post fuisse introductam, docent antiqui libri rituales, circa ea tempora conpositi. Nonnulli quidem ex Catholico-Romanis putant, corpus Christi non statim patenter, sed calice, vel vase, absconditum, fuisse circumgestatum, et publice non nisi aliquo tempore post coepisse, verum refutati sunt a Martene de *antiq. Eccles. disciplina* cap. 29. Fuisse eam circumgestationem ad Paganorum imi-

imitationem factam, observavit jam Polydorus Virgilius de *Inventor. rerum* l. VI. c. 11. 5. Denique in concilio Wurtisburg a. 1287., praeside Legato Honorii IV., institutum est, ut, dum corpus Christi ad aegrotum solenniter defertur, sacerdos habitu clericali illud gestet, Clerico praeeunte cum taeda ardente, et tintinnabuli sonitu: porro, ut, qui occurrerint, genuflectant, et tres *paternostros*, ac *ave Maria!* recentent. In concilio Londinense jam ante sub Huberto Archiep. Cantuariense a. 1200. decretum fuit, inter alia, *ut eucharistia ad aegrotum deferatur lucerna praecedente, atque cruce praelata.* Extant acta apud Hovedenum in Annal.

§. CLXVII. Inceperunt etiam hoc seculo preces et missae pro defunctis Papis et Cardinalibus, annuatim fundendae, et faciendae. Quod officium nonis Septembris celebrandum, vesperis et vigiliis, cum novem lectionibus, instituit Alexander IV., teste caerimoniali Romano, quod in Vaticana Bibliotheca adservatur; ut tradit Raynaldus Annal. tom. III. in addendis. Bonifacius vero VIII. in fine sec. ordinavit, ut festa Apostolorum, quatuor Euangelistarum, et quatuor Doctorum, Gregorii, Augustini, Ambrosii, et Hieronymi, sub duplice officio celebrarentur. In quo Papa se dixit imitari nonnullos decessorum suorum. Vid. Raynaldus ad a. 1295. Unde patet, festa duplicium, et semi-duplicium, jam ante fuisse in usu.

## REGIMEN ET DISCIPLINA.

§. CLXVIII. Initio seculi, ut historiam Paparum, pro more, ante omnia persequamur, sedit superbi et elati admodum animi Papa, alter Hildebrandus, ac summus Papalis autoritatis, et, ut loquuntur, omnipotentiae, adsertor, *Innocentius* III., ex Diacono Cardinali electus Papa, 37 tantum annos natus, antea dictus Lotharius, patria Anagninus, ex nobili comitum Signiae familia, studiis Scholasticis probe instructus. Sedit ab a. 1198. ad 1226. Contulit sese mox

in principio ad Romanae ſedis dominium tuendum, et vindicandum. Altero poſt Pontificatum adeptum die Praefectum urbis, antea Inperatori juramento fidelitatis obligatum, et ab eo inſtitutum, ad ligiam fidelitatem recepit, ac publice inveſtivit, quod et aliorum Baronum reſpectu, et per totum Petri patrimonium, fecit: univerſam Marchiam, quam Marcuvaldus, vir potens, tenebat, et vel fiduciario titulo retinere petebat, ipſi ereptam, ſibi ſubjecit, nec non Ducatum Spoleti, aliaſque civitates, patrimonio Petri reddidit: Tuſciae denique civitates, juramento ad Eccleſiae Romanae defenſionem, nullumque Inperatorem, niſi quem volebat Papa, admittendum, obſtrictas, in clientelam ſuſcepit. Inveſtituram Siciliae, Apuliae, et Capuae, conceſſit quidem Conſtantiae, viduae Henrici V., et filio ejus Frederico, Siciliae Regi, ſed ſub cenſu, fidelitate, et hominio, ſolitis capitulis praeterea de electionibus, legationibus, adpellationibus, et conciliis, antea Inperatoribus conceſſis, abrogatis. Archiepiſcopum Salernitanum, alioſque, quos Henricus in Germaniam abduxerat captivos, dimitti juſſit, minatus quoque, ni Principes operam ad id inpenderent, ſe totam Germaniam interdicto ſacro ſubjecturum eſſe. Quo factum eſt, ut captivi fuerint liberati.

§. CLXIX. Inperio diviſo in partes, dum alii Philippum, Sueviae Ducem, Henrici VI. fratrem, et Frederici II. tutorem, elegerunt Inperatorem, alii Othonem, filium Henrici, Ducis quondam Saxoniae, Papa, qui Frederici Barbaroſſae ſtirpem oderat, Othonis electionem confirmavit, cunctiſque obedientiam inperavit ei praeſtandam. Cum vero, Othone aegrotante, et fere deſerto, Philippus ſeſe denuo feciſſet eligi, coronatus quoque eſſet ab Adolpho, Colonienſe Archiepiſcopo, Papa, miſſis legatis, Adolphum depoſuit, Brunone ipſi ſuffecto. Unde multas a Philippo clades paſſa eſt Colonia, donec ipſe fuerit Papae reconciliatus. Principes enim Inperii, horum motuum pertaeſi, Philippi abſolutionem a Papa inplorarunt: ſed adnuit Papa, ſub

con-

conditione juramenti praeſtandi, de ſtando judicio Papae ſuper omnibus, propter quae excommunicatus erat. Compoſuit quoque inter duos illos competitores, Philippum et Othonem, ut hic illi ſuccederet, ducta filia Philippi, Papa ſuper quarto conſanguineitatis gradu diſpenſante. Philippo dein brevi proditorie necato, Papa omnem movit lapidem, ut Inperium confirmaretur Othoni, factus etiam votorum compos, Othone ſeſe Papae juramento obſtringente, ſe Praeſulum electiones non invaſurum, omnes poſſeſſiones Eccleſiae reſtiturum, haereticos deleturum, et pro Sicilia, in fide Eccleſiae Romanae manſura, cauturum eſſe. Sed Otho, ea ratione a. 1209. Romae a Papa coronatus, jura inperii vindicaturus, cum terras ſedis Romanae in Tuſcia, et Flaminia, nec non in Apulia ditionem Frederici, Eccleſiae Romanae fiduciarii, invaderet, nec a propoſito ſe dimoveri pateretur, excommunicationis ac depoſitionis ſententiam et ipſe ſubire debuit a. 1210., ſubditis juramento fidelitatis abſolutis. Quam terribilem ſententiam mox electio Frederici, Siciliae Regis, et Henrici V. filii, in Inperatorem ſecuta eſt. Qui, Germaniam petiturus, Romam venit, a Papa honorifice ſuſceptus, et donationem Fundani Comitatus, Eccleſiae Romanae factam a Richardo de Aquila, Fundano comite, qui Romanam Eccleſiam ſcripſerat haeredem, confirmavit, ſimul promiſit, electiones Epiſcoporum in Sicilia canonice eſſe faciendas, ita ut Papa confirmaret, Regi tantum notificaretur electio. Denique Frederici electionem corroborari fecit in Concilio Lateranenſi IV. a. 1215.

§. CLXX. Recenſeamus nunc reliqua Papae acta et geſta cum Regibus et Principibus. 1. Alphonſum X., Gallaeciae et Legionis Regem, quia filiam Alphonſi VIII., Caſtellae Regis, neptem ſuam, duxerat, excommunicavit, et regnum interdicto ſacro ſuppoſuit, mox in initio Pontificatus, donec Rex ſolverit matrimonium. 2. Sanctium, Portugalliae Regem, qui cenſum annuum, Romanae ſedi ſolvendum,

a Patre Alphonso institutum, inhibuerat, eo per vehementes epistolas, quae supersunt, compulit. 3. Cum Philippus, Galliae Rex, Coelestino Papae obedire, et Ingelburgam Reginam recipere, detrectaret, de quo casu in Coelestino egi, Innocentius totam ejus terram interdicto Ecclesiastico subjecit, ita ut *nullum in ea, praeter baptismum parvulorum, et poenitentiam mortuorum, celebraretur officium divinum.* Quo fulmine tandem ictus obedire debuit Rex. Vid. Roger. Hovedenus. 4. Regis titulum, quem haud una vice ab Inperatoribus acceperant Bohemiae Duces, a Papis autem obtinere non potuerunt ante Innocentium, qui eum Premislao, Bohemiae Duci, confirmavit, quod, partibus Philippi desertis, se totum dedisset Othoni, cui tanto adhaesit studio, ut inde dictus censeatur *Othocarus.* 5. Armenis et Bulgaris, Romanae sedi subjectis, dominium papale latius extendit. Rex enim Armeniae, cum cruce signatorum Henrici I. Inperatoris classis adpulsa esset in Palaestinam a. 1197., et res prospere gessisset, nunciis ad eos missis, gratulatus non tantum iis est, sed et se paratum professus, Romano Inperio ac sedi Papali subjici, modo coronam a nunciis consequatur: quod factum est. Vid. Arnoldus Lubecensis in Chronico Slavorum l. V. Concessit quoque Papa a. 1202. Regi, et Patriarchae, Armenorum multa privilegia, Regi scilicet, ut nemo, praeter Papam, potestate in Regem aut Regnum polleret interdicti, aut excommunicationis, Patriarchae vero, ut pallium, annulus, et mitra, ipsi, recenter electo, mitterentur. Quod idem inter Bulgaros et Blacos, seu Walachos, sub rege Calo-Johanne, factum est. Rex enim, qui se, Graecorum regno excusso, submisit sedi Romanae, a Papa accepit sceptrum, diadema, et vexillum, cruce ac clavibus insignitum, in memoriam Christi et clavium Petri; sicut et Archiepiscopus Bulgarorum ornamenta Pontificalia, cum titulo Primatis, et facultate coronandi Reges, postquam sese juramento obstrinxisset Papae 6. Rex Aragoniae Petrus II. petiit, et inpetravit a Papa

a. 1204.

a. 1204. militare cingulum, et regium diadema, manu quoque Papae coronatus, praestito juramento corporali de subjectione et fidelitate, quare Rex regnum obtulit Papae, et censuale fecit. Fabulosum est, quod nonnulli tradunt historici Hispanici, coronam de *pane* fecisse Regem, et panacea voluisse corona ornari, ne Papa pedibus sibi coronam inponeret, ut moris erat, sed manibus, prae reverentia panis. Vid. Spondanus ad a. 1204.

§. CLXXI. 7. Angliae denique regnum sibi subjecit, post grave certamen, et insigne papalis dominii datum specimen. Huberto, Cantuariensi Archiepiscopo defuncto, monachi istius Ecclesiae clam elegerunt, in ejus locum, Reginaldum, Subpriorem suum, sed publice, ad Regis instantiam, Johannem, Episcopum Norvicensem: Papa, de duplice hac electione certior factus, utramque rescidit, et monachorum legatis ad sedem Apostolicam, qui electionem ad Papam detulerant, novae electionis potestatem dedit, qui Stephanum Langtonum elegerunt, quem Papa mox consecravit a. 1207. Quam ob rem ira concitatus Rex Johannes monachos e conventu Cantuariensi expulit, bona Ecclesiae fisco addixit, et Langtono interdixit aditu in Angliam. Quod ipsi pessime cessit, cum Papa, post frustranea monita, interdicti sacri sententiam promulgari curaverit a. 1208., et, cum Rex nihil moveretur, Ecclesiasticos etiam viros ob interdictum vexaret, eum excommunicaverit, ulterius quoque, cum Regem vincere non posset, progressus, subditos a fidelitate absolverit non tantum, sed et regnum dederit Philippo, Galliae Regi, cum mandato illud invadendi, conscripto insuper cruciatorum exercitu. Quae ex Matthaeo Parisiensi, Westmonasteriensi, et Polydoro Virgilio, constant. Cum autem Philippus in eo esset, ut, numerosissimo instructus exercitu, Angliam peteret, Johannem regno privaturus, ipse viribus diffidens, a Pandulfo, nuncio Papae, etiam deceptus, quippe qui potentiam Gallorum nimium auxit, et Barones Regni ab ipso alienos esse dixit, simul

Petrum aliquem Eremitam subornavit, qui, instar Prophetae, regem regno esse mox privandum, praedixit, se submisit Papae, licet invitus, a. 1113., regia quoque Majestate haud parum prostituta. Coronam enim, capiti detractam, tradidit legato Papae, addito promisso, nec se, nec successores, eam, nisi e manu Papae, recepturos esse: imo statuit Rex, ut Romanae Ecclesiae clientes sint futuri reges Angliae, et regnum Angliae et Hiberniae beneficiario jure tenerent, annuo soluto censu mille marcarum Sterlingorum, salvo per omnia *denario* Petri, de quo supra suo loco monui. Hac ratione absolutus est Rex, et recuperavit coronam.

§. CLXXII. Ex dictis, ut et ex aliis factis, quae suo loco narrabuntur, clare elucescit, Spiritum Antichristianum, cum dominii superbi, tum persecutionis, respectu, in ipso sese luculenter ostentasse. De superbia, et autoritate, quam sibi adrogavit, acta cum Regibus, modo narrata, et alia multa, satis testantur. Quo etiam pertinet, eum statuisse, translationes Episcoporum de sede in sedem, quae olim provincialium Synodorum autoritate fiebant, sua tantum potestate fieri posse, quia inter Episcopum et Ecclesiam est spirituale conjugium, a solo Deo solvendum; quod per Vicarium suum nunc facit. Vid. Tomassinus de *antiqua et nova disciplina*, et Boehmer Jur. Eccles. l. I. tit. 7. Sed ipsum Papam audiamus. In sermone panegyrico, occasione anniversarii electionis suae diei, se *sponsum* adpellat *Ecclesiae, et Ecclesiam sponsam sibi pro dote contulisse spiritualium plenitudinem, et latitudinem temporalium, et in illorum* signum *mitram, in horum* vero *coronam*, mitram pro *sacerdotio*, coronam pro *regno:* dicit praeterea, se *vicarium Regis Regum, et se solum retinere plenitudinem potestatis, ut de ipso, post Deum, alii dicere possint, et nos de plenitudine ejus accepimus.* Quod idem de sede sua jactat epist. 320. lib. I. ad Clerum Islandiae. Sic et in sermone I. de *consecratione Pontificis*, Papam adroganter dicit *inter Deum et hominem constitutum medium, infra Deum, sed ultra hominem, minorem Deo, sed*

*majorem*

*majorem homine, de omnibus judicare, ſed a nemine judicari.* Probat dein, ſed more Papali, autoritatem Papalem eſſe priorem, digniorem, et diffuſiorem Inperiali, inter alia ex eo, quod ſol ſit Papae, et Luna Inperatoris, emblema. Vid. Epiſt. 401. lib. I., et *Extra* de majoritate et obedientia c. 4. Alia haud minus inepta ratiocinia profert in *prima collectione* Decretalium Innocentii, tit. II. Epiſt. Innocentii Baluzii tom. I. Denique, ne plura congeram, in epiſt. ad Johannem, Angliae Regem, in Spicilegio Dacheriano, jactat, a Chriſto eſſe *unum omnibus praefectum, quem ſuum in terris vicarium ordinavit, ut, ſicut ei flectitur omne genu coeleſtium, terreſtrium, et inferorum, ita illi omnes obediant, et intendant* etc. Hic ipſe tam ſuperbus Papa ſibi tamen adtribuere non fuit auſus aut infallibilitatem, aut ſupra concilia generalia autoritatem, in rebus fidei; ut demonſtrat Launoius p. V. epiſt. 2. De *perſecutionibus*, fidei cauſa, tribunal inquiſitionis, ab ipſo erectum, et Albigenſium tyrannica inſectatio, ſatis teſtatur. De quo poſtea.

§. CLXXIII. Quoad qualitates animi, et mores, Papae diſſentiunt autores. Rigordus, autor quidem coaevus, ſed Philippi, Galliae Regis, Chronographus, qui annales Philippi condidit, eum nuncupat virum *clari ingenii, magnae probitatis, et ſapientiae, cui nullus ſecundus ſuo tempore.* Autor actorum Innocentii de ejus liberalitate in ſpecie teſtatur, ejuſque odio in *venalitatem.* Sed longe alia de ipſo tradit Matthaeus Pariſienſis ad a. 1213., ipſum ſcilicet fuiſſe *ſupra omnes mortales ambitioſum, et ſuperbum, pecuniaeque ſitiatorem inſatiabilem, et ad omnia ſcelera pro pecuniis datis, vel promiſſis, cereum, et proclivem.* Cui, reſpectu avaritiae, adteſtatur Robertus Limolnienſis apud Matthaeum Pariſ. ibid., nec non Abbas Urſpergenſis, in capite de geſtis Philippi. Conſtat quoque, inmenſam plane pecuniae ſummam ab ipſo fuiſſe congeſtam per indulgentiarum nundinationes, cenſus regnorum exactos, in primis Angliae, per munera Eccleſiaſtica, et cauſarum deciſiones venales, teſte

Urspergense, denique obtentu expeditionum cruciatarum etc. Denique notandum est, Papam varios edidisse tractatus, et libros, qui duobus voluminibus in fol. prodierunt Coloniae, et Epistolarum libros, a Baluzio publicatos, additis actis et gestis ejus, ab autore aequali conscriptis. Inter ejus libros etiam sunt *constitutiones Decretales*, quas adcurate voluit observari. Composuisse quoque fertur *Spiritus S. sequentiam, veni sancte Spiritus!*, ut antiquus habet autor vitae *Notkeri* apud Mabillon. sec. V. Benedictin. Singulare denique, non negligendum, in hoc Papa est, eum narrari visum post mortem devotae virgini Lutgardi mediis in flammis misere cruciari, et ad quaestionem virginis respondisse, se tribus de causis promeritum fuisse aeternum exitium, sed ad virginis intercessionem se ultimo judicio esse liberandum; ut refert autor vitae Lutgardis apud Surium, qui addit, se causas illas ob reverentiam Papae silere. Praeterea Abbati cuidam Cisterciensi quoque visus est confugisse post mortem ad thronum Domini, clamans, *miserere mihi misero misericordissime Deus!* sed dracone ex adverso clamante, *juste judica justissime judex!*, ut narrat autor *computationis Chronologicae* apud Pistorium tom. I. rerum Germanicarum.

§. CLXXIV. Successit *Honorius III.*, ab a. 1216. ad a. 1227., antea Centius dictus, Presbyter Cardinalis: in cujus electione passim male primum statuitur *inclusionis Cardinalium* in conclavi, ut citius fiat electio, exemplum; coepit enim illud demum tempore Gregorii X., a quo lex ea de re lata est in concilio Lugdunensi a. 1274., ut postea patebit. Illud verius est, nomen *Vicecancellarii* sub eo fuisse ortum. Consueverat illud munus, ut id obiter observem, solis dari Cardinalibus, dein, sec. XII., sedente Gregorio VIII., munus, sub titulo *Cancellarii vices agentis*, ad alios devolutum, rediit hoc tempore ad Cardinales, titulo *Vicecancellarii*; quae praecipua est sedis Apostolicae, post Pontificalem, dignitas. Vid. Onuphrius Panvin. in Gregorio VIII.

VIII. Extendit et hic Papa manus suas quaquaversum, se politicis aeque ac Ecclesiasticis negotiis ubique inmiscuit, adeo ut in ipsius Patriarchae CPolitani jura involaverit, Petrum Corteniacum, Comitem Altisiodorensem, qui Jolantam, sororem Henrici Inperatoris CPolitani, habebat uxorem, coronando Inperatorem: excusavit quidem sese apud Patriarcham, quatenus id ad Petri, et aliorum, petitiones fecerit, attamen de potestatis plenitudine id egisse addit. Vid. Litterae Papae apud Raynaldum a. 1227., et autor Chronici *fossae novae*, inter script. Ital. Muratorii tom. VII. ad eum annum. Corsicae insulae, quae medio seculo IX. fuit Romanae sedi subjecta, alteram partem Genuensibus dedit a. 1217., ea lege, ut fidelitatis sacramentum praestarent, et libram auri quotannis penderent. Genuensi etiam Ecclesiae non tantum Metropoliticam dignitatem, ab Innocentio II. concessam, confirmavit, sed et alia addidit privilegia, inter quae est, *equo albo*, *cum nacto albo*, uti in processionibus, nec non *crucem* vexillum Dominicum per provinciam portare. Vid. litterae Papae apud Raynaldum a. 1217. Obtulit quoque Papae insulam Man, in mari Hibernico, Reginaldus, insularum Britanniae adjacentium Regulus, et ab eo dein recepit possidendam, sub censu annuo duodecim marcharum Sterlingorum, et ei concessit Papa protectionem, Vasallis, et censualibus, Ecclesiae Romanae dari solitam. Vid. Raynaldus a. 1219.

§. CLXXV. Praecipuam vero inpendit operam promovendis expeditionibus Cruciatis, exstirpandis Albigensibus, ac coelibatui Clericorum tuendo. In primo facinore laboravit ab initio usque ad finem Pontificatus, ingente studio, enormibus promissis indulgentiis, statuens, ut refert Aventinus Annal. l. VII., *quemque sceleri obnoxium, parricidio, incesto, sacrilegio, pollutum, continuo, ubi cruciculam vesti adsuisset, solutum esse et crimine et poena.* Unde plerique, ut Idem addit, *ansa hinc arrepta, inimicos prius suos tollebant, hinc in militiam sacram nomina dabant.* Fredericus II., praestito

 juramento

juramento de Ecclesiae Romanae juribus conservandis illaesis, et omnibus confirmatis privilegiis, ab ipso coronatus Imperator a. 1220., una cum Constantia Regina, mox quoque crucem accepit quidem, ad expeditionem statim in Aegyptum suscipiendam contra Saracenos, sed variis sub praetextibus distulit. Papa eum et epistolis, et variis colloquiis, ut Verulis, Veronae, denique in Campania, ad opus adgrediendum incitavit, ipse quoque intra biennium id facturum esse promisit; sed, variis prolatis causis, non praestitit: quare sub poena anathematis tandem ad id est obstrictus. Misit vero Papa legatum ad populos Septentrionales, Daniae, Sueciae, Poloniae, et Bohemiae, ad res Ecclesiae, ibi valde corruptas, emendandas, sed praecipue ad coelibatum inter Clericos confirmandum; cum illis in regionibus, sicut et in Anglia, uxores passim habuerint. Vid. Pontanus rer. Dan. l. VI., et ipse Honorius in litteris variis. De inpetu in Albigenses postea agam. Ceterum, praeter alias epistolas, scripsit etiam Honorius *decretales*, collectas a Tancredo, Bononiense Archidiacono, circa a. 1227. Quae est *quinta* decretalium collectio, quam seculo superiore luci exposuit Innocentius Cironius, Cancellarius Academiae Tolosanae. Composuit quoque, aliis missis, *Censuum* Romanae Ecclesiae grande volumen, addito *caerimoniali*, in re divina celebranda, quod inter alios ordines Mabillon. Mus. Ital. tom. II., exhibet.

§. CLXXVI. *Gregorius* IX., antea dictus Ugolinus, Cardinalis Episcopus Ostiensis, ejus successor, ab a. 1227. ad a. 1241., cum sese in primis celebrem praestiterit gravissima cum Frederico II. Inperatore concertatione, eam una serie paulo adcuratius enarrabo. Fredericum, cui sub anathemate expeditio, intra statutum tempus executioni mandanda, erat ab Honorio injuncta, se quidem cum parvo comitatu ad eam adcinxisse, sed, postquam per triduum fuisset in mari, rediisse, infirmitatem causatum, et propterea mox a Papa Gregorio excommunicatum fuisse, a. 1227., tradit Matthae-

us Parisiensis; referunt etiam alii historici plures. Sed alii tradunt, Papam hoc tantum praetexuisse, et veram causam fuisse, quod terris Inperatoris inhiaret, et propterea eum voluerit longius remotum. Vid. Urspergensis ad a. 1227. et Aventinus l. cit. Ipse Fredericus, litteris ad omnes Principes et Praelatos missis, causam neglectae expeditionis tribuit infirmitati suae, simul Papam increpuit, in Pontificum Romanorum superbiam, ambitionem, et avaritiam detonuit. Exstant multae hanc in rem litterae apud Petrum de Vineis, qui Inperatori fuit a secretis, aliquae etiam apud Matthaeum Parisiensem, qui tamen addit, *hoc factum Inperatoris damnose nimis redundasse in dedecus, et praejudicium, totius negotii crucifixi.* Papa vero, hac Inperatoris obstinatione intellecta, eum anathemate percussit in Synodo Romana a. 1228., omnibus quoque locis, ubi versaretur Inperator, inposito interdicto sacro. Refert autem inter sententiae suae causas, non solum omissam expeditionem, sed et alia multa crimina, et populorum ad Ecclesiam Romanam pertinentium, oppressiones, quodque Archiepiscopum Tarentinum ad sedes suas non siverit ire, etc. Exstant litterae Papae apud Raynaldum. Interea in se hanc ob causam concitavit populum Romanum, qui, inpetu in eum facto, Urbe ipsum expulit, et usque Perusium fugavit, ubi eo et sequente anno mansit, testibus Matthaeo Parisiense, et Abbate Urspergense: unde Assisium perrexit, et Franciscum canonizavit.

§. CLXXVII. Cum vero Fredericus, ut se votum solvere velle ostenderet, Syriam versus cum copiis profectus esset, sed magnam earum partem in regno Siciliae reliquisset Raynaldo, Spoletani Ducis filio, ad jus suum ibi contra Papam tutandum, Papa, vehementiore correptus ira, etiam quod, neglecta absolutione, id fecisset, misit mox Johannem Brennensem, socerum Frederici (duxerat enim ejus filiam Jolantam, et cum ea regnum Hierosolymitanum acceperat Fredericus) ipsi, ob regnum illud occupatum,

infensum contra Raynaldum, ceterasque Ecclesiastici dominii provincias aliis Ducibus commisit defendendas: ex quo in duas partes fuit aperte scissa tota Italia, unam pro Inperio sub Gibellinorum, alteram pro Papa sub Guelphorum nomine: quae factiosa nomina tunc maxime audita sunt, de quibus ad seculum superius dixi. Vibravit praeterea Papa anathematismos in Fredericum, quibus, inter alia, fidelitate absolvit subditos. Exstat forma anathematismi apud Raynaldum. Interea Inperator, missis ad Soldanum AEgypti legatis a. 1229., foedus cum eo pepigit, ea conditione, ut decem annorum essent induciae, et Inperatori, praeter alia loca, restituerentur Hierosolyma, Nazareth, et Joppe, cum terris circumjacentibus. Quo facto intravit Hierosolymam, et summa cum populi laetitia ibi coronatus est. Geroldus vero, Patriarcha Hierosolymitanus, cui hoc pactum cum Templariis et Hospitalariis valde displicuit, illud invidiose ad Papam transcripsit, addito, Fredericum gladium, ex altari Petri sumtum, tradidisse Soldano, Templum Domini inquinari sivisse superstitione Saracenica, terras quoque Orientalium exposuisse Paganorum furori, ut et Hierosolymam, non munitam, incursionibus Soldani Damasceni. Vid. litterae Geroldi, et Papae ad Austriae Ducem, apud Raynaldum. Quare Papa, magis exacerbatus, nihil non ad Inperatori nocendum egit, eo etiam usque, ut, nunciis cum litteris ad Soldanum missis, Soldanum ad regnum Hierosolymitanum non tradendum Inperatori incitaverit, quod Inperator apud Petrum de Vineis, uti Epist. l. I. c. 21., se ex litteris Papae interceptis percepisse testatur. Praeterea, missis quaquaversum litteris, Inperatorem criminatus, famamque de morte ejus spargens, civitates ad se Papae subjiciendas, et omnes Alemannos de terra sancta redeuntes, et in Apulia versatos, interficiendos, excitavit, teste Urspergense. Sed praevenit Inperator, et, copioso collecto exercitu, hostes finibus suis expulit, terras quoque amissas recuperavit. Quo in rerum statu animi Inperatoris

et

et Papae coeperunt ad pacem inclinare, quae, mediantibus Principibus Alemanniae, quoque inita eſt, Inperatore abſoluto, ea conditione, ut quae erepta erant Eccleſiae reſtitueret, eique, ob damna illata, perſolveret *centum et viginti millia unciarum auri:* quod factum eſt, a. 1230.

§. CLXXVIII. Sed haec pax fuit infida, et brevis temporis, nec Papa, ea durante, pacifice degere potuit. Cum enim populus Romanus jura urbis ſibi vindicaret, coactus quidem eſt Papa urbem deſerere, ſed, collecto exercitu, et ipſius Frederici copiis adjutus, Romam perrexit, villas Romanorum evertens, Romani vero, urbe erumpentes, Viterbium, Pontificis oppidum, invaſerunt: ſed, a Pontificiis excepti, et decretorio praelio decertare coacti, ab incoepto, ingente cum clade, remiſerunt, et ad pacem faciendam compulſi ſunt: cujus conditiones exhibet Raynaldus a. 1235. Erupit haud diu poſt nova, et vehementior longe, concertatio cum Frederico, quem Papa a. 1239. tempore Paſchatis denuo excommunicavit, exſtinctis candelis, ſubditoſque fidelitate exſolvit, quod Romanum populum cenſitus fuerit ad ſeditionem concitare, terras Eccleſiae occupaverit, Sardiniae ſcilicet partem, ad Eccleſiam Romanam pertinentem, aliaſque terras, denique Eccleſias ſpoliaverit, et perſonas Eccleſiaſticas variis modis vexaverit. Sententiae formulam recenſet Matthaeus Pariſienſis a. 1239., et capita memorata quoque Albertus Stadenſis. Inſinuavit inſuper Papa, Inperatorem in ipſa fide Chriſtiana minus eſſe ſanum, ſed de quo ſe poſtea dicit acturum eſſe. Qua ſententia per Eccleſias publicata, Inperator, circularibus litteris, per Petrum de Vineis quaquaverſum miſſis, de injuria, ſibi facta, conqueſtus non tantum eſt, ſed et graviſſimis accuſationibus inpetiit Papam, qui per circulares litteras quoque Inperatorem aterrimis depinxit coloribus, ipſi inter alia inputans, quod dixerit, mundum fuiſſe deceptum a tribus *baratoribus* (inpoſtoribus) *Moſe*, *Jeſu*, *et Muhammede.* Memorant praeter has litteras, quae ſuperſunt, quoque hanc atrociſſimam

accufationem hiftorici, ut Matthaeus Parifienfis, Albericus Monachus, et alii. Matth. Parif. a. 1238. tamen praemittit, *famam Inperatoris admodum effe obfufcatam, et maculatam, ab invidis, inimicis, et aemulis fuis.* Imo Chronicon Auguftanum, autor compilationis Chronolog. Piftorii, aliique, tradunt, Fredericum tale quid vere effutiiffe, in comitiis Francofurtenfibus a. 1234., audiente Henrico, Landgravio Thuringiae, fed tefte infido, et Frederici aemulo: addunt et alia, uti, quod, cum facerdotem corpus Domini ad infirmum deferentem vidiffet, *quamdiu durabit truffa ifta?* dixiffet. Sed ipfe Inperator, publicis ad Praelatos fcriptis litteris, ea omnia pro puris putis habuit calumniis, et fidem fuam Catholicam palam profeffus eft. Exftant litterae apud Petrum de Vineis lib. I. cap. 31.

§. CLXXIX. Erupit mox concertatio in apertum bellum inteftinum. Inperator e veftigio in Mediolanenfes et Bononienfes, qui Papae patrocinabantur, arma movit, indeque, finitimis occupatis oppidis, Romam recta tetendit, ut eam expugnaret, et Papam puniret. Sed cum Papa, cruce ac reliquiis productis, Romanum populum per preces et lacrymas in partes fuas traxiffet, confcripto quoque cruciatorum, ampliffimis promiffis indulgentiis, exercitu, Inperator, poft certamen cum iis habitum, quo eos fudit, et gravia de iis fumta fupplicia, ab urbe difceffit, et quacunque tranfiit vaftavit, ac incendio delevit. Inde in Campaniam movit figna, et Beneventum, omnia diruens, et fibi fubjiciens. Ecclefiafticos in Regno Siciliae, Papae faventes, partim trucidavit, partim in carcerem conjecit. Legatos quidem in Germaniam mifit Papa, qui eos contra Inperatorem excitarent, plenarias quoque arma fumentibus conceffit indulgentias, fed parum profecit, et Inperator in terris Papae occupandis perrexit Viterbium ufque. Nec majore fucceffu legatos ad Reges Galliae et Angliae mifit, aliofque Principes. Inperium Frederico abjudicavit, ac Roberto, fratri regis Galliae, obtulit. Galliae enim rex cum

indig

indignatione illud repulit, et Papam haud obſcure in Inperatore oppugnando damnavit, cui inſigne praebuit elogium, Vid. Matthaeus Pariſienſis a. 1239. Declararunt inter alia Franci, Inperatorem ante per concilium generale eſſe judicandum, quam deponatur, nec hoſtibus, quorum Papa dignoſcitur eſſe capitalis, credendum. Addunt, *Papam, ſi per nos Inperatorem devicerit, facile omnes mundi Principes eſſe conculcaturum, ſumentem cornua jactantiae, et ſuperbiam, quod Inperatorem magnum contriviſſet.* Quibus Papa ad incitas redactus, animum ad univerſale concilium adplicuit convocandum, eo ſcopo, ut Fredericus judicaretur deponendus. Qui cum intellexiſſet, legatos et litteras eo fini a Papa miſſos eſſe, nec aliud, quam depoſitionem ſuam intendi, licet in initio conſenſiſſet in Synodum, quia Papa, ſe Synodum velle, ad rei Chriſtianae laboranti ſuccurrendum, praetenderat, teſte Matthaeo Pariſienſi, ſe ei oppoſuit, edicto publico non tantum Praelatos dehortatus, ſed et vias omni parte obſidens, ne ad Synodum venire queant. Quo non obſtante, Papae ſe obedire debere rati, iter ſunt ingreſſi, ſed ingente ſuo damno. Entius enim, Frederici filius naturalis, qui ad portas et mare cuſtodiendum erat miſſus Piſas, claſſe Piſanorum adverſus Eccleſiaſticos et ſeculares, qui navibus Genuenſium Romam vehebantur ſatis magno numero, inſtructa progreſſus, praelio habito navali, illos devicit, aliis ſubmerſis, aliis captis, et ad Fredericum abductis, ejuſque juſſu in carcerem conjectis. Vid., praeter alios hiſtoricos memoratos, Nicolaus de Curbio in vita Innocentii IV., in Miſcellan. Baluzii tom. VII., qui etiam tradit, Inperatorem Romam verſus iterum perrexiſſe, eamque, locis circumjacentibus devaſtatis, tenuiſſe obſeſſam. Quae omnia tanto Papam adfecerunt moerore, ut brevi fuerit defunctus.

§. CLXXIX. Ceterum, ut reliqua ejus geſta levidenſi brachio perſtringam, Sanctorum catalogo inſcripſit Franciſcum, Dominicum, Antonium de Padua, et Eliſabetham,

filiam Andreae, Regis Hungariae, viduam Ludovici, Thuringorum Landgravii, in itinere ad terram sanctam mortui, in Sicilia Monacham, mira devotione illustrem: cujus historia satis mirabilis exstat in *Antiquis Lection.* Canisii, tom. IV. Ludovicum praeterea IX., Galliae Regem, in Albigenses accendit, et jura Ecclesiastica in ejus regno defendit, denique Epistolas reliquit multas, et libros Decretalium, ejus jussu a Raymundo de Penna-forti congestos, ex Pontificum litteris decretalibus, per varia concilia ac libros sparsis, additis litteris, quas Gregorius ediderat. Quod volumen promulgatum est a. 1234. Voluit quoque Papa, ut hi decretalium libri autoritatem habeant in judiciis, et in scholis doceantur. De quo exstat epistola ejus 218. lib. VIII. registri ad Parisiensis Ecclesiae Doctores.

§. CLXXX. Misso *Coelestino* IV., in ejus locum suffecto, quippe ante consecrationem mortuo, non sine veneni suspicione, ut refert Matthaeus Parisiensis, qui tamen addit, eum senem jam fuisse et infirmum, successor ejus *Innocentius* IV., qui ab a. 1243. ad 1253. sedit, nostram meretur adtentionem, in primis quoad concertationem cum Frederico. Gratulatus quidem ei est Inperator per litteras, quae apud Petrum de Vineis exstant, et legatos, omniaque pacifica et amica sibi ab eo, quem semper amicum habuerat, promittebat: Papa quoque misit legatos de pace tractaturos, sed voluit, ut ante de criminibus se purgaret, quam ad communionem reciperetur, addito promisso, se Inperatori satisfacturum, si Ecclesia ipsum laesisset, sed judicio secularium et Ecclesiasticorum in Synodo. Cum vero Inperator Papae judicio stare, et bona Inperii resignare, recusaverit, pacis spes non tantum evanuit, sed novae coeperunt hostilitates, dum Inperator omnes ad Papam aditus obstruxerit, ne quis a Papa ad Transalpinos, aut inde ad Papam, veniret, nec non jurisdictiones, ac possessiones villarum et castrorum, Ecclesiae Romanae abstulerit; Papa vero sententiam excommunicationis Gregorii confirmaverit. Sed

cum

cum multa odiosa, et fidei et violentiae respectu, de Inperatore spargerentur, quae Matthaeus Parisiensis refert, Nobiles quoque et urbes passim ab eo deficerent, pacis negotium denuo est resumtum. Legati, ab Inperatore missi, inter quos fuit Petrus de Vineis, a. 1244., promiserunt sub juramento, nomine Inperatoris, omnem satisfactionem Papae, et Inperator, edito diplomate, se ea, quae Legati agerent, ratihabiturum, testificatus quidem est, quod apud Matthaeum Parisiensem exstat, sed mox resiluit, Papae denuncians, se nihil de conventis facturum, antequam litteras habeat absolutionis. Unde nova orta est discordia, mox per Papae fugam aucta. Ipse enim, Inperatoris metuens insidias, quantocyus iter tam de nocte quam de die, inter multa incommoda et pericula, faciens, aufugit in Galliam, et Lugdunum venit, a Rege Ludovico summo cum honore susceptus. De quo itinere legendus est Nicolaus de Curbio in *vita Innocentii*, in Miscellaniis Baluzii.

§. CLXXXI. Ubi cum versaretur, indixit mox Synodum *Lugdunensem* I. generalem, a. 1245 celebrandam, ad quam in publica concione, quam coram populo habuit, citavit Inperatorem, ut vel Ipse, vel per Legatos, compareat. Qua in Synodo, cujus notitiam postea dabo, Inperator, non obstante luculenta ejus defensione per Legatos, Archiepiscopum Panormitanum, ac Thadaeum, a Papa solenniter est, accensis candelis, excommunicatus, et a regno depositus, addita excommunicationis denunciatione iis, qui eum aut Inperatorem aut Regem salutarent, ullove modo ope aut consilio adjuvarent, praeterea jussione, ut, ad quos electio Inperatoris pertinet, novum eligant. Crimina, quibus sententia superstruitur, memorantur haec quatuor. 1. frequentia *perjuria*, quia Ecclesiae Romanae, cujus ratione Siciliae esset beneficiarius, et a qua Inperium acceperat, bona et privilegia non tantum non tuebatur, sicut per juramentum erat obligatus, sed et evertebat. 2. *Pacis violatio*, et Ecclesiae satisfactio neglecta, licet saepe per juramenta promis-

ſa, imo contumacia in ſceleribus, ac continuatio, Eccleſias, ex. gr., expilando, electiones inpediendo, Clericos ad judicium ſeculare trahendo, patibulis adfigendo, etc. 3. *Sacrilegium*, Cardinales, alioſque Praelatos, ad Synodum, a Gregorio indictam, tendentes, comprehendendo, ſubmergendo, necando, aut in ſervitutem redigendo. 4. *Haereſis*, autoritatem et cenſuram Eccleſiae ſpernendo, Saracenos complectendo, cum foeminis Saracenicis conſueſcendo, Filiam dando uxorem Battacio, Graecorum Inperatori, licet excommunicato, et Eccleſiae inimico. Sed haec ſententia, quod notari meretur, non eſt a Synodo, poſt cauſam legitime diſcuſſam, et libera collecta vota, verum a ſolo Papa, lata, praeſente tantum Synodo, et ſtupente, nonnullis tantum publice, aliis, quia contradicere non audebant, nec cum effectu poterant, conſentientibus: quare Frederico non tantum, ſed et aliis Regibus, valde diſplicuit, et ab iis ſpreta eſt, multa tamen peperit mala. Reges et Principes palam declararunt, ad Papam non pertinere, *Inperatorem inſtituere vel deſtituere, ſed electum a Principibus coronare*, ut Albertus Stadenſis tradit in Chronico. Fredericus vero, de ea certior factus, corona capiti inpoſita, dixit, ſe eam non perdidiſſe, nec ſine cruento certamine perditurum. Interea ſecum diviſi ſunt Italiae et Germaniae Principes, quorum alii Henricum, Haſſiae et Turingiae Landgravium, elegerunt Inperatorem, alii ſententiam illam irritam habuerunt, ut refert Albertus Stadenſis, nec non Trithemius in Chronico Hirſaugienſe, qui addit, ipſum Papam, cum tanta inde vidiſſet orta mala, dixiſſe, *ſe voluiſſe, ſe depoſitionem illam nunquam cogitaſſe.*

§. CLXXXII. Duravit contentio uſque ad Frederici mortem, et interregnum peperit uſque ad Henricum VII., Inperatorem in Eccleſia Lateranenſi coronatum a. 1312. Fuerunt quidem intermedii Reges Germaniae, ſed pro Inperatoribus non habiti, aut Regibus Italiae, cum nullus, aut ab Archiepiſcopo Mediolanenſi *regiis*, aut a Romano Pontifice *Auguſtalibus*, inſignibus fuerit coronatus: ſicut

Itali

Itali rem reputant. Ceterum, Frederico primum fuit oppositus *Henricus* Landgravius, quem Papa omni modo, militibus quoque ejus cruce donatis, tuitus eſt, ſed quem Conradus, filius Frederici, oppugnavit, dein, Henrico mortuo a. 1247., *Wilhelmus*, Hollandiae Comes, in ejus locum ſuffectus. Papa vero Principes Germaniae non tantum ad Inperatorem evertendum ſollicitavit, ſed ipſum Soldanum, ut Albertus Stadenſis tradit, nec ullas pacis conditiones admiſit, quam aequiſſimas etiam, ut, quod per omnem vitam contra infideles pugnaret, modo inperium confirmaretur Conrado, et cum Frederico pie diſpenſaretur etc. Perrexit itaque Fredericus in bello contra Papam, et in Italia contra adhaerentes Papae graſſatus eſt, donec a. 1250. vitam finiverit, non ſine ſuſpicione veneni, ut nonnulli tradunt hiſtorici, qui addunt, ipſum, poenitentia ductum, et abſolutione ab Archiepiſcopo Palermitano inpetrata, pie obiiſſe, Vid. Albertus Stadenſis, Matthaeus Pariſienſis, et Manfredus, in epiſtolis binis de morte Inperatoris, in Miſcellan. Baluzii tom. I. Alii addunt, ipſum poenitentiam etiam profeſſum eſſe, quod Papae ſe oppoſuerit, et Clerum vexarit, ſed de eo ſilent reliqui ſcriptores.

§. CLXXXIII. Frederico defuncto, Papa mox regnum confirmavit Wilhelmo, Inperialibus ornamentis jam antea ipſi promiſſis, Conradum vero, Frederici filium, et ſucceſſorem, anathemate percuſſit, indulgentiarum quoque praemiis, ut ejus inpetum facilius retunderet, populos contra ipſum armavit, dato ipſis crucis ſigno, ut epiſtola ejus 292. lib. VIII. habet; denique Chriſtianum, Archiepiſcopum Moguntinum, quod arma ſumere detrectaret, ſacerdotem non per arma bellica, ſed gladium Spiritus, ſeu verbum Dei, pugnare debere, contendens, gradu deturbavit; ut Serarius rer. Moguntin. lib. V. refert. Imo pro Regibus Franciae orantibus conceſſit, in ſignum grati animi, indulgentias decem dierum; ad quod exemplum ſucceſſores dies indulgentiarum adhuc multiplicarunt, uti Urbanus IV., qui vi-

ginti, Clemens IV., qui centum, dierum, et Leo X., qui anni, dedit indulgentias, Vid. Spondanus a. 1251. Diploma Urbani exstat apud Duchesneum tom. V., et de Innocentio IV. testatur Tomas Aquinas ad IV. Sentent. Dist. 20. Cum vero in regno Siciliae inpune grassaretur Conradus, et Italia varie esset distracta, Papa, qui neminem habebat, qui res suas tueri posset, regnum illud, tanquam feudum Ecclesiae Romanae, obtulit Carolo, Andegavensi Comiti, et, cum is recusaret, Eadmundo, filio Henrici, Angliae Regis: cui operi intermortuus est Papa. Conrado dein exstincto a. 1254. continuavit bellum cum Manfredo, notho Frederici, qui Papae copias profligavit, quando brevi e vivis excessit Papa a. 1254. Reliqua Innocentii acta, et instituta, ut, ex. gr., quod galerum rubrum dederit Cardinalibus, multos sanctorum catalogo inseruerit, ordines Francisci et Dominici potentiores fecerit, Octavas Mariae instituerit, et, quod omnium est pessimum, tribunal Inquisitionis sanxerit, suis locis narrantur. Notabilis est ejus constitutio a. 1254. Romae data, qua Praelatis in Regno Franciae, Angliae, Scotiae, Walliae, Hispaniae, et Hungariae, vetatur studium *legum civilium*, seu secularium: cujus haec est clausula: *cum in regnis*, modo memoratis, *causae laicorum non Inperatoriis legibus, sed laicorum consuetudinibus decidantur, et cum Ecclesiasticae sanctorum Patrum constitutionibus valeant terminari, et tam canones, quam consuetudines, plus confundantur legibus, quam juventur praecipue propter nequitiam — — — statuimus, quod in praedictis regnis leges seculares de cetero non legantur* etc. Vid. Matth. Paris. in Additam. p. 1111. Illud in laudem ejus notetur, ipsum, ad petitionem cujusdam Episcopi Slavoniae, concessisse officia illis in regionibus lingua Slavonica vernacula celebrari; teste ejus epistola apud Raynaldum a. 1248., quam libertatem antea concesserant Hadrianus II. et Johannes VIII., sed abstulerant Alexander II. et Gregorius VII.

§. CLXXXIV. Successit *Alexander* IV., ab a. 1254. ad a. 1261.

1261., qui, novo exemplo, ut notat Matthaeus Parisiensis, litteras misit circulares ad universos Praelatos, quibus preces eorum pro optimo suo regimine petiit. Sed et alias, eodem tempore, misit ad Magnates Italos, sedi Romanae addictos, ut eos in studio Ecclesiam Romanam defendendi confirmaret, Albericum in specie in fratrem Ecelinum incitaret, qui in Marchiam Tervisinam tyrannice saeviebat; ut epistola ejus 2. lib. I. habet. Conscripsit etiam exercitum Cruciatum contra Manfredum, qui universam fere Apuliam sibi subjecerat, sed qui a Papa nec vinci, nec sibi devinci, potuit. Nec in Ecelino felicior fuit debellando. Etsi enim Philippus, Archiepiscopus Ravennatensis, cui has partes demandaverat Papa, Patavium ejus tyrannidi eripuit, Brixeam etiam Ecclesiam reduxerat, postea tamen ab Ecelino victus est, et captus, a. 1258. Grassatus autem Ecelinus refertur horrendum in modum in illis regionibus, Vid. autor coaevus, Monachus Paduanus, in Chronico l. II. Inmiscuit sese quoque summa cum autoritate electioni Regis Romanorum. Wilhelmo, Hollandiae Comite, dum sese ad Inperialem coronam, a Papa accipiendam, pararet, a Frisonibus jaculis et contis confosso, nonnulli Germaniae Proceres consilia quidem de Conradino, Conradi filio, adhuc puero, eligendo inierunt, sed a Papa, qui illud sub excommunicatione omnibus interdixit, et electionem fore irritam declaravit, inpediti sunt. Vid. litterae Papae ad Gerardum, Archiepiscopum Moguntinum, apud Raynaldum. Quando Proceres in partes scissi sunt, aliis Richardum, Cornubiae Comitem, fratrem Regis Angliae, eligentibus, aliis Alphonsum, Regem Castellae. Sed neutri favit Papa, nec sententiam de ea controversia tulit, neuter utique aut Rex Italiae, aut Inperator, coronatus est. Roma interea per intestinos motus multum est passa, ipse quoque ea excedere coactus. Brancaleo, ut rem strictim paucis enarrem, Bononiensis, a Romanis evocatus, senatoriam dignitatem, sibi, absente Innocentio, oblatam, acceptaverat

taverat ea conditione a. 1252., ut triennium, contra urbis statuta, duraret, et obsides, ad fidem praestandam, darentur. Quid? cum nimis severe exerceret justitiam, et propterea odiosus fieret, captus est, exorta seditione, et in carcerem detrusus a. 1255. Bononienses vero, cum obsides tradere recusarent, suppositi sunt interdicto sacro a Papa Alexandro. Quae scena brevi est mutata. Cum enim novus senator, ei suffectus, haud minorem exerceret severitatem, populus, animis mutatis, Brancaleonem e carcere eduxit, et in munere restituit. Quo facto, in adversarios suos coepit saevire, non obstante fulmine Papali, quo ipsum propterea feriit Papa; quod non tantum flocci fecit, sed et Papa Roma excedere coactus fuit. Vid. Matthaeus Parisiensis a. 1258. Cum autem Papa Bononienses ad obsides dimittendos permovere non posset, sacra et gymnasium iis interdixit, eaque ratione eos ad obedientiam compulit. Denique, ut alia Papae gesta, suis locis narrata, mittam, infensum sese concubinariis Presbyteris praestitit adversarium, scriptis litteris encyclicis a. 1259. ad Archiepiscopos et Episcopos, quibus presbyteros illos acerbe increpuit, et districte vetuit, ne quisquam eorum interesset sacrificiis. Litteras ad Archiepiscopum Saltzburgensem recitat Henricus Stero in Antiq. Lection. Canisii.

§. CLXXXV. Excepit ipsum *Urbanus* IV. ab a. 1261. ad a. 1265., natione Trecensis, Patriarcha Hierosolymitanus, qui tunc Romae, negotiorum causa, aderat, electus a Cardinalibus, diu secum diffidentibus. Erat familiae ignobilis, ex Patre sutore veteramentorum, ut habet Antoninus III. part. tit. XIX. Quod cum ipsi aliquando esset objectum, hoc vere nobile protulisse fertur dictum, *virum non nasci, sed virtute fieri, nobilem.* Vertit sese, statim ac sedem capessivisset, ad Manfredum Siculum debellandum, cruce in ipsum ubique praedicata, et Regis Francorum ope inplorata. Cum vero cruce signati, rebus licet in initio feliciter actis, ad sua, defectu stipendiorum, rediissent,

Man-

Manfredus, ab ipsis Romanis tumultuantibus evocatus, tantum incussit Papae terrorem, ut, urbe relicta, Ovietum, Tusciae civitatem, secesserit: ubi ad mortem usque mansit. Vertit vero sese inde ad res Germaniae in ordinem redigendas. Sententiam excommunicationis, a decessore suo iis, qui Conradinum elegerant, denunciatam, renovavit, cum aliqui, Germania inter Richardum et Alphonsum scissa, de Conradino rursus cogitarent eligendo: dein, Principes diffidentes in concordiam redigere conatus, ad utrumque scripsit litteras a. 1263., mandans, ut se per procuratores sistant coram Papa, permisso tantum utrique titulo Regis Romanorum. Carolo quoque Andegavensi, regnum Siciliae, quod aliter tueri non poterat, contulit, simul permisit, ut senator Romanus esset; qua dignitate populus, invito Papa, eum ornaverat, cujus electionis conditiones exhibet Raynaldus. Ceterum instituit festum corporis et sanguinis Christi, ut supra notavi: edidisse fertur constitutionem, ut omnis Episcopus, vel Abbas, sese in persona sistat Papae, Romam adiens: quod *transalpinare* dicitur.

§. CLXXXVI. Successor ejus *Clemens* IV., ab a. 1265. ad a. 1272., natione Gallus, decretum decessoris de Carolo Andegavensi mandavit mox executioni, ipsum Siciliae et Apuliae regem creando, et per Cardinales aliquos, cum Papa esset absens, investiendo, ac coronando, post conditiones juramento firmatas. Quo facto, Manfredum adgressus Carolus, eum devicit, et occidit, a. 1266. Qua nece audita, titulum regis Siciliae mox sibi sumsit Conradinus, sed in sui perniciem. Jussit enim, sub gravi excommunicatione, Papa, ut et ipse a proposito desisteret, et nemo eum agnosceret Regem, praeterea coram Papa sese sistat, causam dicturus, aditu Italiae, ni faceret, interdicto: praeterea Carolum, dum vacabat Inperium, creavit *Paciarium*, seu pacis servatorem, in Tusciae partibus Papae subjectis: et postea, cum Henricus, Hispaniae regis frater, senator Romae constitutus, vexillum Conradini ibi erexisset, aliaque similia patrasset

ſet facinora, anathemate percuſſus, et Carolo dignitas ſenatoria in decennium confirmata, eſt. Conradinus quoque, qui armata manu intraverat Italiam, nonnullaſque terras Inperii, et ſedis Romanae, invaſerat, gravi eſt a Papa perculſus anathemate, ni diſcedat, et ad omnem inhabilis eſt declaratus dignitatem. Quibus non obſtantibus in opere perrexit Conradinus, Gibellinis undequaque ad eum confluentibus, ubique honorifice ſuſceptus, in ipſa etiam urbe, ubi tunc adhuc dominabatur Henricus ſenator. Sed, Apuliam tendens, a Carolo, qui obviam venit, inito praelio devictus, et, ubique oberrans, captus, ac carceri mancipatus, eſt, una cum Frederico Auſtriaco. Quo non contentus Carolus ſe ſanguine nobilium foedare auſus eſt: juſſit enim, ut Neapoli publice percuterentur ſecuri: ſicut factum eſt a. 1269. Cujus indigniſſimi ſupplicii fueritne autor, vel ſuaſor, Papa, his prolatis verbis, *vita Conradini mors Caroli, mors Conradini vita Caroli*, dubium eſt. Adfirmant quidem illud ſcriptores Germanici, ut Albertus Argentoratenſis, Henricus Gundelfingius apud Lambecium Bibl. Vindebon. l. II., et alii, ſed reliqui, clementiae Pontificis ſtudioſi, id refellunt, cum ex eo, quod Clemens fuerit diu antea defunctus, ſed id falſum eſſe docet Henricus Stero, tum quod Johannes Villani tradat, Papae illud judicium aegre fuiſſe, ſed hic autor circa medium ſeculi XIV. ſcripſit. Vid. Spondanus, qui Papam abſolvere conatur. Ceterum, ut illud de Clemente adhuc obſervem, laudatur a liberalitate erga egenos, et quod a nepotiſmo fuerit alienus; de quo epiſt. ejus ad Groſſum, fratris filium, teſtatur; ſed jacta ſunt ſub ipſo fundamenta, quibus Papae nixi uſurpant collationem omnium omnino beneficiorum, quocunque in loco vacantium, uti notavit Paulus Servita, in elegante tractatu de *beneficiis* c. 35. Praeterea mentio ab ipſo fit in epiſtola ad Petrum Groſſum duplicis *ſigilli*, quo etiamnum utuntur Papae, altero in publicis juſſionibus, et expeditionibus, quas *bullas* vocant, altero in privatis litteris, et gratiis

con-

concessis, quas *brevia* nuncupant, prius est plumbeum, ab una parte habens imagines Pauli et Petri, ab alia nomen Pontificis, posterius praefert effigiem Petri, in navigio positi, et retia laxantis.

§. CLXXXVII. Successit *Gregorius* X., ab a. 1271. ad a. 1276., non nisi post longioris temporis moram electus, cum inter Cardinales conveniri non posset, nondum enim inclusio eorum obtinuit in conclavi; sed singulis diebus summo mane in unum venire solebant, si Romae essent, Laterani, vel in Basilica Petri, aut alibi, prout ferebat occasio, si extra urbem, in Ecclesia cathedrali civitatis, ubi degebant, ut jam notavit Onuphrius Panvinius ad Platinam. Ceterum, peperit haec mora lepidum Johannis Portuensis, unius Cardinalium, dictum, *discooperiamus tectum camerae hujus, quia Spiritus S. nequit ad nos per tot tecta ingredi.* Quod ex eo confirmatur, quod, teste diplomate Cardinalium apud Augustinum Oldoinum, in nova additione ad Ciaconium, palatium tunc vere fuerit tecto nudatum. Adscribitur praeterea eidem Cardinali et hoc dictum, cum Papa esset electus,

*Papatus munus tulit Archidiaconus unus.*
*Quem Patrem Patrum fecit discordia fratrum.*

Ne autem longiores traherent moras electores, sunt a Praefecto et Magistratu Viterbiensi, ubi tunc erant, inclusi conclavi, ut ex eodem constat diplomate. Celebre nactus est nomen, quod interregno Inperii finem inposuerit, et concilium Lugdunense II. celebraverit. Cum Richardus, antea electus, jam obierat, et Alphonsi, pariter electi, valde dubia erant jura, Papa electoribus Ecclesiasticis, sub poena depositionis, et secularibus sub excommunicatione, praecepit, ut sine cunctatione eligerent Regem; quando Rudolphum Hapsburgensem, unde hodierna domus Austriaca genus suum repetit, constituerunt Regem a. 1273., cui Papa

calculum addidit a. 1274., postquam Legati, nomine Rudolphi, privilegia, ab Othone IV. et Frederico II. Ecclesiae Romanae concessa, confirmassent, insuper promisissent, Regem ditionem Ecclesiae non invasurum, bellum Regi Siciliae non illaturum, denique solenni juramento spopondissent Papae obedientiam, et fidelitatem. Quod juramentum ipse Rudolphus postea praestitit Lausannae a. 1275., ubi Papam convenit. Vid. Ptolemaeus Lucensis hist. Eccles. lib. XXIII. Praeterea sanxit Rudolphus, ut Praesulum electiones summa cum libertate fierent, utque in caussis Ecclesiasticis provocari ad Papam possit, operam quoque ad haereses exstirpandas pollicitus. De concilio Lugdunense II., a. 1274. celebrato, postea expositurus, hic tantum observo, adprobatam ibi fuisse, et confirmatam, constitutionem Papalem de inclusione Cardinalium in conclavi, cum inminutione cibi, donec novum elegerint Papam. Vid. Onuphrius Panvinius ad Platinam, in vita Gregorii. Quae constitutio, varias continens leges de electione Papae, deinceps varie mutata, et aliquatenus mitigata, est, etiam ab Hadriano V., et Johanne XXI., suspensa, vel abrogata, sed a Caelestino V. renovata, et a Bonifacio VIII. decretalibus inserta. De quo postea suis locis.

§. CLXXXVIII. Missis Innocentio V., qui quinque tantum menses sedit, Hadriano V., ante consecrationem mortuo, et Vicedomino, ne electo quidem, Johanne XXI., qui ab a. 1276. ad a. 1277. sedit, verbo memorato, quod constitutionem Gregorii de inclusione Cardinalium ad tempus abrogaverit, brevi mortuo, ex ruina camerae, quam sibi in palatio Viterbiensi exstruxerat, ut fertur aliqua stoliditate praeditus, ad *Nicolaum* III. accedo, successorem ejus, usque ad a. 1282., de domo Ursinorum, antea Johannem Cajetanum, Cardinalem Diaconum, et Inquisitorem Generalem. Effecit, ut Rudolphus non tantum privilegia, a Legatis nomine ejus sub juramento promissa, confirmaverit, sed et Electores ac Principes idem fecerint: qua ratione multa lo-

ca,

ca, ab Inperialibus detenta, in poteſtatem ſedis Romanae redierunt, licet difficulter, cum jugum Pontificium detrectarent: inmiſſus itaque eſt in Bononiae ac Romandiolae poſſeſſionem. Inpulit Carolum, Siciliae regem, ut vicariatum Etruriae, qui juris erat Inperatorii, et dignitatem ſenatoriam deponeret. Vindicavit quoque eam dignitatem ſibi, edita conſtitutione, ne quis eminentioris dignitatis eam unquam obiret, et ut, qui ad eam adſumerentur alii, haud ultra annum, ſine publicis ſedis Apoſtolicae litteris, eam exercerent: ipſe vero eam in ſe conferri fecit, et per vicarios adminiſtravit. Vid. Gulielm. de Nangis in Chron. Autor quoque eſt conſtitutionis in VI*to* Decretalium, tit. de Electione, quae habet: *Petrum in conſortium individuae unitatis adſumſit Deus, id, quod ipſe erat Dominus, voluit nominari, dicendo, tu es Petrus* etc., *ut ab ipſo quaſi capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet.* In alia conſtitutione, quam Bzovius a. 1280. recenſet, Romam adpellat *civitatem Sanctam, Hieroſolymam novam, deſcendentem de coelo* etc. Denique, quod nomen ejus infame fecit, autor, ſaltem approbator, fuit conjurationis Siculae in Gallos, quae poſtea ſub Martino horrendas illas *Veſperas Siculas* produxit, ſicut omnes hiſtorici, non tantum Franci, ſed et Itali ac Siculi, teſtantur. Erat autem Carolo, modeſto licet Principi, valde infenſus, quod, cum filiam ejus pro Nepote ſuo peteret in uxorem, repulſam tulerit, Carolo reſpondente, *etſi Nicolaus calceis rubris uteretur, ejus tamen ſanguinem indignum eſſe, qui regio miſceretur.* Vid. autor hujus ſeculi Ricordanus Maleſpina, Florentinus, in hiſtoria Florentina. Fuit familiae ſuae amplificandae adeo ſtudioſus, ut quaſcunque dignitates et divitias in ſuos ſtuduerit conferri, ſed et animo volverit, duo regna ad familiam ſuam transferre, Etruriae ſcilicet et Lombardiae, quae cogitabat erigere, ſed morte praeventus eſt. Vid. Ptolemaeus Lucenſis, et Jordanus apud Raynaldum.

§. CLXXXIX. *Martinus* IV., Gallus, ſucceſſor ejus, ab

a. 1281. ad a. 1285., nomen suum celebravit, quod, cum inter duas potentissimas familias, Hannibaldensium, et Ursinorum, Roma distraheretur, et misere vexaretur, ita ut ex utraque familia unus debuerit eligi, qui Romam senatorio titulo gubernaret, Papa, ut his malis poneret obicem, eam dignitatem in se conferri fecerit, et Carolo Siculo commiserit administrandam, sed famosum reddidit, quod sub ipso terribiles illae, et ex orco natae, contigerint *Vesperae*, sic dictae, *Siculae.* De quibus, praeter alios, nuper egit adcurate P. Giannone hist. Neapolit. l. XX., Ptolemaeus Lucensis in annal. ad a. 1282., et alii. Referunt omnes, per totam Siciliam Gallos, uno eodemque die, spatio duarum horarum, quo tempore populus, sonitu campanarum, ad vespertinos hymnos convocabatur, fuisse a Siculis occisos, cum nihil tale inermes exspectarent, aut suspicarentur, nullo sexus aut aetatis habito discrimine; nec seculares tantum, sed ipsos etiam Dominicanos, Franciscanos, aliosque Monachos, inter carnifices fuisse. Tanto insuper furore saevitum est, ut mulieres Siculae, a Francis gravidae, fuerint exenteratae, et parvuli saxis adlisi, ne quid Francici superesset sanguinis. Caesa narrantur octo millia, et unicus ex tota Francorum multitudine tantum servatus Gulielmus Porcelletus, ob famam probitatis. Autor vero conjurationis memoratur Johannes Porchyta, nobilis Siculus, a Carolo relegatus, foedere icto cum Petro, rege Aragonum, sciente et adprobante, ut supra notavi, Nicolao III. Papa.

§. CXC. Inmanis hujus stragis nuncio ad Urbanum Papam, et Carolum regem, qui tunc apud Papam erat, delato, Carolus, re cum Philippo, Francorum rege, communicata, se armavit, Papa Panormitanos excommunicavit, idemque fulmen minatus omnibus, qui regnum Siciliae invaderent, aut conjuratis opem ferrent. Quod cum Petrus Aragonum fecisset, ipseque, cum classe in Siciliam adpulsus, Rex esset proclamatus, Papa fulmen in eum vibravit,

vit, omnibusque ejus terris sacrum inposuit interdictum. Quae sententia exstat apud Raynaldum a. 1282. Cum vero Petrus non obediret, eum a. 1283. declaravit regnis ac ditionibus suis excidisse, subditis a juramento fidelitatis solutis, ejusque regiones Carolo Valesio, filio Philippi, Francorum regis, dedit. Vid., praeter Nangis in Chron., et Ptolemaeum Lucensem, epistola Martini apud Raynaldum. Cum vero Carolus et Petrus, ad litem de regno Siciliae finiendam, in duellum, etiam sub juramento, convenissent, Papa Carolum hac super re increpuit, et sub excommunicatione vetuit, juramento praestito declarato irrito. Exstant ibid. epistolae Papae. Duellum itaque non processit, nec reges in campum progressi sunt, secus ac nonnulli referunt. Admisit dein Papa Siculorum oratores, et ad genua sua provolvi, pacemque his verbis petere passus est, ter repetitis, *agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nostri!*, ut refert Paulus Aemilius in Philippo III., et Antoninus in Chronico. Ceterum, quanto Alemannos fuerit prosecutus odio, vel illud testatur, quod totam Alemanniam unam dicatur petiisse piscinam, cujus pisces deglutire posset. Vid. Sigefredus, vel Siffredus, autor coaevus, in epitome Chron. a. 1278., et Historia Australis in collectione Freheri ad a. 1284.

§. CXCI. *Honorius* IV., a Cardinalibus non reclusis electus, migrata constitutione Gregoriana, sedem tenuit ab a. 1285. ad 1288.. Decreta Martini in Petrum Aragoniae et Siculos renovavit, quod se subjicere, et Carolum Claudum, Caroli Siculi, jam mortui, filium, quem captivum detinebant, dimittere nollent. Quam sententiam, Petro defuncto, pronunciavit quoque in ejus filios, Alphonsum et Jacobum, quorum ille in regnum Aragoniae, hic in Siciliae, successerat. Rudolphus Inperator vero, quod non erat negligendum, finxit quidem, scriptis ad Papam litteris a. 1285., se Romam, ad Inperialem coronam recipiendam, venire velle, sed, licet saepe id professus fuerit, semper

 distulit,

distulit, apologo usus AEsopico, de animalibus, a leone, ut regiam suam adirent, invitatis, et sola vulpe, cum nullum ex iis redire animadverteret, pedem retrahente; quo insinuavit Rudolphus, multos ante se reges intrasse Italiam laetos, sed paucos sine luctu et damno reversos fuisse. Ceterum, quod decessores saepe urserant, ipse introduxit studium linguarum Orientalium, ad convertendos Saracenos, et reducendos schismaticos Orientales. Damnavit quoque pseudo-apostolicos: de quibus postea.

§. CXCII. Successit *Nicolaus* IV., ab a. 1288. ad a. 1294., primus ex ordine Francisci Pontifex. Jura Ecclesiastica in Lusitania, quae Alphonsus III., et dein Sanctius, ejus filius, adripiebant, vindicavit, Tatarorum conversioni, de qua postea, operam dedit. In conversione Jacobitarum, Armenorum, et Tatarorum quid egerit, ex litteris ejus enarrat Bzovius a. 1292., expeditiones cruciatas promovit, Hungariae, cujus regnum censuit esse in clientela sedis Apostolicae, praefecit Carolum Martellum, Caroli II., Siciliae regis, filium, inquisitionem Venetam instituit. Sed rebus Siculis componendis, et Carolo, Salernitano Principi, liberando, praecipue incubuit, absque ut votorum fuerit compos factus. Dimissus quidem est Carolus ope Eduardi, Angliae regis, qui effecit, ut inter Alphonsum et Carolum, jam sub Honorio initum pactum a. 1287., sed ab eo inpeditum, fuerit executioni mandatum, quod habebat, ut regnum Siciliae cederet Jacobo, fratri Alphonsi, Carolus Valesius renunciaret juri regni Aragoniae, a Martino concesso, et Papa exoraretur anathemate solvere Aragonos, et pactum firmare: sed nec Galliae rex, nec Papa Nicolaus, pacto stare voluit: imo hic illud abrogavit, et Carolum coronavit Regem Siciliae et Apuliae, iisdem sub conditionibus, quibus Carolus illud a Clemente acceperat. Postea tamen a. 1290., cum ad Aragoniam occupandam sese pararet Rex Franciae, nec ei resistere posset Alphonsus, rogavit Papam, ut pacem conciliaret; quod quidem a Papa factum

factum est, hac conditione, ut regnum Aragoniae redderetur Alphonso, ipseque sese Papae sistens, ac veniam deprecatus, absolveretur, sed ita, ut Aragonios et Catalaunos e Sicilia evocaret, efficeretque, ut Siciliae regnum restitueretur. Sed quibus renuit obedire Jacobus, propterea excommunicandus a Papa. Ceterum, moriturus narratur Cardinales juramento obstrinxisse, ut nemo, nisi e Minoritarum ordine, eligeretur Pontifex: ut Chronicon habet Belgicum magnum, inter Pistorii scriptores rerum Germanicarum, Vid. etiam Krantzius in Saxonia l. VIII.

§. CXCIII. Sedem papalem, post duorum annorum, et aliquot mensium, interpontificium, Cardinalibus discordibus, capessivit *Coelestinus* V. a. 1294., antea Petrus de Murrone, Monachus in monte Murronis, haud procul Sulmone, ubi austeram et eremiticam agebat vitam. Papa invitus factus, sese, singulari exemplo, eodem anno sponte abdicavit, quatenus oneri ferendo sese judicavit inparem. Cum, ad ornamenta Pontificalia recipienda, pergeret Aquilam, non equo, sed asino, voluit, prae humilitate, vehi, fraena duobus Carolis, Patre et Filio, tenentibus, illo Siciliae, hoc Hungariae, rege. De miraculis, eo tempore patratis, etiam aselli contactu, lubens sileo; vid. Westmonaster. in hist. a. 1294., illud notasse contentus, undequaque ad eum, tanquam coelo delapsum, adeoque re et nomine Coelestinum, concurrisse homines. Inter gesta ejus, quae pauca fuerunt, memorabile est, quod Gregorii constitutionem de inclusione Cardinalium in eligendo Pontifice iterum confirmaverit, ut et pacis conditiones inter Carolum, Siciliae Regem, et Jacobum, Aragoniae. Cum vero nimis esset modestus, superbiam Pontificiam sustinere non valens, Cardinales, quos ad strictiorem adigebat observantiam, quorum praecipuus Cajetanus, eum omni ope ad se abdicandum compulerunt, et facile, quippe sua sponte ad id inclinatum, permoverunt: quare fabulam redolet, quod nonnulli tradunt, quosdam fuisse subornatos, qui, per arundinem

voce ad eum de nocte, quasi coelitus veniret, delata, dixissent, *Coelestine dimitte Papatum, si vis salvus fieri, negotium supra vires est*; ut refert Balaeus; cujus rei altum quoque est apud Veteres silentium. Vid. Spondanus. Facta itaque constitutione, licere Pontifici se abdicare, cessit sua sponte, eodem quo suscepit anno, laetusque in eremum secessit, ubi tamen tranquille non potuit degere, a Bonifacio varie vexatus. Vid. P. de Alliaco in ejus vita. Conscripsit quoque et ipse Coelestinus vitam suam, quam in cella sua reliquit, dum inde, Papa factus, recederet: sicut et postea fecit Abbas Celestinus, Telera Bipontinus; quae utraque recusa est in Bibl. M. Patrum, tom. XXV., ubi etiam opuscula ejus exstant. Sunt autem moralia et ascetica, ex Scripturae S. et Patrum sententiis contexta, sed saepe minus cohaerentia. Spirant simplicitatem et piam devotionem, simul stupendam credulitatem et superstitionem; uti ex. gr. *de miraculis Mariae virginis* opus. VI. Ceterum a Clemente V. sec. sequente Sanctorum catalogo est insertus, sed sub nomine *Sancti Petri confessoris*, *quia sic vocabatur ante Papatum*, inquit Ptolemaeus Lucensis in vita Clementis, apud Baluz. vit. Paparum Avenion. tom. I., qui addit, *per illud videri* Clementem *ratificasse renunciationem*, *quia noluit ipsum vocari Coelestinum.*

§. CXCIV. Excepit ipsum majoris animi, et longe diversae indolis, Papa *Bonifacius* VIII., de quo hoc Coelestini fertur dictum, *intravit ut vulpes*, *regnabit autem ut Leo*, *morietur ut canis*: ut tradit Walsingham in vita Eduardi I., et Warnerus Rollevink in *fasciculo temporum*, praeter alios. Sed autores hujus temporis nihil tale habent, videturque ex eventu fictum, cum Bonifacio haud male conveniat. Antea fuit adpellatus Benedictus Cajetanus, ex illustri stemmate Anagniae in Campania ortus. Electio ejus accepta ferenda est Carolo II., Siciliae Regi, cui illud regnum, si Papa fieret, promiserat, ut Ptolemaeus Lucensis, Joh. Villanius, et alii, referunt. Pompam coronationis

tur-

turbasse narrantur non tantum densissimae tenebrae, una cum terribili tempestate, lampadas, et cereos, in Ecclesia exstinguente, sed et commotio plebis, quae quadraginta hominum, et supra, necem secum traxit, quae mala futuri regimis omina sunt habita. Intravit autem sicut vulpes, quod Coelestino persuaserit abdicationem, Carolum multis promissis in partes traxerit, et omnia contraria praetenderit, Coelestino abdicationem dissuadendo, et pontificatum quasi invite suscipiendo. Qua ratione autores, quorum alii tradunt, eum Coelestino suasisse, alii dissuasisse, conciliandi sunt. Emissis litteris circularibus spontaneam Coelestini abdicationem, Cardinalium concilio adprobatam, legitimamque suam electionem, notificavit, praeterea Coelestini constitutionem, de licita Pontificis abdicatione, non tantum corroboravit, sed et aliam addidit, quam lib. V*Ito.* Decretalium, ab ipso confecto, inseruit; denique effecit, ut AEgidius Columna, ordinis Eremitarum Augustini, pro ipso hac de re scripserit apologiam, cum, qui de licita renunciatione dubitabant, non deessent. Litterae vero encyclicae, a Bzovio et Raynaldo publicatae, quibus professionem fidei edit, non videntur genuinae, cum antiquus iste mos, quo ante, vel post, consecrationem, solebant Papae fidei confessionem edere, ut ex *libro diurno* Pontificum Garnerii patet, non amplius viguerit, utique post seculum XI. nullum ejus occurrit vestigium: renovarunt eum postea sec. XV. concilia Constantiense et Basileense.

§. CXCV. Primam mox vertit curam ad Principes Europae, inter se dissidentes, uniendos, eo in primis scopo, ut expeditionem cruciatam promoveret; sed quae non aeque feliciter successit. Eduardum, Angliae regem, et Adolphum Nassaviae, Romanorum, qui Philippo Franciae bellum inferre moliebantur, frustra ab eo proposito abstrahere conatus est; nec plus apud Venetos et Genuenses, horum culpa, profecit. Feliciores fuerunt conatus apud Philippum Franciae regem, et Aragonios, inter quos pax est conciliata: inter

cujus conditiones et hae fuerunt, ut Franci juri in regnum Aragoniae renunciarent, et Aragonii Siciliam, et quicquid in Bruttiis occupaverant, sedi Romanae restituerent, suisque copiis Siculos ad obsequium compellerent. Regem Daniae, cum Archiepiscopo suo dissidentem, quem etiam in vincula conjecerat, cum ad meliorem mentem frustra conatus esset reducere, censuris, et regnum interdicto sacro, subjecit: quod ad a. 1399. duravit. Siculos vero, qui Gallorum inperium odio habebant, et, ut se tuerentur, Fredericum, Jacobi Aragoniae fratrem, tunc Siciliae praefectum, creaverant Regem suum, cum nec blanditiis, nec minis, ab eo posset avertere, Jacobum Aragoniae constituit vexilliferum suum, et classem parari curavit, ut rem armis tentaret, licet infidelium praetenderit oppugnationem. Evocavit etiam Carolum Valesium, Comitem Andegavensem, Philippi Franciae fratrem, in Italiam, ut Siculos in ordinem redigeret, et Italiae factionibus obicem poneret. Quo fini ipsum ditionis Ecclesiae Romanae creavit Praefectum, Tusciae paciarium, et Inperii Vicarium. Fuit autem in Siciliae motibus componendis felicior Valesius, quam in Italiae; cum eo res redegerit, ut pax inter Carolum, Siciliae regem, et Fredericum, usurpatorem, fuerit a. 1302. sancita; quae a Papa fuit a. 1303. confirmata.

§. CXCVI. Praecipua ejus fuit concertatio cum Columnensibus, et Philippo Galliarum Rege, paulo adcuratius enarranda. Adeo studiosus fuit Papa factionis Guelficae, ut Gibellinos non tantum, sed et Columnenses, Gibellinarum partium, sibi adversantes, summo fuerit prosecutus odio. Cum Cardinales Columnenses audivisset Genuae morari, Archiepiscopum Genuensem, qui die cinerum venerat Romam, ad pedes suos procidentem, adlocutus fertur in dura verba: quibus solennem formulam sacerdotis, *memento homo, quia cinis es, et in cinerem reverteris*, ita invertit, *memento homo, quia Gibellinus es, et cum Gibellinis in cinerem reverteris*: ut Blondus, Platina, et alii, referunt. Duo scili-

cet

cet Cardinales Columnenses, sive quod Gibellini essent, sive Coelestini abdicationi fuerint in initio adversati, nec non dein Bonifacii coronationi, variant enim autores, cum Papae essent odio, gravis inter Ipsos, quorum erat Romae potentissima familia, et Papam, orta est dissensio, quae, occasione supellectilis Papae, quum Romam transferebatur, direptae a Columnensibus, erupit. Papa enim eos omni privavit dignitate, cruciatam contra eos, et eorum fautores, instituit expeditionem, aedes eorum diruit, oppida quaedam occupavit et castella, et fugientes persecutus est. Columnenses quoque libello edito, et quaquaversum disseminato, Papam, ut illegitime electum, ambitionis et avaritiae plenum, imo tyrannum, diffamarunt. Exstat apud Raynaldum tom. III. in addendis. Inter eos, qui libellum refutarunt, eminet AEgidius Romanus, etiam Columna dictus, scripto apologetico pro Papa, sub titulo *de renunciatione Papae*. Cum vero nusquam tuti illis in oris essent fratres, inde aufugerunt, alter ad Regem Franciae, qui ipsum honorifice suscepit, alter, a piratis Massiliensibus interceptus, dure habitus, et Massiliam abductus, tandem agnitus, et a Rege redemptus, est. Qua vero ratione Papae perniciem fuerint moliti, mox referam.

§. CXCVII. Longe gravius fuit cum Philippo Pulchro, Rege Galliae, discidium: quod, licet ad initium seculi sequentis pertineat, hic, ut Bonifacii vitam pertexam, strictim et summatim narrabo. Prima, sed remotior, causa, quae eorum animos abalienavit, fuit, quod, cum Guido, Comes Flandriae, in regis offensam incurrerat, et in custodiam erat datus, Papa jusserit, ut, vel Flandro satisfaceret Rex, vel se ad tribunal sistat Apostolicum, Rex autem regesserit, se Papae in regni administratione non esse subjectum. Propiorem praebuit causam constitutio Papae a. 1296., sexto decretalium libro inserta, de *immunitate Clericorum*, qua Regibus et Principibus interdicitur, decimas, aliave subsidia, quovis titulo, exigere a Clero, ut et

Clericis ea solvere, sine speciali permissu Papae, addita excommunicatione et solventibus, et exigentibus. Quae constitutio, Philippum in specie feriens, eum adeo exacerbavit, ut pecunias extra regnum vetuerit efferri, et extraneos ab aditu regni arcuerit. Papa in initio quidem acerbiores ad Regem misit litteras, sed dein, aliorum inductus consiliis, mitiorem indutus animum, mitigavit, respectu regni Franciae, constitutionem, voluntaria permittendo donaria, licet petita, modo sine coactione, insuper declarando, ea petere et solvere licere in casu necessitatis, si regni aut regis salus exigat, etiam inconsulto Pontifice. Cum hac ratione dissidia viderentur brevi componenda, novae adcesserunt causae, quae igni infuderunt oleum. Rex denuo irritatus est, quod Papa, arbiter, ex compromisso, factus controversiae inter Eduardum, Angliae Regem, cujus filio filiam desponderat, inconsulto Philippo, Guido Flandrus, et Philippum, qui filiam, tanquam obsidem, in sua detinebat potestate, secundum Eduardum et Guidonem pronunciaverat; licet, se non nisi consensu Philippi sententiam dicturum, ei promisisset. Papae vero bilem movit, quod Rex patrocinaretur Columnensibus: expeditiones cruciatas, a Papa indictas, nollet promovere, quia bello Flandrico erat distractus, denique decimas, belli sacri causa collectas, tradere recusaret, nec alias in regno exigi permitteret.

§. CXCVIII. Erupit vero flamma a. 1300., cum Papa Bernardum, Apamiensem Episcopum, misit legatum ad Regem, qui eum ad expeditionem excitaret, decimas vero alio convertere, Ecclesiarum vacantium fructus retinere, eorumque titulos, sine consensu Papae, conferre, quod Rex fecisse dicebatur, vetaret. Mandatum insolenter admodum et superbe executus est Bernardus, cum, quod minas excommunicationis et exauctorationis, nisi rex obediret, adjecerit, tum, suam a rege independentiam jactaverit, seseque soli Papae, in Temporalibus aeque ac Spiritualibus, esse

esse subjectum, dictitaverit: erexerat in ejus gratiam Papa Episcopatum illum, invito Philippo. Qua insolentia in iram conjectus rex, eum, tanquam Majestatis reum, ob hoc et alia crimina capitalia, de quo vid. Petrus Marca concord. sacerd. et Inper. l. IV., ubi dissidii historiam quoque narrat, tradidit Narbonensi Archiepiscopo custodiendum, et ab eo, aliisque Episcopis Provinciae, canonice judicandum. Papa hac de re per ipsum regem, qui honoris causa id fecit, simul episcopi exauctorationem petens, ut justitiae traderetur, certior factus, et vehementius concitatus, misit Jacobum de Normandis, Archidiaconum Narbonensem, qui regi juberet, ut Bernardum dimittat, et ad Papam judicandum remittat, simul manus a rebus Ecclesiae abstineat: quod si recusaret rex, in mandatis habebat legatus, ut regnum Franciae ad sedem Apostolicam declararet devolutum, regem feriret anathemate, subditos juramento fidelitatis absolveret, et Praelatos Ecclesiae Gallicanae citaret ad Synodum Romae a. 1302. habendam. Quae cum legatus adgrederetur exsequi, litterae Pontificis ipsi ereptae sunt, et in ignem conjectae, Legatus, una cum Bernardo, carcere educto, longe facessere jussus est, edicto etiam publico prohibitum, ne quis de Clero Romam petat, pecuniam evehat, aut fulminantes Papae litteras suscipiat. Missus denique est ad Papam legatus, qui haec omnia ipsi intrepide nunciaret; sicut fecit. Cum vero Papa dixisset, *nos habemus utramque potestatem*, regessit Petrus Flotta, is enim erat legatus, *utique Domine*, *sed vestra est verbalis*, *nostra autem realis*. Denunciavit mox publicas inimicitias Regi, diplomate evulgato a. 1301., quo cuncta privilegia et gratias, Regibus Franciae, et Clericis ac Laicis a Papali sede concessas, suspendit, decimas, aliaque subsidia, Ecclesiasticis inposita, et exigi et solvi vetuit. Asperiores praeterea scripsit ad Regem litteras, quibus multos excessus, in regno commissos, ei exprobrat, de quibus in proxima Synodo Romae ageretur, simul potestatem suam supra

regalem extollit, dicens, inter alia, *se a Deo esse constitutum super Reges et Regna, ad evellendum, destruendum, disperdendum, dissipandum, aedificandum, et plantandum, falli itaque regem, si existimet, quod superiorem non habet, nec subest summo hierarchae Ecclesiae*, addit, *desipere, qui sic sentit, et, si sit pertinax, eum esse haereticum et infidelem.* Quo eodem tempore brevior est ad Regem missa epistola, nomine Papae, in hanc formam: *Deum time, et mandata ejus observa, scire te volumus, quod in spiritualibus et temporalibus nobis subes. Beneficiorum et praebendarum ad te collatio nulla spectat* etc. Epistolam a Petro Flotta ita esse conctractam, nec a Papa eam in formam profectam, contendit quidem Spondanus, sed sine ratione, nec id aut fuisset ausus, aut potuisset facere, legatus, cum sigillo Papae munitae debuissent esse litterae.

§. CXCIX. Ordinibus Regni a. 1302. a Rege, his acceptis, convocatis, ea cum indignatione communiter rejecta sunt, tanquam inaudita, et Regi Regnoque injuriosa, multa quoque de excessibus Papae sunt in medium adlata. Aliqui de Clero tergiversati quidem in initio sunt in ea consentire, sed postea adsensum praebueruut, venia tamen Papam adeundi petita; quod ipsis negatum est. Missis itaque litteris ad Papam rogavit Clerus, ut, quod Romam non veniat, aequi bonique consulat, simul ut concordiae studeat. Sed Rex, acerbiore stylo, in haec verba ad eum scripsit. *Philippus Dei gratia Rex Francorum, Bonifacio gerenti se pro summo Pontifice! sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse: Ecclesiarum et praebendarum vacantium collationem ad nos jure regio pertinere, fructus earum nostros facere: collationes a nobis factas et faciendas fore validas in praeteritum et futurum, et earum possessores contra omnes viriliter nos tueri: secus autem credentes fatuos et dementes reputamus.* Et has litteras fuisse, Rege inscio, scriptas, vel decurtatas aut interpolatas a Petro Flotta, absurde contendit Spondanus, cum in archivis regiis reperiantur, et nulla, praeter hypothesin, sit id statuendi ratio. §. CC.

§. CC. Papa, his litteris ad eum delatis, primo conqueſtus eſt, coacto conſiſtorio, litteras ſuas ab inimicis pacis eſſe falſatas, cum non ſcripſerit, ut illis in litteris legi ſibi (licet falſo, cum verba ea ibi non reperiantur) relatum eſt, *quod rex recognoſceret regnum a Papa*, dein declarat, *ſe nolle uſurpare juriſdictionem regis, attamen regem eſſe Papae ſubjectum ratione peccati*, et poſſe Papam de omni temporali judicare reſpectu peccati, imo ipſi omnem competere juriſdictionem temporalem de *jure*, quia Vicarius Chriſti eſt, qui vivos judicaturus eſt et mortuos, ſed eam de *actu*, et exercitio, Regibus eſſe conceſſam, quia Petro dictum eſt, *converte gladium in vaginam.* Adjungit denique, deceſſores ſuos exauctoraſſe tres Reges Franciae (de quo tamen nihil ex hiſtoria conſtat,) Philippum vero patraſſe graviora, *quapropter*, inquit, *nos deponeremus regem ita, ſicut unum Garcionem.* Inſiſtit denique mandato de Clero Gallicano Romam venturo. Ex quibus clare conſtat, Papam, etſi verba emolliverit, re vera ſibi ſupremam in Reges et Regna vindicaſſe poteſtatem, ſed indirectam, reſpectu peccati et Eccleſiae, cui ſubſunt Reges. Quod ex ejus conſtitutione, *unam* Sanctam, *extra* de *majoritate* et obedientia, luculentius adhuc eluceſcit: docet enim ibi, utramque poteſtatem eſſe penes Eccleſiam, temporalem ſubeſſe ſpirituali, et ab ea inſtitui, ac judicari, papalem vero, vel ſpiritualem, a nemine judicari, niſi a ſolo Deo, imo de neceſſitate ſalutis eſſe, Romano Pontifici ſubeſſe. Quam inſolentem opinionem et hoc ſeculo refutarunt regiae autoritatis ſtudioſi, inter quos excellunt AEgidius Romanus, et Johannes de Pariſiis, doctores et Theologi Pariſienſes; quorum exſtant tractatus apud Goldaſtum de *Monarchia Imperii* tom. II.

§. CCI. Ultimum antequam Papa adhiberet remedium, miſit adhuc legatum ad Regem, a. 1303., qui eum permoveret, ut Papae amice adſurgeret, et de capitibus accuſationis ſatisfaceret, quae tredecim erant, quorum ſummam

una cum responso Regis, recenset Spondanus. Quae responsa cum Papae displicerent, nec Rex sese statim submittere vellet, Papa ultimam tandem sententiam excommunicationis in Regem tulit, quam legato misit, ut Regi intimaret, et in toto regno promulgari faceret, addito mandato, ut Ecclesiastici intra tres menses sese Romae coram Papa sistant. Sed qui has litteras et diplomata deferebat captus est Trecis, et in carcerem conjectus. Praeterea Ordinum in conventu Parisiis a. 1303. Gulielmus de Plessiaco vehementem habuit orationem invectivam in Papam, qua ipsi, praeter varias haereses contra inmortalitatem animae, vitam aeternam, praesentiam corporis Christi realem in eucharistia, inpegit atrocia crimina Simoniae, luxuriae gulae, saevitiae, sacrilegii, magiae, contemptus rerum sacrarum, necis Coelestini Papae, illegitimae intrusionis in sedem Papalem, fomenti bellorum et dissidiorum, odii in specie in regnum Gallicanum, etc. Decreta etiam ibi est adpellatio ad concilium universale, quam Clerus Gallicanus et Academia Parisiensis confirmarunt, addita tantum exceptione, *salvis in omnibus Ecclesiae Romanae honore et reverentia*, et adpellatione prolata dictione disjunctiva, ad *concilium*, vel *futurum legitimum Pontificem*, ad quem, vel ad quos, provocandum esset. Concilium itaque generale fuit papali autoritate superius habitum. Petrus Marca de concord. sacerd. et Inper. l. IV. c. 17., ubi in adpellationis ejusmodi originem inquirit, et disjunctivam illam adpellationem exponit, rem haud parum palliavit, et involvit, ne Papalis autoritas aliquid capiat detrimenti. De quo hic non est agendi locus.

§. CCII. Quibus ad Papam delatis, ipse vehementer est concitatus, et, postquam sese in consistorio a criminibus solenniter per juramentum purgasset, ad censuras in Regem et Regnum sese vertens, Regem devovit, Regno sacris interdixit, Academias jure docendl privavit, subditos fidelitate exsolvit, Regnum Alberto, Romanorum Regi, tradidit,

jussitque,

juſſitque, ut illud invaderet, Flandros etiam et Anglos in Regem acriter concitavit. Sed, antequam hoc decretum in publicum emitteretur, Papa captus eſt, et brevi poſt mortuus. Captus eſt per Columnenſes, alioſque, Anagniae conſpiratione in eum inita, cum ſcriberet decretum illud, inſcio, ut volunt, Rege Galliae. Recuperavit quidem poſt triduum libertatem, cum Anagnienſes, ſumtis armis, expulerunt conjuratos, Romam etiam magna cum pompa intravit, ſed in ardentiſſimum mox incidit morbum, qui eum e vivis abſtulit. Narrant nonnulli, eum inter maledicta in Regem conjecta inſtar furibundi deceſſiſſe, imo caput muro adliſiſſe, et ungues momordiſſe: ſed quod alii ſilentio involverunt, alii etiam refutarunt. Sicut itaque ut vulpes intravit, et tanquam leo regnavit, ita mortuus eſt ut canis. Fuit quidem, teſte ipſo Johanne Villanio, *vir doctus, et multo rerum uſu excellens, ſed crudelis, ambitioſus, ſeſeque avaritiae ſordibus foedavit, ut gentiles locupletaret.* Habitus nihilominus eſt pro ſancto a Romanis, et miraculis clarus. Ceterum inſtituit *Jubilaeum*, de quo poſtea, et ſextum decretalium librum, cujus maximam faciunt partem conſtitutiones declaratoriae, et ſententiae, ab ipſo factae, promulgavit.

§. CCIII. Ex hiſtoria Paparum, ſummatim tradita, clare eluceſcit, 1. Papas ſibi ſupremam in temporalibus et ſpiritualibus, ut loquuntur, adrogaſſe poteſtatem: licet Gregorius X., in concilii Lugdunenſis indictione, videri poſſit ſummam concilii generalis autoritatem agnoviſſe, ubi dicit, ſe *ad id, ad quod ſe non ſufficere ſciat, convocare concilium.* Sed reſpicit ad unionem Eccleſiarum Latinae et Graecae, ſine concilio vix efficiendam, cum ipſa Paparum autoritas inter controverſa fuerit capita. Ceterum, quae fuerunt cenſita Papalis muneris ſpecialia, egregie eluceſcit ex Coeleſtino V. Papa in opuſculo VIII. c. 9., cujus verba propterea proferam. *Specialia Domini Papae ſunt triginta quatuor. Tranſlatio Epiſcopi, renunciatio electionis ejuſdem, exceptio Epiſco-*

*porum, restitutio depositorum ab ordine, judicalis definitio, mutatio sedis Episcopalis, constituere sedem Episcopalem de novo, subjicere unum Episcopum alteri, duos unire, et unum dividere in duos, commutatio voti, item, ut quem vinciat contra juramentum illicitum, vel de quo dubitatur an sit licitum: dispensatio etiam in majoribus criminibus; consuetudinem Ecclesiae circa regionem removere: quaestio fidei, celebratio concilii generalis, condere legem generalem, privare personam Ecclesiasticam jure suo, concedere Ecclesiam, vel praebendam, vacantem. Solus cognoscit simpliciter, solus potest excommunicatum a se ipso absolvere, vel a suo delegato, si steterit in excommunicatione per annum: solus cognoscit de causis ad eum delatis: solus ordinat diaconum, quem prius ordinaverat subdiaconum: solus concedit pallium, dispensat cum bigamo, et illegitime nato, vel defectum habente, ut promoveatur in Episcopum; item, ut habeat plura beneficia cum cura animarum: solus utitur pallio semper et ubicunque, solus dat subdiaconatum diebus Dominicis, vel festo: solus absolvit excommunicatum, scienter communicando ei, si per hoc intendat absolvere eum: ad eum solum adpellatur missis mediis judicibus: item majora negotia sunt ad eum ferenda ubi dispensatur de Simoniaco, ut supra, et cum eo qui excommunicatus celebravit, vel ordinem suscepit.* Singulare, et ideo hac occasione notandum, est, Bonifacium, ut refert Abbas Ursperg. in Paralipom., *primo* Jubilaei die sacerdotali habitu sese populo ostentasse, eique benedixisse, sed *secundo* imperiali pallio amictum comparuisse, et coram se duos *gladios* portari, et proclamari curasse, *ecce hic duos gladios!* quo sibi utramque potestatem civilem et Ecclesiasticam adrogavit. Denique, si quis fundamenta velit, quibus Petri primatus, cui Romanae sedis innititur, fuit hoc tempore superstructus, legat inter alia epist. Innocentii III. 209. lib. II. ad Patriarcham CPolitanum; inter quae, satis nota, illud singulare occurrit, quod *cum Dominus adparuisset in littore discipulis navigantibus — — — — Petrus se in mare misit, aliis navigio venientibus. — — Cum*

— — — *Cum enim mare mundum designet*, — — — — *per hoc, quod Petrus se misit in mare, privilegium expressit Pontificii singularis, per quod universum orbem susceperat gubernandum* etc. Quo etiam mox trahitur, quod super *aquas maris* mirabiliter ambulaverat, ad Christum tendens etc. 2. Infallibilitatem in rebus fidei nec sibi Papae sumserunt, nec alii ipsis tribuerunt. De Innocentio III. supra vidimus. Totidem verbis illud fassus est Innocentius IV. in commentario ad 5 libros Decretalium, ubi inter alia docet, Pontifici non esse obediendum, si ejus mandata vel haeretica sint, vel Ecclesiam turbent, posse enim eum in rebus fidei errare etc. Deleta quidem sunt ea verba in recentioribus *commentarii* editionibus, sed in Indice manserunt: uti autor anonymus, in tractatu Gallico de autoritate *Paparum* tom. I. observavit. Attamen non defuerunt, qui sedi Papali infallibilitatem tribuisse videntur. Qualis fuit Guibertus Tornacensis, ordinis Minorum, in tractatu *de officio Episcopi, et ceremoniis* Ecclesiae cap. 35. in Bibl. M. Patr. t. XXV., ubi inter alia dicit: *sola Romana Ecclesia, cujus fides in nulla tentatione defecit, ut pote super Petram stabilem solidata, nullis haeresibus, nullis erroribus, potest, vel potuit, vel poterit inquinari.* Addit mox, solum Petrum *vocatum esse a Christo in plenitudinem potestatis, cum omnes alii in partem sollicitudinis sunt vocati.* Quid? quod ipse Innocentius III. ep. 209. l. II. verbis Christi ad Petrum, *ego pro te rogavi, ne deficiat fides tua* etc., citatis, ita pergit: *ex hoc innuens manifeste, quod successores ipsius a fide Catholica nullo unquam tempore deviarent* etc. Contulerunt 3. multum ad autoritatem Papalem extollendam Scholastici, in primis Tomas Aquinas, multis fictis ex Cyrillo Alexandrino productis, ut Launoius et Dupinius agnoscunt. Sed 4. non defuerunt, qui ingravescenti Paparum autoritati sese opposuerunt, ut, inter alios, ex Regibus, in primis Fredericus II., et Philippus Pulcher, Galliarum Rex: ut ex supra dictis constat. Ipse Ludovicus IX., Sanctorum catalogo a Boni-

 facio

facio VIII. insertus, pragmaticam sanctionem paulo ante obitum edidit a. 1268., qua exactiones curiae Romanae, Simoniam in conferendis beneficiis, omne jus collationum, quod Papae sibi vindicarunt, prohibuit. Edicta quoque ejus contra usurpationes Papae in jurisdictionem et autoritatem secularem exhibet Goldastus tom. I. *Constitut. Inperal.* Eduardus I., Angliae rex, cum Bonifacius VIII. contenderet, regnum Scotiae esse juris Ecclesiae Romanae, quae litterae apud Westmonasteriensem in *floribus histor.*, exstant, respondit, nec reges, aut regnum, Scotiae unquam aliis, quam regibus Angliae, subjici consuevisse, nec reges Angliae *super illo suo jure, aut aliis temporalibus, coram aliquo tribunali Ecclesiastico respondisse* etc.

§. CCIV. Denique 5. tyrannidem, foedamque corruptionem, uti avaritiam, libidinem, fastum, luxuriam etc. Curiae Romanae multi, praeter Albigenses et Waldenses, vivis depinxerunt coloribus: inter quos eminent in Germania Petrus de Vineis, in *epistolis et invectivis*, Abbas Urspergensis, Johannes Semeca, et Nicolaus de Bibrach, Theologus Erfordiensis circa a. 1290., scripto libello, cui titulus *Occultus*, ex quo quaedam in Papas et Episcopos profert Flacius in *catalogo testium veritatis*, lib. XVII., cujus in Martinum IV. ita habet epitaphium,

*Hic jacet ante chorum submersor Teutonicorum.*
*Pastor Martinus, extra qui totus ovinus.*
*Et lupus introrsus, cui nulla redemtio prorsus.*
*Sed sit ad inferna detrusus ab arce superna.*

Verba Abbatis Ursperg. de *questu curiae Romanae*, in Chron. p. 321. excerpi, et hic legi, merentur, *Gaude mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractae thesaurorum in terra, ut ad te confluant rivi et aggeres nummorum in magna copia. Laetare super iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompensatione tantorum malorum datur tibi pretium. Jucundare super*

*ſuper adjutrice tua diſcordia, quia erupit de puteo infernalis abyſſi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum praemia. Habes, quod ſemper ſitiſti, decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem orbem viciſti. Ad te trahit homines, non ipſorum devotio, aut pura conſcientia, ſed ſcelerum multiplicium perpetratio, et litium deciſio pretio comparata.* In Gallia Gulielmus, Pariſienſis Epiſcopus, circa a. 1220., qui Romanam Eccleſiam adpellavit Babylonem, Sodomam, AEgyptum, cujus Praelati non aedificant, ſed deſtruunt Eccleſiam, varia ſcripſit; quae duobus voluminibus in Fol. proſtant, opera Ferrarii. Johannes Pariſienſis, qui de Regia poteſtate et Papali pro Philippo Pulchro ſcripſit. *Probus*, Epiſcopus Tullenſis, Franciſcanus, de quo refert Aventinus, Annal. l. VII., eum fuiſſe invectum *in Romuleos vultures, et Pontificum flagitia, luxum, avaritiam, ſuperbiam*, etc. Gulielmus de S. Amore, Doctor et Theologus Pariſienſis, in libro de *periculis noviſſimorum temporum*, contra praedicatores mendicantes, quorum erat ſummus adverſarius, iiſdem inſiſtens veſtigiis, de quo poſtea: denique Petrus Johannes Olivus, dioeceſios Bituricenſis Minorita: cujus articuli in Romanam Eccleſiam, tanquam Antichriſtianam, meretricem Apocalypticam, Babylonem etc., ex libro ejus in Apocalypſin excerpti ab Inquiſitoribus, exſtant apud Baluzium in Miſcellan. tom. I. Inter Anglos hac parte primas tenet Robertus Groſſeteſt, vel Groſſehand, alias Capito, Epiſcopus Licolnicenſis, vir eruditionis et pietatis laude celeberrimus, qui in Curiae Romanae, et Monachorum, vitia liberrime eſt invectus, in *ſermonibus* et *epiſtolis.* Quae opuſcula ſunt edita in *faſciculo rerum expetendarum et fugiendarum* tom. II. Habet etiam quaedam Matthaeus Pariſienſis a. 1253., et ex ſermone aliquo Joh. Hus de ipſo, *catalogus teſt. ver.* lib. XVI. Roma, quam, ut curiae Romanae tyrannidem et exactiones in Anglia reprimeret, adiit, re infecta cum diſceſſiſſet, licet bene ibi fuiſſet habitus, acrem ſcripſit ad Papam Innocentium IV. epiſtolam, quae

ipsum in summam conjecit iram, ita ut dixisse feratur: *per S. Petrum, et S. Paulum, tam terribiliter ipsum puniam, ut orbis obstupescat*, quam retuderunt Cardinales, dicendo, *vera esse, quae dicebat.* Vexatus, vel excommunicatus, propterea a Papa, flocci id fecit. Vid. Matthaeus Parisiensis, qui, querimonia ejus de Romano Pontifice exposita, adjungit, vere de curia Papali judicari, et dici

*Ejus avaritiae totus non sufficit orbis.*
*Ejus luxuriae meretrix non sufficit omnis.*

Exstat quoque Petri Cassiodori, Equitis Angli, epistola de tyrannide Papae excutienda, apud Goldastum in *Monarchia Romani Inperii* tom. VI. Denique Gualterus Mapes, Archidiaconus Oxoniensis, Romanae curiae vitia et flagitia taxavit in rythmis de *corruptissimo statu praelatorum Romanae curiae*, apud Wolfium Memorab. tom. I. Ipse insignis historicus Matthaeus Parisiensis nullam idem faciendi praetermisit occasionem: apud quem idem praestitit Germanus, Patriarcha CPolitanus, in epist. ad Gregorium IX. et Cardinales. Prolixa Matth. Paris. excerpta reperiuntur in *Catalogo test. Ver.* lib. XVI.

§. CCV. *Cardinales*, post Papas in Ecclesia honoratiores inter Clericos habiti, ad quos etiam sede vacante potestas Papalis devolvebatur; ut adfirmavit Matth. Paris. a. 1243, p. 533. coeperunt jam uti calceis et vestibus purpureis, uti de Pelagio, legato Innocentii III. ad Graecos, testatur Georgius Logotheta in Chronico, a Leone Allatio latine verso, et illustrato. Cujus rei etiam meminit anonymus autor vitae Gregorii IX., qui hoc seculo vixit. Mentio praeterea fit capelli, seu galeri, rubei, sub Urbano IV., quem acceperunt sub Innocentio II., qui illum honorem ipsis decrevit in concilio Lugdunensi I., ut Nicolaus de Curbio in ejus vita tradit, qui addit, Cardinales anno sequente, seu 1246., eo usos esse in colloquio inter Papam et Ludovicum

IX.

IX. habito. Ratio autem purpurei coloris datur, ut ſemper recordarentur, ſe capita pro Eccleſiae libertate tuenda debere offerre ad mortem.

§. CCVI. *Epiſcopi*, de quibus pauca habeo obſervata, 1. canonice et libere fuerunt electi a Capitulo, ſed licentia eligendi a Regibus conceſſa, et electione ab illis adprobata. Erat itaque non amplius penes Clerum et populum, ut antiquitus, ſed ad ſolum capitulum devoluta, ad imitationem aulae Romanae, in qua electio fiebat a Cardinalibus. Deinceps ſec. XIV. tractae ſunt electiones Romam, per proviſiones et exſpectativas, ſed ſec. XV. per concordata Germanica reſtitutae Capitulis. 2. Electi confirmabantur a Metropolitano, ſicut Metropolitani ab Epiſcopo Romano. Erat autem intra tres menſes petenda confirmatio. 3. Inceperunt jam ſeſe adpellare Epiſcopos *per gratiam ſedis Apoſtolicae*, cum antea vel *Epiſcopos*, vel, uti poſt ſeculum VI., *per miſericordiam Dei.* Primi id fecerunt Nicoſiae Archiepiſcopi; deinceps ſeculis ſequentibus id magis invaluit. Vid. *traite de l' autorite du Pape* lib. III. p. I. cap. 2. 3. Juramentum fidelitatis et obedientiae praeſtare tenebantur Papis, et Regibus ſuis. 4. Ceſſiones Epiſcoporum, et translationes, fieri, ſine Papae autoritate, non poterant: cujus rei rationem repetiit Innocentius III. a conjugio ſpirituali inter Epiſcopum et Eccleſiam, quod carnali conjugio eſt arctius: unde derivat, illud non niſi a Deo eſſe ſolvendum, et per conſequens a ſolo Chriſti vicario: cujus poteſtate conjugium illud ſolvitur, ſive per ceſſionem, ſive tranſlationem, ſive depoſitionem. Quae omnia conſtant ex cap. *inter*, de *tranſlatione Epiſcopi.* Vid. etiam Epiſt. 117. et 447., 532. lib. I. 5. Alia beneficia praeter Epiſcopatum fas non erat tenere, niſi Papalis acceſſiſſet diſpenſatio. Cardinales itaque facti, Epiſcopatum ſine ea diſpenſatione retinere non poterant. Commendae vero beneficiorum, quibus adminiſtratio aliis concedebatur, abſque ut proprius ibi eſſet Praelatus, nonnunquam a Papis conceſſae ſunt,

ſaepe etiam revocatae, et vetitae, cum multa hinc orirentur incommoda. Haec autem beneficiorum coacervatio, et collatio, ſub titulo *commendae*, vel curae, aut adminiſtrationis, nomen et conſpectum habuit *polygamiae* ſpiritualis. 6. Juriſdictio competebat Epiſcopis in Clericos, tam in criminalibus, quam civilibus, cauſis, nullo relicto loco judicio ſeculari: ſicut multae Paparum, et Conciliorum, evincunt conſtitutiones. Sed viguit hac ſuper re diſceptatio inter Clericos et Laicos Galliae, quorum hi contenderunt, caſus quosdam eſſe excipiendos, in quibus Clericorum judicium ad ſeculares pertinebat, uti *a.* in crimine furti *b.* in clericorum conjugatorum delictis *c.* ſi Clerici ſine tonſura et veſte clericali eſſent in crimine deprehenſi *d.* ſi de ipſorum conjugibus ageretur *e.* Clericos in terris Baronum capi non poſſe. Eccleſiaſticorum cauſam egit Petrus Bertrandi, AEduenſis Epiſcopus, ſecularium vero Petrus de Cugnerus, regius advocatus a. 1329. Extendebat ſeſe praeterea Epiſcoporum jurisdictio ad nonnullas cauſas Laicorum; adeo ut ad forum Eccleſiaſticum tractae ſint, praeter uſurae crimen, et adulterium, cauſae Nobilium, ratione juramenti, fidei, teſtamenti, matrimonii; ſed et aliae eo deferri poterant, ut ſacrilegia, cauſae viduarum, et alia. Saepe tamen ſeculares ſe oppoſuerunt, variaſque cauſas ad ſe traxerunt: de quo conqueſtus eſt Durandus, Epiſcopus Mimatenſis, in tractatu de *modo concilii generalis* celebrandi. 7. Denique cauſarum Epiſcopalium prima cognitio pertinebat ad Metropolitanos, et concilia provincialia, ſed finitiva et ultima ad ſedem Papalem. Innocentius tamen III. primam cauſarum Epiſcopalium cognitionem ad ſe videri poſſet traxiſſe, niſi verba ejus molliorem ferant interpretationem, et ad finitivam trahantur ſententiam: uti diſputat Natalis Alexander cap. VII., de his omnibus legendus.

§. CCVII. Quod ad reliquos adtinet Clericos, eos 1. ſine titulo beneficii aut patrimonii fas non erat ordinari. 2. Praebendae cathedralium Eccleſiarum, ab Epiſcopis et ca-

capitulis, ſive utriſque conjunctim, ſive a ſingulis ſeorſim, conferebantur. 3. Sed Papae, ſive mandatis, ſive reſervationibus, multa conferebant beneficia, ſimul jus ea conferendi ſibi adrogarunt; cui juri Gallicani et Anglicani ſtrenue contradixerunt: unde varia ſunt orta certamina, diverſa etiam Paparum ſtatuta, quorum alia palam defenderunt mandata, et reſervationes, alia mandatis ſubſtituerunt preces, ita ut non exegerint, ſed precati fuerint, beneficiorum collationes in hos vel illos, alia denique reſtrinxerunt ad beneficia in curia Romana vacantia, quam tamen curiam latius extenderunt. Papae itaque, cum antea precibus, dein mandatis, agerent apud ordinarios collatores, nunc directo conferre coeperunt beneficia, nec hoc ſolum, ſed ante vacationem dabant *exſpectativas*, vel pleraque beneficia, in quibuſvis regnis, ſuae *reſervabant* collationi: unde multae ſunt ortae lites, et in conciliis Conſtantienſ. ac Baſilienſ. ſec. XV. modus eſt inpoſitus, ſed ſine executione: dein per concordata nationis Germanicae id factum eſt. Vid. Cl. Boehmer. Jur. Eccleſ. l. III. tit. V. Denique 4. ſolebant beneficia in Eccleſiis et monaſteriis ad primas Principum preces conferri: ſed Reges Franciae nonnulla pleno jure id faciebant, in primis jure *Regaliae*. Continet autem illud *a*. collationem beneficiorum, vacante ſede Epiſcopali, quae curam animarum non habebant conjunctam; quorum collatio ceteroquin ad Epiſcopum pertinebat. *b*. uſumfructum redituum Eccleſiae, ſeu jus fruendi reditibus Eccleſiae, non iis tantum, qui ex feudis proveniunt, ſed univerſis. Adpellatur jus *regium*, et *regalia*, quod nobilioribus regiae dignitatis, et ei propriis, ſit accenſendum partibus. Fundatum vero eſt 1. in cuſtodia et defenſione Eccleſiarum, cujus cauſa honorarium competit defenſoribus Eccleſiae, ſitum in uſufructu redituum Eccleſiae vacantis, et praebendarum collatione, quae inter fructus ſolet computari. 2. in natura feudorum regalium, quem conſpectum habent bona in Eccleſias, et Eccleſiaſticos, collata. De quo ad ſec.

 XI.

XI. in Gregorio VII. exposui. Quo utroque fundamento Reges Galliae jus *regaliae* semper exercuisse, probat Natalis Alexander ad hoc sec. 5. Beneficiorum vero pluralitas, maxime quibuscum conjuncta erat animarum cura, et residentiae necessitas, variis canonibus, et decretis, fuit damnata.

## SYNODI.

§. CCVIII. Tria hoc seculo celebrata sunt concilia Generalia, quae nostram merentur adtentionem, apud Latinos, Lateranense IV. Lugdunense I. et II. Primum fuit ab Innocentio III. a. 1213., missis quaquaversum litteris, indictum, post duos annos et dimidium habendum Romae, in Basilica Lateranensi, tribus de causis, in litteris expressis, recuperatione terrae Sanctae, exstirpatione haeresium et haereticorum, ac universali Ecclesiae reformatione. Ad quod jussum ingente numero venerunt Praelati Romam, qua Ecclesiastici, qua seculares, a. 1215., quo anno incepit mense Novembr. Papa praesedit, interfuerunt Oratores Regis Siciliae, tunc Romanorum Regis, Inperatoris CPolitani, Regum Galliae, Angliae, Hungariae, Hierosolymae, Cypri, et Aragoniae: praeterea Patriarchae CPolitanus et Hierosolymitanus, legati vero Antiocheni et Alexandrini, Primates et Metropolitani septuaginta septem, Episcopi supra 412., Abbates et Priores ultra 800. Absentium Praelatorum et Capitulorum procuratores innumeri. Fuit itaque inmensus undiquaque confluxus, et si Graeci ac Orientales, qui cum Ecclesia Latina dissentiebant, adfuissent, Oecumenica, summo gradu, haberi potuisset, nunc, pro Ecclesiae Latinae universali quominus agnoscatur, nihil inpedit; soletque a Latinis adpellari Oecumenicum *duodecimum*. Historia Synodi ex Abbate Urspergense, et Matthaeo Parisiense, praecipue petenda est, et canones septuaginta, hic conditi, in tomis Conciliorum reperiuntur, etiam apud Magdeburgenses, centur. XIII.

§. CCIX.

§. CCIX. Sunt autem ejus acta et decreta 1. fidei catholicae definitio, quae nihil particulare habet, nisi quod Transsubstantiatio fuerit sancita, et, praeter articulos Symboli, baptismi, et parvulorum et adultorum, efficacia ad salutem. 2. Omnes sunt damnatae haereses, nominatim Almarici, et Joachimi Abbatis: de quibus postea. 3. Decretum de exstirpandis haereticis, et morte plectendis, sive brachio seculari tradendis, hic etiam cusum est. De quo etiam postea. 4. Expeditio in terram Sanctam decreta est, amplissimis concessis indulgentiis. 5. Ditio Comitis Tolosani, quam Innocentius custodiae Simonis, Comitis Montisfortis, tantum tradiderat, ipsi in perpetuam possessionem est data, teste Petro de Valle Cernaii in historia Albigensium. Ipsa vero sententia prostat in Spicilegio Dacheriano tom. I. Qua ratione Comes Tolosanus, ob Albigensium defensionem, terris suis privatus est. De quo postea. 6. Excommunicationis sententia est ab Innocentio in Proceres Anglos, qui in Johannem, Angliae regem, conspiraverant, lata, eorumque regiones sunt interdicto sacro subjectae. Vid. Matthaeus Parisiensis a. 1216. Frederici II. electio, rejecto Othone, et hic 7. confirmata est, teste anonymo, autore aequali, apud Raynaldum. Denique 8. multa, ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentia, hic sancita sunt; ut ex undecim ejus canonibus patet. Nonnulli quidem Protestantium opinantur, hos canones non a concilio, sed a Papa, post illud, esse confectos, sed sine solida ratione. Concilium enim Lateranense, hic citatum, non est hoc ipsum, sed III*tium*, sub Alexandro III. Matthaeus vero Parisiensis, ubi dicit, *recitata esse in pleno concilio capitula septuaginta, eaque aliis placabilia, aliis visa esse onerosa*, sicut ea fuisse recitata tradit, ita non addit, rejecta esse, tantum nonnullis visa onerosa, quod majoris partis adprobationi non adversatur. Vid. Natalis Alexander diss. I. ad hoc sec., qui genuinos esse hujus Synodi canones demonstrat.

§. CCX. Inter canones nostra digni sunt adtentione sequentes, quos tantum adtingam. 1. Stabilitur canone V. Pontificia potestas universalis in omnes per orbem Ecclesias, et Romana Ecclesia dicitur *mater universorum Christi fidelium et magistra:* post eam reliqui throni Patriarchales hoc recensentur ordine, CPolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus. 2. Datur quoque canone III. Pontifici potestas exauctorandi Reges et Principes, propter haereses, vel favorem haereticis praestitum. Canon enim iste sese, quod aliqui putant, ad inferiores et feudatarios dominos non patitur restringi, sed ad Inperatores et Reges sese quoque porrigit, ut vel sola ejus inspectio evincit. 3. Auricularis confessio sancita est canone 11., de qua postea. 4. Prohibet canon 43. Clericis juramentum fidelitatis praestare Laicis, a quibus nihil temporale tenent. 5. Canon 46. tributa, aliave onera, vetat inponere Ecclesiasticis, ne quidem dona gratuita permittit ab illis conferri, sine Papae consensu. 6. Privilegium concedit canon 58. Episcopis officia celebrandi divina, januis clausis et secreto, quum terra est interdicto subjecta, exclusis excommunicatis, et interdictis. 7. Jubentur canone 5. quatuor sedes Orientis, CPolitana, Alexandrina, Antiochena et Hierosolymitana, pallium a Romano Pontifice sumere, quod est plenitudinis Pontificalis insigne, sed ante praestito fidelitatis et obedientiae juramento, salvis adpellationibus ad sedem Apostolicam, ad ipsos adpellari posse. 8. Multi denique sunt conditi canones contra vitia Simoniae, avaritiae, libidinis etc., Clericorum.

§. CCXI. Secundum concilium, universale *decimum tertium* inter Latinos, Lugdunense I. a. 1245. ab Innocentio IV. habitum est, praecipue in causa Frederici II., qui in eo est exauctoratus: ut supra narravi. Interfuerunt, praeter Papam et Cardinales, tres Patriarchae, CPolitanus, Antiochenus, qui tunc Latini erant, et Aquilejensis, Archiepiscopi 140.; ex Principibus vero Balduinus, Inperator

CPolitanus

CPolitanus titulo tenus, Tolosanus Comes, et Ludovici IX., aliorumque, oratores; sed nulli Praelati e Palaestina, praeter Berytensem Episcopum, nulli ex Hungaria, paucissimi e Germania. Longe minore jure itaque ei titulus Oecumenici convenit. Rationes convocati concilii, quas Pontifex in oratione praevia exposuit, fuerunt quinque. 1. Tatarorum in terras Christianorum irruptio. 2. Schisma Ecclesiae Graecae. 3. Haereses pullulantes Waldensium, Albigensium, et Gibellinorum. 4. Clades Hierosolymitanis illata a Saracenis Chorasminis, quos Sultanus AEgyptius excitaverat. 5. Causa Frederici II. Historia Synodi petenda est ex Sterone in annalibus apud Canisium in Antiq. Lection., Alberto Stadense, et Matthaeo Parisiense. Decreta sunt sequentia. 1. Frederici exauctoratio. 2. Subsidium Balduino dandum, ut se contra Graecos schismaticos in regno CPolitano tueretur. 3. Tatarorum motus observandi ac reprimendi. 4. Expeditio Cruciata in terram Sanctam, cum indulgentiarum concessione. 5. Octava natalis Mariae restituta est. Constitutiones sunt editae ad judiciorum Ecclesiasticorum reformationem. Denique 7. observandum est, legatos Henrici III., regis Angliae, ad Synodum fuisse missos, qui concessioni regis Johannis de censu annuo pro Anglia, Hiberniaque, Ecclesiae Romanae solvendo, contradicerent, de Martino, nuncio Papae in Anglia, quoque conquererentur, tanquam qui potestate sua abutebatur, in collatione beneficiorum extraneis, patronorum jure violato, in pecunia extorquenda, excommunicationis, et interdicti sententia etiam in eos lata, qui solvendo non erant. Nihil non tantum hac in re actum est, sed Papae auctoritate factum, ut Episcopi Anglicani subscripserint *chartae* Johannis Regis.

§. CCXII. Tertium concilium, Oecumenicum *decimum quartum*, est *Lugdunense* II., a Gregorio X. indictum, et a 1274., celebratum. Praefuit Papa quidem, sed ad ejus nutum illud direxit Bonaventura, ab eo specialiter evoca-

tus, cum Toma Aquinate, in itinere mortuo. Adfuerunt, praeter Latinos Orientis Patriarchas, Epiſcopi 500, Abbates 70, Praelati inferiores 1000, denique, praeter oratores Regum, ipſe Jacobus, Rex Aragoniae, ſed qui, poſt ſecundam ſeſſionem, mox diſceſſit, indignatus, quod regnum ſuum vectigale, et annuum tributum ſedi Romanae ſolvendum, vellet Papa, nec, niſi ſub hac conditione, coronam inponere, ut refert Mariana. *Cauſae* coacti concilii fuerunt. 1. Eccleſiarum Graecarum cum Latinis redunitio. 2. Subſidia nova petita ab Orientalibus. 3. Diſciplinae Clericalis et morum correctio. Decreta et acta ſummatim huc redeunt. 1. Eccleſia Graeca fuit Latinae ſubjecta ab Oratoribus Graecis; ut poſtea narrabo. 2. Triginta conſtitutiones, ad diſciplinam ſpectantes, ſunt conditae, ſed partim in Synodo, partim extra eam a Pontifice, teſte praefatione Gregorii. Inter quas nobis memorandae ſunt ſequentes. α. Electio Pontificis a Cardinalibus incluſis facienda confirmata eſt. β. Jus regaliae eſt Regibus et Principibus ereptum, vel inminutum. γ. Reliquae de Clericorum electione et inmunitatibus agunt, quae nihil ſingulare habent.

## DISCIPLINA.

§. CCXIII. Characterem ſeculi, et periodi Antichriſtianae, conſtituit, quod in Synodo Lateranenſe IV*ta* decreta fuerit poena capitalis in haereticos, et tribunal Inquiſitionis fuerit erectum. Decretum Synodi, ab Innocentio III. cuſum, habet, haereticos damnatos, excommunicatos, etiam, ſi Clerici fuerint, degradatos, ſecularibus poteſtatibus eſſe tradendos, ut poenis temporalibus adficiantur. Sancitum praeterea eodem canone 3*tio* eſt, ut ſeculares poteſtates omni ope, etiam per cenſuras, eo compellerentur, ut haereticos in terris ſuis exſtirpent; quod ſi facere neglexerint, excommunicarentur Reges et Principes, et a Papa exauctorarentur, denique Catholicis, qui, cruce ſumta, ad haereti-

corum

corum ſe adcinxerint exterminium, *illa promittitur indulgentia, illudque privilegium, quod accedentibus ad terrae ſanctae ſubſidium conceditur.* Poſtremo, fautores, receptores, defenſores, haereticorum, vel, qui iis exſcindendis non invigilant, ſeverae ſubjiciuntur cenſurae. Tyrannica itaque diſciplina haereticidii publice eſt in Latina Eccleſia hoc ſeculo ſtabilita, ſed non in Graeca, quae ſeſe, quod notandum, a poenis, diſſentientibus infligendis, declaravit alienam, apud Cotelerium in monumentis Graec. tom. III. p. 515. Nec hoc decreto contenta fuit Eccleſia Pontificia, verum, ad illud exactius exſequendum, erexit quoque *tribunal* aliquod *inquiſitionis*, quo nihil injuſtius et terribilius ſol vidit; cujus adcuratior omnino danda eſt notitia, petenda ex hiſtoria inquiſitionis, qualis in Goa exercetur a Luſitanis, quam autor ex propria deſcripſit experientia, nec non ex Limburgii hiſtoria Inquiſitionis, et Pauli Servitae hiſtoria Inquiſitionis Venetae, quae aliquid habet particulare. Ex antiquioribus in primis conſulendus eſt Nicolaus Eymericus, Inquiſitor generalis in Aragonia ſec. XIV., qui *directorium Inquiſitorum haereticae pravitatis* ſcripſit a. 1376., varie editum, et illuſtratum a Franciſco Pegna, publicato quoque libro de *forma procedendi contra inquiſitos de haereſi*, Venetiis inpreſſo a. 1587. Alios autores mitto. Vid. Fabricius in *luce ſalutari per orbem* cap. 33., qui eos magno numero citat. Dabo inquiſitionis intellectum, antequam ejus originem et progreſſum enarrem. Ad intellectum pertinent ejus miniſtri, perſonae circa quas verſatur, forma et proceſſus, denique effecta. De quibus ordine exponam.

§. CCXIV. Cum Epiſcopi, quorum erat in haereticos inquirere, et cenſuras exercere, hoc munere ſegnius fungerentur, alii ſunt hoc ſeculo inſtituti, quibus haec demandata eſt provincia. Primus fuit Inquiſitor Rainerius, Waldenſium ante Epiſcopus, dein apoſtata, et Praedicatorum ordini adſcriptus, de quo ſupra, ſuo loco, egi. In ipſum eſt ab Innocentio III. plenae legationis officium

 collatum,

collatum, per provincias Aquensem, Arelatensem, et Narbonensem, cogendi haereticos redire ad Ecclesiam, et *percellendi poena canonica contumaces*; ut Innocentii epist. 122. lib. II. haber. Vid. etiam ep. 123., et aliae plures similes, ut l. I. ep. 94. et l. II. ep. 123. Haud diu post ab eodem Papa Inquisitoris officium est Dominico, ordinis Dominicanorum fundatori, datum, qui in haereticos inquirendi, nec non in Episcoporum studium eos exstirpandi, denique Principes ad bellum contra eos excitandi, potestatem accepit. Quo munere functus est post concilium Lateranense IV. a. 1215., tamque fideliter et severe, ut ipsius Ordini fuerit adligatum, ita tamen, ut ex Franciscanis, seu Minoritis, passim aliqui fuerint adjuncti. Nec tamen separatum tribunal nactus est Dominicus; quale quid per Innocentium IV. demum est erectum, quod negotium fidei unice tractaret, in quo judicium pronunciarent Inquisitores solius Papae nomine. Qualia tribunalia primum introducta sunt in Italia, inter Praedicatores et Minoritas divisa; cui utrique Ordini officium fuit adsignatum. Praeterea, cum Papam saepe necesse haberent consulere Inquisitores, et ita Romam adire, quando officii exercitium interrumpebatur, Urbanus IV., ut huic malo mederetur, instituit a. 1263. Inquisitorum omnium *Generalem*, Romae residentem, quem per litteras consulerent, quique cum Papa ageret: quorum primus fuit Johannes Cajetanus Ursinus, Cardinalis, postea Papa Nicolaus III. Deinde, progressu temporis, cum unus Generalis Romae non sufficeret, Paulus III. a. 1342. deputavit sex Cardinales Inquisitores Generales, in omnibus orbis Christiani locis, cum summa potestate, quam sequentes Papae adhuc auxerunt: a quo tempore concilium inquisitionis supremum est formatum, cui omnes reliqui Inquisitores essent subjecti.

§. CCXV. Quibus praemissis, ad Inquisitores, aliosque, qui iis inserviunt, adcuratius describendos accedo. Inquisitores sunt *judices extraordinarii*, ex Praedicatorum, vel Minorum,

norum, Ordine (ab Episcopis, qui ordinarii sunt, diversi) *a Papa Romano*, supremo fidei Judice, *delegati cum plena jurisdictione in haereticos et apostatas*. Eligi solebant a Magistro et Prioribus Provincialibus Ordinis Praedicatorum, vel a Generali et Provincialibus Ordinis Minorum, sed postea vel a Papa, vel a Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus, ut nunc fit, licet in Hispania a Praeside Inquisitionis generali, ex quo suprema ejusmodi concilia quoque in Hispania et Lusitania sunt instituta. Ab iis porro solis, a quibus electi sunt, deponi possunt, alias durant ad vitam, solique Papae subjecti, et omni alia jurisdictione exemti, sunt; tantum cessat munus, si Episcopalem, aut aliam dignitatem, consequantur. Eorum autem *Vicarii* sunt vel *generales*, qui ipsorum, cum absunt, locum supplent, vel *foranei*, in singulis civitatibus constituti; qui utrique ab Inquisitore instituuntur. Habet praeterea Inquisitor *adsessores*, Theologos, Canonistas, et Jurisconsultos laicos, quos consulere debet, absque ut eorum sententiam necesse habeat sequi. Theologorum est respondere de qualitatibus caussae, sitne haeretica, an erronea, aut schismatica, aut seditiosa, aut injuriosa, aut temeraria etc., quare adpellantur *qualificatores*, Canonistae rogantur, num concilia, aut Papae, aliquam propositionem condemnarint, Jurisconsulti vero de processu juris observando, inde dicti *consultores*. Eliguntur vero adsessores vel ab Inquisitore, vel a Cardinalibus Inquisitoribus generalibus; debent juramentum secreti praestare consultores, et, quod singulare est, nomina testium ipsis occultari solent, quare non nisi vaga dare possunt consilia. Ejusmodi autem adsessoribus opus est, quia inquisitores, ut plurimum, sunt ignorantes; de quo multa prostant exempla.

§. CCXVI. Alios ministros recensuisse suffecerit. Sunt autem 1. *promotor fiscalis*, qui accusatoris gerit personam, et ex alia, quam ubi officium administrat, esse debet provincia. 2. *notarii* et *secretarii*, qui denunciationes, accusatio-

ones, testium depositiones, reorum responsa, eadem lingua et verbis, quibus data sunt, scribunt, praeterea habitus, seu accidentia, respondentium, ex. gr. si facies colorem mutaverit, si trepidaverint, etc. 3. *Judex*, et *receptor* bonorum publicatorum, quorum ille litem inter fiscum et privatos, respectu bonorum, dirimit, hic recipit bona, vendit, et pecunias distribuit, etiam thesaurarius dictus. 4. *Executores*, et *officiales*, qui mandata inquisitorum exsequuntur, reos comprehendunt, custodiunt. etc. 5. *Stipatores*, qui Inquisitorem in officio exsequendo adjuvant, defendunt, et comitantur, etiam *familiares* adpellati, quasi ex Inquisitoris familia, ut et alibi *crucesignati*, alibi S. Petri martyris *scholares*, qui crucem in extima veste praeferunt, et armati incedunt. 6. Sed a quibus sunt distincti crucesignati, a Dominico instituti, qui, voto in manibus Inquisitorum emisso, se ad fidei catholicae defensionem, cum rerum et vitae discrimine, obstrinxerunt. Quibus plenae indulgentiae, cum multis aliis privilegiis, sunt concessae. Postea vero, cum armis ad haereticos subigendos opus amplius non esset, militiae nomine cum armis deposito, nonnullisque mutatis constitutionibus, nuncupati sunt de *S. Dominici poenitentia*, et novam constituerunt religionem.

§. CCXVII. Ceterum, inmensa est Inquisitorum potestas, summa sunt eorum privilegia, nullaque relicta est Regum, Principum, aut Magistratuum, in haec tribunalia potestas, e contra obligatae sunt potestates seculares iis manus in omnibus praebere, eorumque decreta exsequi, ut multae Paparum constitutiones docent. Episcopi tantum aliqua adhuc gaudent hac parte potestate, cum aliquid seorsim possint, nec omnia sine iis Inquisitores: licet horum sit superior et praecipua. Quibus nihil adtinet inmorari. Possunt vero, ut nonnulla eorum privilegia memorem, edicta contra haereticos publicare, sententiam excommunicationis, quae etiam cum bonorum confiscatione conjuncta est, suspensionis, et interdicti sacri, ferre, eos, ad Ecclesiam licet confugientes,

gientes, capere, ſe invicem vero ab excommunicatione, paucis exceptis caſibus, abſolvere poſſunt, et indulgentiam dare, quae ipſis pleniſſima in vita et morte conceſſa eſt. Praeterea poteſtate gaudent, civitatis Rectores, et terrarum Dominos, cogendi ad juramentum, de Eccleſia contra haereticos tuenda, haereticiſque expellendis, et exſtirpandis. Obligati etiam ſunt ſeculares capere haereticos, et quo velint Inquiſitores, ducere, ſi juſſerint. Poſſunt quoque ſtatuta contra eos, ſi quid dubii habeant, interpretari pro beneplacito, denique qualeſcunque ad teſtimonium coram ſe dicendum cogere: excommunicare etiam eos, qui diſputant de fide, quique haereticos non revelant. Addatur, Inquiſitores, praecipue in Hiſpania, poteſtate gaudere libros prohibendi et purgandi, quorum etiam juſſu *indices expurgatorii*, ut vocantur, prodierunt in Hiſpania, Rex nihilominus ſibi reſervavit poteſtatem eam de libris Regiae dignitati noxiis, quam etiam in Baronii tom. XI. Annal. exercuit, fruſtra contra nitentibus Romanis. Senatus etiam Venetus illud jus ſibi adſignavit, excluſis Inquiſitoribus. Vid. Paulus Servita de Inquiſitione Veneta. Summa vero poteſtas libros prohibendi, et indicem expurgatorium conficiendi, eſt penes Papam, a quo etiam varii ſunt profecti. Quouſque temeritas jam hoc ſeculo ſeſe exſeruerit, vel illud docet, quod Jacobus I., Aragoniae Rex, qui a. 1260. obiit, edicto ſtatuerit, ne quis libros Vet., aut Nov., Teſtamenti habeat in Romancio, et, ſi habeat, eos Epiſcopo loci tradat comburendos. Vid. Cangius in *Romancio.* Ceterum de librorum prohibitione, expurgatione, et cenſura, egregie diſſeruit ex jure canonico, ratione, et Script. S. Boehmer. Jur. Eccleſ. l. V. tit. VII.

§. CCXVIII. Succedant nunc *Perſonae*, et *crimina*, tribunalis objecta. Nemo, cujuſcunque ſit dignitatis, aut poteſtatis, exemtus, eſt niſi Epiſcopi officiales, ac nuncii Papae, quorum tamen delicta denunciare poteſt ſedi Apoſtolicae. Inquiſitorum vero Generalium Cardinalium pet ſtati

nemo est exemtus, praeter Papam. Tantum contra nonnullos *Religiosos*, ob praerogativam ordinis, caute admodum procedere debent, quales sunt Magistri ordinum Praedicatorum, et Minorum Generales, nec non Magistri Generales ordinum militarium. Laicorum et secularium nemo est exceptus, ne Reges quidem et Principes, nisi quod eo casu tutius habeatur, Papam de modo processus contra eos consulere. *Crimen*, quod aliquem coram hoc tribunali sistit reum, in genere quidem est *haeresis*, unde Inquisitio haereticae pravitatis adpellatur, sed in hunc sensum non tantum refertur directus circa fidem error, sed crimen qualecunque, sive, per quod haeresios suspicio oritur, sive, quod cum aliquo dicto aut facto haereticali est conjunctum. Pro reis itaque, ut distinctius agam, habentur 1. *haeretici*, proprie et vere sic dicti, quorum tres sunt characteres α. *baptismus* praegressus, seu Catholicae fidei per baptismum professio. β. *error* circa aliquod fidei caput, scilicet quod a Papa necessario credendis est adscriptum, aut inter traditiones Apostolicas est relatum γ. *pertinacia* in errore, quae alicui inputatur, si, a judice fidei de tali errore admonitus, ei ad mandatum ejus renunciare recuset, aut poenitentiam injunctam et abjurationem renuat.

§. CCXIX. 2. Haereticorum sunt variae classes, varii gradus, digni qui innotescant, et recenseantur. *a.* Alii sunt manifesti, alii occulti haeretici. *Manifesti*, qui aut professi sunt, et praedicaverunt publice, aut coram Inquisitoribus convicti, sive professi sunt, aut per eorum sententiam condemnati de haeretica pravitate, *Occulti* censentur, qui in mente tantum habent, sive convinci nequeunt: qui secundum nonnullos non sunt subjecti tribunali, secundum alios excommunicationem incurrunt. *b.* Alii sunt *adfirmativi*, alii *negativi*, illi, qui errorem coram judice confitentur, et pertinaciam dicto aut facto manifestant, hi vero, qui vel negant, licet per testes convicti, et catholicam fidem profiteantur, vel omnes errores, aut omnes socios, re-

velare

velare recusant, vel dicta facta haereticalia confessi, intentionem haereticalem negant; qui postremi, secundum doctores Hispanicos, torquendi sunt pro confitenda intentione. Est autem eorum regula, praesumendum esse in re dubia pro haeresi. *c.* Alii sunt *inpoenitentes*, vel pertinaces, alii *poenitentes*. Ad priores pertinent, qui vel legitime convicti, vel confessi, abjurare nolunt errorem, et satisfactionem praestare, aut poenitentiam inpositam negligunt. Quod si aliquis metu supplicii fuerit confessus, ei innocentiam non licet adserere, nisi denuo velit Inquisitioni tradi, et tanquam inpoenitens puniri. Posterioris classis sunt, qui errorem abjurant, et congruam exhibent satisfactionem; si vero sponte ante citationem et requisitionem veniant, mitius quidem tractantur, sed bona sua ad inplendam poenitentiam obligare debent Inquisitori, si non nisi post requisitiones et monitiones varias redeant, severiori subjiciuntur poenitentiae, si eo demum, quum judicio seculari sunt tradendi, veniant, non recipiuntur, in primis, si Regibus et Principibus conati fuerint haeresin instillare. *d.* Alii sunt *haeresiarchae*, alii *credentes*. Priores, etiam dogmatistae, dogmatizatores, ac perfecti adpellati, conversi, mitius sunt initio tractati, et admissi, sed postea seculari brachio coeperunt tradi. Posteriores sunt, qui, vel priorum haeresi fidem adhibent, vel credere judicantur ex verbis factisve suis, aut testibus legitimis. Ad quorum classem etiam referuntur schismatici, qui ab unitate Ecclesiae, aut Pontificis obedientia, recedunt.

§. CCXX. *e.* Alii sunt vel *receptatores* haereticorum, qui eos in domum recipiunt, sive ad hospitandum, sive ad praedicandum; vel *defensores*, qui eos, vel verbo vel facto, vel quocunque alio modo, defendunt, et Ecclesiam inpediunt officium facere, vel *fautores*, qui eos non deferunt, aut iis non incumbunt exstirpandis, aut quovis modo alio favorem aliqualem praestant, qui, sive sint Magistratus, sive privati, ipso jure excommunicati sunt, sique intra annum non resi-

 piscant

piscant haeretici, vel *inpeditores* officii inquisitionis, sive directe, captos liberando, processus inquisitionis carpendo, testes absterrendo, sive indirecte, unde per consequentiam inpeditur officium, ex. gr. si dominus temporalis vetat, aliquem sine suo jussu capere. *f.* Alii sunt *suspecti* de haeresi, alii *diffamati.* Suspecti haeresios variis de causis fiunt, ex patria, parentibus, educatione, sociis, nec non, si vel adlocuti fuerint haereticos, si defensores, vel fautores, fuerint eorum, vel inpeditores officii inquisitionis, vel tales Ecclesiasticae sepulturae scienter tradunt, qui a moribus Ecclesiae discedunt, qui scandalosum, aut suspectum, quid dixerunt, qui haereticorum conventiculis iterata interfuerunt vice, qui in excommunicatione per annum, aut biennium, persistunt etc. Est denique suspicio vel *levis*, quae requirit canonicam purgationem, abjurationemve, vel *vehemens*, quae generalem omnis haeresios abjurationem inponit, vel violenta, quae aliquem declarat haereticum. *Diffamati* vero de haeresi audiunt, contra quos publica clamat fama, cui duo testes boni sufficiunt, licet in loco, tempore, aut causis scientiae, non concordent: infligitur ipsis canonica purgatio, aliaque poena ordinaria. *g.* Alii sunt *relapsi*, vel in haeresin, vel fautoriam haeresios, sive post abjurationem in eandem, aut aliam, haeresin deprehendantur incidisse, sive *perjuri* inveniantur, aut poenitentiam non egerint inpositam post abjurationem, vel purgationem. Quales vel severae subjiciuntur poenitentiae, vel brachio seculari traduntur.

§. CCXXI. 3. Praeter haereticos, proprie dictos, alii, quorum facinora aliquid de haeretica pravitate trahere videntur, ad hoc tribunal rapiuntur. Quales sunt *a.* qui libros prohibitos et haereticos habent, legunt, vendunt etc., sine ulla exceptione, *b. polygami*, utpote haeresios circa sacramentum matrimonii suspecti. Quod si teneant, plures licere ducere uxores, haeresios rei aguntur, si libidinem tantum fateantur, torturae pro intentione subjiciuntur. Post

abju-

abjurationem inponuntur ipſis variae poenitentiae, etiam ad certum tempus ad triremes damnantur. *c.* Qui ſacramenta adminiſtrant, abſque ut legitimi ſint ſacerdotes. *d. Confeſſarii ſollicitantes*, mulieres ſcilicet et pueros ad concubitum, dum confitentur, qui tamen morte non puniuntur, etiam paſſim tractantur mitius. *e. Inſordeſcentes* in excommunicatione, qui per annum in ea ſteterunt, et ſe pertinaciae ſuſpectos fecerunt. *f. Blaſphemi*, qui haereticales evomunt blaſphemias contra Deum, ſanctos, in ſpecie Mariam etc., qui morte quoque non plectuntur. *g. Divinatores*, ſortilegi, aſtrologi judiciarii, in ſpecie *lamiae*, alias ſtrigiae et maleficae dictae, quae pactum cum Diabolo cenſebantur feciſſe. Quae ſic dicta ſecta fuit circa a. 1400. nata in Italia, de qua mirabilia et abſurda, prorſus incredibilia, referri ſolent. Narrantur vero, quod quis horreat, ſpatio 150 annorum triginta millia lamiarum concremata ab Inquiſitoribus. Denique *h.* Judaei, et ad Judaiſmum reverſi. Judaei quidem non ſunt, ſecundum Pontificios, ad fidem cogendi, licet ſaepe contrarium faciant, ſed judicio ſunt obnoxii, ſi, vel ſuſcepto baptiſmo redeant ad Judaiſmum, vel reditus ſe ſuſpectos faciant, vel quid agant contra religionem Chriſtianam, aut Pontificiam, tribunal quoque Inquiſitionis aliquo modo inpediant etc.

§. CCXXII. Difficilior eſt *proceſſus* judicialis deſcriptio, cum multa pro re nata, et arbitrio, agant Inquiſitores, et qui e carcere dimittuntur ad ſeveram ſilentii legem jurati obſtricti ſint. Generales tantum proferam regulas, ab illis obſervandas. 1. Statim ac Inquiſitor in ditionem aliquam, ubi munere ſuo fungi debet, venit, *commiſſionem* ſuam Apoſtolicam offert poteſtatibus ſecularibus, et Eccleſiaſticis, ejus territorii, et ab iis juramentum exigit fidelitatis, ac obedientiae, quod gravi ſub cenſura tenentur praeſtare. Die ſolenni dein indicto, poſt ſermonem de fide catholica habitum, litterae monitoriae, *edictum generale* inquiſitionis dictae, populo publice praeleguntur, quibus omnes, nulla

dignitatis, sexus, adfinitatis, aut consanguinitatis, habita ratione, jubentur sub gravi poena haereticos, vel haereseos suspectos, ad sacrum deferre tribunal, intra sex, aut duodecim, dies. Quando nec conjuges, nec parentes, liberi, aliquoque alio vinculo conjuncti, sibi invicem parcere queunt. Quod edictum dein jubetur per totam ditionem praelegi, et dein bis in anno, ac ubique, adfigi. Quibus praelectis litteris, juramentum praestant Inquisitoribus, qui indulgentias iis promulgant, qui sermonem audierint, et officio suo fungantur. Promittit quoque Inquisitor tempus gratiae, si haereticus intra mensem sponte confiteatur coram tribunali, inmunitatem nimirum a morte, inmuratione, culeo, et confiscatione bonorum. Sunt itaque ab hoc tempore omnes, sub poena excommunicationis, et per juramentum, obligati alios revelare, et accusare, nemine excepto, ne parentibus quidem, liberis, conjugibus, amicisve. 2. Qui vero sponte intra tempus gratiae venerint, et errorem vel crimen confiteantur, adcuratissime interrogantur, ex. gr. quando in reatum inciderint? qua occasione? quales legerint libros? quinam sint complices? Cum satisfaciant, a graviore poena liberantur quidem, sed censurae canonicae, pro arbitrio Inquisitoris, saepe subjiciuntur, ut mulctam solvant, eleemosynas faciant, et similia poenitentiae opera alia, aliquando etiam carceri ad tempus mancipantur, et bona confiscantur.

§. CCXXIII. 3. Processus ipse Inquisitionis triplici incipit modo, vel per *inquisitionem*, cum quis inquisitorem adit, publicam tantum ei famam de haeretica alicujus pravitate denunciat, quando inquisitio debet ab ipso Inquisitore institui, vel per *accusationem*, ubi quis alium directe accusat, sed is se ad legem talionis inscribere debet, si non probaverit, quare iste modus est rarior, maxime post Fiscalem introductum, qui ab illa obligatione inmunis est: vel denique per *denunciationem*, qua delator declarat, se per mandatum Inquisitoris obligatum ad revelanda, quae ad

ad fidem pertinent, accedere, non ut accusatorem, sed denunciatorem. Qui usitatior est modus. Facta vero denunciatione, et praestito, tactis euangeliis, juramento, Inquisitor per varias quaestiones in causam scientiae, circumstantias facti, et principia, quae denunciatorem moverunt, inquirit. Quae omnia per Notarium extensive scripta confirmantur a delatore per subscriptionem nominis; quo facto, et secreti juramento praestito, discedit delator.

§. CCXXIV. 4. Quibus peractis, Inquisitor sese ad veritatem per testes indagandam adcingit Possunt autem testes esse qualescunque, modo non sint capitales inimici, adeoque et tales admittuntur, qui in causis civilibus, et criminalibus, aliis in tribunalibus repudiantur, quales ex. gr. sunt excommunicati, criminis socii, haeretici contra haereticum, perjuri, infames; licet semiplena ipsis tribuatur probatio, quae tamen fit plena ex verisimilibus conjecturis ex personarum qualitate, ex numero, et similibus rebus. Testes ceteroquin *duo*, si fide digni sunt, ad plenam sufficiunt probationem, modo de eadem re, eodem loco et tempore, facta testentur: plures vero testes singulares, et diversi, pro uno tantum habentur, paucis exceptis casibus, ex. gr. cum in speciem haeresios conveniant, in loco vero et tempore singulares tantum sint. Sed delator, licet inimicus capitalis, admittitur, saepe etiam adnumeratur testibus. Denique testes singuli seorsim ab Inquisitore, cum Notario, et duobus aliis, qui adsistunt, et totius negotii testes sunt, examinantur, licet id semper non observetur. Testis porro, praestito per Deum, crucem, et sancta euangelia manu tacta, juramento, examinatur per varias quaestiones, ut principium, ex quo agit, scientia causae, aliaque veritatis indicia, in lucem prodeant. Quando post secreti juramentum dimittitur. Quod si ex testibus pateat, ipsum delatorem esse criminis socium, contra ipsum quoque instituitur actio, sed mitius cum eo agitur.

§. CCXXV. Testium examine peracto, convocantur 5. con-

 sultores,

sultores, et, post solennes ad Spiritum S. preces, proceditur ad *deliberationem* citationis. Si vero dubium sit, num crimen ad hoc officium sacrum pertineat, Theologi qualificatores consuluntur. Ipsa citatio est *verbalis*, vel *realis*: prior, ubi de levi agitur crimine, vel leviter suspectus est reus, posterior fit per incarcerationem, ab executore, ad Inquisitoris mandatum, qua, non sine vinculis, saepe arctissima includitur custodia. Sequitur 6. *examen* rei, ab Inquisitore cum Notario institui solitum in camera, alias mensa sacri officii dicta; ubi reus, capite, brachiis, et pedibus, nudis, comparet, et, interposito juramento de veritate dicenda, infinitis obruitur quaestionibus ab Inquisitore, ex. gr. num sciat, ubi sit? quare in eum locum ductus? quid cogitaverit, aut fecerit, religioni catholicae contrarium? dein de patria, familia, educatione, conversatione, amicis, inimicis, et similibus rebus aliis, interrogatur; imo, num non dubitaverit aliquando de aliquo fidei capite? cum haereticis habuerit aliquod commercium? legerit librum prohibitum, audiverit quid contra fidem? Quae generalia interrogata si nullam elicuerint confessionem, ad peculiaria transitur, quae delictum, cujus accusatus est, directe tangunt; quod tamen examen uno alterove die post instituitur, quando rogatur, num se non recollegerit, et ad superiora interrogata aliquid confiteri queat, dein, num non ex. gr. de missa locutus fuerit, aut loqui audiverit, et quid? denique quid ipse de ea credat, etc., si hoc scilicet fuerit accusationis caput. Tandem accusationis capita ipsi exhibentur, et ad ea interrogatur. Interea usu receptum est, ut de vero accusationis capite diu admodum incerti relinquantur rei, eo scopo, ut aliud quid ex ipsis eliciatur, utque, carceris taedio fracti, aliquid confiteantur. Utuntur autem multiplicibus artibus ad eruendam confessionem; saepe jurare debet reus, saepe de veritate dicenda admonetur, adcurate etiam cavetur, ne ex interrogatis cognoscat reus aut delatorem, aut testes. Fingit interrogator, se omnia

nia probe ſcire, de circumſtantiis tantum rogat, ut eum irretiat, nec blanditias omittit aut minas, ob oculos ipſi ponit carceris diuturnitatem, taediumque, etiam torturam; teſtes jactat eſſe ſufficientes, quos tamen non nominat. Imo ſubornantur nonnulli aliquando, qui ſe reorum fingunt amicos, ſeque ipſis adjungunt comites, ſub praetextu ſalutaris dandi conſilii, ſed vere, ut aliquid per mutua colloquia eliciatur, quod Inquiſitori denuncient: ſubinde etiam tanquam reos ſe includi patiuntur, et tractari, ut aliorum verba facilius expiſcentur. Verbo, nullae non adhibentur artes, et fraudes, ad confeſſionem eruendam; inter quas etiam eſt liberationis promiſſum, ſi confiteantur, quod tamen vel vagum eſt, vel non obſervatur poſt confeſſionem.

§. CCXXVI. 7. Quibus omnibus non obſtantibus, ſi reus in negativa perſeverat, judicialis inſtituitur *proceſſus*, et reo datur advocatus, ſed ab Inquiſitore electus, eique obſtrictus juramento, fidei quoque Zelota; ſecreti porro juramento ligatus, et ad cauſam, ſi eam cognoverit falſam, dimittendam obligatus, ſimul ad complices, ſi a reo audiverit, revelandos. In ipſo proceſſu judiciali *a.* licet quidem reo exigere, ut teſtium repetatur examen, et interrogatoria, teſtibus proponenda, addere, ſed teſtes ſuos nequit cognoſcere, nec cum iis confrontatur, adeoque praecipua defenſionis via ipſi clauſa eſt. *b.* in libello accuſatorio, a promotore fiſcali contra reum edito, non illa tantum, quorum accuſatus eſt, ſed plura alia, continentur, ut tanto criminum numero obruatur, ſimul tentetur, num forte aliquid horum criminum commiſerit. *c.* Permittitur inſuper reo proferre articulos ad crimen refellendum, vel minuendum, ex. gr. ex bona intentione, aut ebrietate etc., hoc vel hoc dictum factumve eſſe, porro ad fidem ſuam catholicam probandam, vel ad nonnullos ſuos capitales inimicos detegendos, denique teſtes in favorem producere quidem licet, ſed qui

 paſſim

passim non veniunt, aut meticulose comparent, et testantur. *d.* si forte testes contra ipsum deprehendantur falsi, puniuntur quidem, sed mitius, quam merentur, ne absterreantur alii; quorum gravissima poena est exilium, fustigatio, vel triremes ad aliquod tempus etc. *e.* Conceditur etiam aliquando reo adpellatio ad Papam, sed ab interlocutoria, non definitiva, sententia, si nondum satis de haeresi aut crimine ejus constet, adeoque si ad torturam, vel purgationem, vel ictus fustium etc. damnatus sit.

§. CCXXVII. Effecta tribunalis, seu judicialis processus *terminationes*, de quibus dicendum superest, varios continent modos. 1. Primus est modus, quo terminatur per absolutionem, sive quod reus fuerit innocens deprehensus, denunciatoribus et testibus falsis, sive quod nec per sufficientes testes, nec facti evidentiam, nec confessionem, convictus. Innocens si judicatus sit, equo solet circumvehi, lauro ac palma coronatus. 2. Si probari nequiverit haeresis, reus tamen publice sit diffamatus, non simpliciter absolvitur, sed ab Inquisitore et Episcopo conjunctim ipsi injungitur *purgatio canonica*, qua, coram septem, sive quot requisiverit Inquisitor, testibus, vel compurgatoribus, se juramento purgat ab haeresios suspicione, et compurgatores ipsi quoque jurati adtestantur. 3. In semiplena probatione solet per sententiam interlocutoriam damnari ad *torturam*, ut si nihil fuerit confessus, pro innocente habeatur, si confiteatur, sese convertat et vivat. Quam sententiam Episcopus quoque et Inquisitor pronunciant. Locus torturae est in Hispania antrum subterraneum, carnifex et tortor est oblonga veste nigra linea coopertus, capite longo et nigro caperone obvelato; ipse torquendus omnibus spoliatur vestibus, totus est nudus, nulla pudoris habita ratione, nisi quod foeminae, prius nudatae, dein stricta femoralia linea induant. Ipsa tortura ibidem fit per elevationem in equuleo et squassationem, qua miser, ponderibus adligatis pedibus, in altum sublatus, aliquamdiu ibi retentus, praecipitatur,

tatur, ſed in medio lapſu ſubito retinetur; quo fit, ut omnes corporis juncturae ſummo cum dolore diſſolvantur, totumque corpus diſtendatur. Sunt adhuc alia tormentorum genera, quae barbara reperit ſaevitia. Eſt vero haec probationis tortura diſtincta ab illa, quae damnatis ad mortem infligitur. Si, in tortura confeſſus, revocet confeſſionem, iterum torquetur.

§. CCXXVIII. 4. Suſpecto de haereſi inponitur *abjuratio*, ſive publica in Templo, ſive privata in palatio Epiſcopi, vel camera Inquiſitionis, qua in fidem non tantum jurat Catholicam, ſed et omnes haereſes, in ſpecie eam, in cujus ſuſpicionem incurrerat, abjurat, ſeſeque poenis relapſorum ſubjicit, ſi recidat. Quando ipſi poenitentia injungitur levior gravior pro indole ſuſpicionis, ex. gr. ut ſtet in valvis Eccleſiarum cum ardente cereo in manibus, ut peregrinetur, aliquando etiam ad tempus carceri mancipetur. 5. Similem praeſtant abjurationem, juramento firmatam, haeretici *converſi* et poenitentes, ſed qui graviores poenas poenitentiales ſubire debent. Sunt autem ejuſmodi poenae, quae vel ſuſpectis, vel convictis, et haereticis converſis injunguntur, variae admodum, et graves. α. bonorum confiſcatio, ſaepe etiam eorum, quae, licet aliorum ſint, ipſi adminiſtrarunt. β. Poenitentiae, ſic dictae, *ſalutares*, ut jejunia, orationes, eleemoſynae, frequens poenitentiae et euchariſtiae uſus, peregrinationes ad loca quaedam ſancta, ſed cum nigro habitu, nonnunquam ad militiam contra infideles, γ. Poenitentiae *honorariae*, et cum infamia conjunctae, ut ſtare prae foribus Eccleſiae, cum accenſa candela in manu, diſcalceatum in braccis et camiſia eſſe in proceſſionibus. δ. Exilium, detruſio in monaſterium, fuſtigatio, ſeu verberatio, mulctae pecuniariae. ε. Infamia, qua ipſi, eorumque filii et nepotes, ad quaevis officia publica fiunt inhabiles. Uſitatiſſima denique poena eſt geſtatio crucium in veſtibus poenitentialibus, per quam omnium exponuntur ludibrio, et ab omnibus vitantur. Veſtis

 autem

autem ea est livida, ad modum scapularis Monachalis sine caputio facta, cui ante et retro cruces sunt inpositae. Quod palliamentum Itali adpellant *Abitallos*, Hispani *Santbenillo*, quasi *sacco benito*, seu saccum benedictum. Gravissima denique poena est *inmuratio*, qua ad perpetuam muri carcerem sunt damnati, ut ibi in pane doloris, et aqua tribulationis, perpetuam agant poenitentiam. Infligi solebat credentibus haereticorum, et aegre ad poenitentiam adductis, nec non graviorum criminum in re fidei reis: sed postea commutata est ea poena cum detrusione in monasterium. Accessit adhuc postea damnatio ad triremes passim loco inmurationis.

§. CCXXIX. 6. Relapsi, licet poenitentiam denuo promittant, non admittuntur, sed, si Clerici, solenniter degradati, traduntur brachio seculari, et igne comburuntur, ita tamen, ut ante strangulentur; quo ab inpoenitentibus distinguuntur. 7. Haeretici inpoenitentes postquam diu fuerint admoniti, ut resipiscant, etiam in obscuro carcere compedibus constricti diu retenti, ad pertinaciam frangendam, tandem brachio seculari ad poenam vivicomburii traduntur. Quam eandem sortem subeunt haeretici negativi, sed convicti, qui constanter aut haeresin, aut dictum factumve haereticale, negant. Qui pro inpoenitentibus habentur, si per testes, aut facti evidentiam, legitime sint convicti, sed prius strangulantur, si, se in fide catholica mori velle, profiteantur. Ceterum sententia definitiva, si, quod aliquando fit, non fuerit praesente judice seculari lata, ipsi insinuatur, cum jussu, ut haereticum damnatum recipiat, et secundum leges contra haereticos statutas judicet, addita tamen deprecatione mortis, plane dicis causa. Judex enim sub gravissima censura eum tenetur recipere, nec sententiam examinare ei licet, tantum executioni debet mandare per vivicomburium, sive mox, sive intra quatuor, aut quinque, aut summum sex, dies. Haec autem sententiae pronunciatio, et traditio curiae seculari, adpellari solet *actio fidei*, quae magna solennitate die dominico, vel festo, ab Inquisitore

constituto,

constituto, peragitur. Qui dies, ante publice promulgatus, ut omnes praesto esse queant, cum adluxerit, omnes captivi ornatu sibi congruo induuntur, omnes veste nigra, qua sola incedunt foeminae, sed viri poenitentes, aut de vehementi suspecti, insuper accipiunt saccum illum benedictum. Haereticis vero ad flammas damnatis, datur quidem ejusdem formae saccus, sed notis diversis, colore atro, flammis adpictis, aliquando etiam ipso haeretico in medio flammarum depicto, daemonibus subinde additis, qui haereticum ad inferos detrudunt. Quem saccum, vel vestem scapularem, nonnulli nuncupant *Samarram* vel *Samarettam*. Adjunguntur adhuc chartariae mitrae, in formam coni, cum daemonibus et flammis adpictis. Qui post latam sententiam sese, antequam e carcere exeant, convertunt, eodem quidem incedunt ornatu, sed ignis adpictus flammam deorsum mittit.

§. CCXXX. Quibus praeparatis, Inquisitor sese prope portam domus Inquisitionis sistit cum notario, qui reorum nomina ordine recitat, initio a minus delinquentibus facto; quando eo exeunt ordine, una cum comitibus suis, qui reorum fidejussores vocantur, processionem ducentibus Dominicanis monachis, qui cum S. Officii vexillo praeeunt, in quo imago Dominici comparet, una manu tenens gladium, altera ramum olivae, cum his verbis: *justitia et misericordia:* uti habet vexillum Inquisitionis Goanae, a quo Hispanicae paulo diversum est, quippe in quo est crux viridis in campo nigro, et ad sinistram districtus gladius, ad dextram olivae ramus, cum hac inscriptione, *exsurge Domine et judica causam tuam.* Inter eos porro, qui morte plectuntur, et alios, ab ea liberos, media incedit imago Christi crucifixi. Post damnatos ad mortem circumferuntur statuae in haeresi defunctorum, et ossa e sepulchris eruta, cistaeque nigrae, daemonibus et flammis pictae. Intrant hoc modo Templum, in quo sermo est de fide habendus, quo finito, sententiae singulorum praeleguntur. Absoluti a morte ad-

fumuntur folenniter ab Inquifitore, facerdotibus ftipato, et Ecclefiae reconciliantur; quos ritus praetereo. Sed ad mortem damnati mox a fecularis poteftatis miniftro vindicantur, poftquam mortis poenam deprecatus fuerit Inquifitor, et ad judicem fecularem deducuntur, qui praefens adeft, ut mortis fententiam audiat. Qua pronunciata, rogantur, in qua fide mori velint, ad quod cum refponderint, palo, ftrui lignorum inpofito, adligantur, qui Catholicos fe profitentur prius ftrangulantur, reliqui comburuntur vivi. Dum autem hi ad fupplicium ducuntur, reliqui cum fidejufforibus in carcerem reducuntur. Haec eft famofa illa actio fidei Lufitanica, qualem autor inquifitionis Goanae defcripfit: a qua paululum diverfa eft Hifpanica, cui non inmoror. Sed Romae, et in Italia, ejufmodi folennes proceffiones non obtinent, nec etiam hoc feculo alicubi ufitatae fuerunt, ut ex Inquifitione Tolofana patet. Attamen actio fidei, ut adpellatur, publice femper fuit inftituta, et fententia folenniter pronunciata: qua forma, et quibus ritibus, nihil adtinet enarraffe. Illud adhuc notandum, lintea, Ecclefiarum parietibus adfixa, in paroeciis, ubi vixerunt haeretici illi, folita fuiffe fufpendi, cum perfonae, criminis, et fententiae defcriptione, in perpetuam memoriam, majoris infamiae ergo.

§. CCXXXI. Quod vero ad fugitivos haereticos, et mortuos in haerefi, adtinet; priores, poft folennem damnationem in ftatua, traduntur brachio feculari, et in ea a judice feculari concremantur: quod tamen hoc tempore nondum fuit in ufu, nec, quando coeperit, conftat. *Mortuorum* vero, five in carcere Inquifitionis, poftquam de eorum haerefi conftiterit, five fibi manus intulerint, qui pro haereticis habentur, five in communione Ecclefiae defuncti, poftea tanquam haeretici innotuerint, mortuorum, inquam, eorum bona fifco addicuntur, fi intra quadraginta annos ab ipforum morte conftiterit de haerefi eorum, poftea haeredes a confifcatione liberat praefcriptio; praeterea memoria eorum

rum publice damnatur, absque ut praescriptioni temporis locus sit: denique ossa, si inveniri queant, exhumantur, et comburuntur. Exempla ubique prostant; illustria dederunt secula sequentia, ut Johannis Wiclefi, Buceri, Fagii, qui diu post mortem ita tractati sunt, Marci Antonii de Dominis, Archiepiscopi Spoletani, in ipso carcere Inquisitionis mortui. Denique porrigit sese Inquisitorum saevitia non tantum ad posteros haereticorum, qui bonis privantur, et inhabiles fiunt ad publica officia, nec ad libros solum, qui prohibentur, et flammis dantur, sed ad ipsas eorum domos, ubi haeresin docuerunt, quae solo aequantur, reaedificari sub gravi poena prohibentur, aliquando etiam area domus dirutae sale conspergitur, cum dira inprecatione, imo marmorea subinde columella, quatuor aut quinque pedes alta, ibi erigitur, cum inscriptione, quae nomen domini, et causam destructionis, praefert.

§. CCXXXII. Injustitiis, et tyrannicis oppressionibus, quas hic processus contra haereticos cum aliis persecutionibus, fidei causa qualibuscunque, habet communes, quaeque Antichristi et Satanae spiritum manifestant, missis, alias nonnullas exstantiores, ei proprias, verbo adtigisse, et superiori tractationi subjunxisse, non erit alienum. 1. Omnes, nulla vinculi aut necessitudinis habita ratione, obligantur detegere, et praesentissimo objicere periculo, etiam suspectos ac occultos. 2. Qualescunque admittuntur testes: excipiuntur quidem capitales inimici, sed de quibus vix certo potest judicari, et judicium est penes Inquisitores. 3. Unus testis, sola fama, duo testes diversi et singulares, pro uno habendi, semiplenam adferunt probationem, et ad torturam sufficiunt. 4. Duo testes, iique reo ignoti, nec in ejus praesentiam adducti, ad damnationem satis sunt. 5. Per testes convictus, si sit innocens, nec confiteri, nec negare, crimen sine periculo potest: si enim neget, tanquam contumax et inpoenitens damnatur, si fateatur, sicut contra conscientiam agit, ita ex opinione ipsorum canonistarum

crimen committit capitale. Si negare perseveret pro catholico et martyre est secundum ipsos habendus. Contingere itaque potest, ut quis per ipsam Ecclesiam Catholicam coronetur martyrio. 6. Delati se ipsi debent accusare, eoque saepe per carceris taedium, inmanemque torturam, quae hic omnium est crudelissima, adiguntur. 7. Qualescunque, etiam Satanicae, artes ad reum irretiendum adhibentur. 8. Advocati dantur secundum arbitrium Inquisitoris, juramento obstricti etiam ad omnia rei arcana, quae audiverint, revelanda. 9. Absoluti, quod insufficiens sit probatio, de novo postea conveniri possunt, si modo nova accesserit delatio, quae etiam cum priore conjuncta vim habet probandi, ita ut nemo securus post absolutionem esse queat. 10. Pro damnato intercedunt apud judicem secularem, ne morte adficiatur, quam tamen nisi infligat judex, in severissimam incurrit poenam. 11. Denique, ne de mortuis dicam, contra quos saevitur usque ad liberos et haeredes, quanta est in tormentis, et vivicomburio, crudelitas? nec non in actione illa fidei? quanta in illis, qui absolvuntur, exercetur? ut ex poenis Ecclesiasticis ac poenitentialibus elucescit. 12. Postremo, quam late extenditur haereseos crimen? quam facile quis suspectus fieri potest, et coram hoc tribunali sisti?

§. CCXXXIII. Mysterio iniquitatis in lucem protracto; *originis et progressus* ejus historia summatim restat tradenda. Postquam per Raynerium, et dein Dominicum, a Papis cum plena potestate ad haereticos exstirpandos emissos, ut supra retuli, fundamenta Inquisitionis essent jacta, deinde res non tantum per Albigenses bello subactos, variasque in conciliis contra haereticos constitutiones, de quibus supra etiam monui, editas, esset promota, sed et Frederici II. adcessisset edictum ortum tandem ex his principiis est separatum aliquod tribunal a. 1251. sub Innocentio IV. Viguit quidem ante illud tempus Inquisitio, uti in partibus Tolosanis, Gallia, et Italia, Ecclesiasticorum etiam et secularium decretis firmata,

mata, et sancita, verum in ejusmodi tribunali erigendo superari non potuerunt ante Innocentium omnia obstacula. Fredericus II. vero sese famosum, dignumque, qui hac parte primum inter *cornua bestiae Apocalypticae* locum teneat, praestitit, per quatuor constitutiones severissimas, et infames, contra haereticos, eorumque fautores, quibus praecipuas, in hoc tribunali usitatas, poenas sancivit, estque primus, qui vivicomburium, lege lata, constituit; in usu quidem antea fuerat, sed non per aliquam legem. Recepit praeterea Inquisitores, jussitque, ut Judices et Magistratus ubique locorum iis manus praeberent. Latae sunt hae leges a. 1225. et per bullas Paparum, quibus insertae sunt, postea confirmatae. Vid. etiam Petri de Vineis Epist. lib. I. cap. 25--27. Exstant etiam apud Bzovium ad a. 1225. Cum vero haeresis maxime vigeret per Insubriam, Fredericus, Inperatorio edicto, omnes criminis illius convictos, *flammis tradi, vel, si ad aliorum terrorem vitae reservandi viderentur, linguis, quibus blasphema evomuissent, amputari jussit.* Sunt etiam nonnulli Patarenorum Romae concremati a. 1231., et severae leges a Papa et Senatu Romano contra eos publicatae. Imo introducta est Inquisitio in Arragoniam a. 1232., Gregorio IX. urgente, qui Regi, ut ei opem ferret, injunxit. Potestatem quoque Archiepiscopo Tarraconensi, ejusque suffraganeis, dedit, Inquisitores ex ordine Praedicatorum constituendi: quod et factum est. Eminuit autem inter Inquisitores Raymundus de Pennaforti, Barcinonensis, celebris autor *formulae*, secundum quam contra haereticos procedendum sit, quam integram recensuit Bzovius a. 1235. Quo eodem tempore Tolosam, post longa conamina, nec sine tumultu populari, adeo ut mox expulsi, mox restituti, sint, introducti sunt Inquisitores. Placentini etiam a. 1234. expulerunt Rolandum Inquisitorem. Dein Viterbii constituit Papa Inquisitores a. 1235., concessa quoque Provinciali Lombardiae ordinis Praedicatorum Viterbii potestate eligendi eos, litteris ad eum missis, quibus officium Inquisito-

ris distinctius exponitur apud Bzovium. Denique Robertum ejusdem ordinis Praedicatorum, Inquisitorem constituit in universo Galliarum regno, et ubique hoc negotium ursit.

§. CCXXXIV. Nec tamen res eo adduci potuit, ut tribunalia ejusmodi fuerint erecta, quibus omne de personis judicium secularibus eripitur, ipsis tantum sententiae, ab Ecclesiasticis latae, executione relicta: imo Ludovicus, Galliae rex, lege emissa, vetuit quidem subditos suos ad Ecclesiasticum tribunal citatos comparere, sed, Papa intercedente, legem non ursit. Novitas vero non tantum, sed et inaudita Inquisitorum crudelitas, cujus plura fuerunt exempla, vid. Cangius in voce *Inquisitio*, odiosa fecit haec tribunalia; quam ipsam ob causam Praedicatoribus, nimium severis, adjuncti sunt ex ordine Minorum, quorum major erat lenitas. Accedit, Papas contra ipsos Reges et Principes uti coepisse hoc tribunali, ut exempla sunt in ipso Frederico, nec non Ezelino, Patavii Domino, qui a partibus Inperatoris stabat. Vid. Raynaldus in Annal. Durante autem bello intestino inter Inperatores et Papas, cum haeretici magis invalescerent, Papae iis debellandis minorem possent dare operam, mortuo tandem Frederico, Germania turbata, Italia Principe destituta, et Papae Innocentio IV. omnia essent subjecta, ipse primus separatum aliquod tribunal erexit in Italia, non unum, sed varia, in diversis Italiae partibus. Creavit primum in Insubria a. 1252. Inquisitores Vivianum Bergomensem, et Petrum Veronensem, ex ordine Praedicatorum, datis litteris, apud Raynaldum obviis. Sed Petrus, in itinere Como Mediolanum ab aliquo haeretico interfectus est, ab Alexandro IV. propterea sanctis adscriptus, indeque, post Dominicum, *patronus*, ac princeps, S. Officii adpellatus, et qui primus illud sanguine suo consecravit. Sed, ne aut Episcoporum, aut Principum, privilegia infringere videretur Papa, voluit, ut cum Inquisitore judex sederet Episcopus, et Magistratui

aliquae

aliquae in eo essent partes; licet dicis causa, cum omnis potestas esset penes Inquisitorem, et Magistratus tantum sententiae executor. Hunc in modum varia per Italiam sunt constituta tribunalia, ex. gr. in Lombardiam et Marchiam Januensem ab Alexandro IV., a. 1260. apud *Bzovium*, cum amplissima potestate, eaque inter Dominicanos et Franciscanos divisa, sed non sine variis motibus, a Magistratu vel populo suscitatis, quos tamen Papae superarunt. Translata dein sunt ad alia extra Italiam loca, uti ex gr. in agrum Tolosanum ab Innocentio IV. in Galliam ab Alexandro IV., ipsius Ludovici regis rogatu, a. 1255., qui propterea sanctis est adnumeratus; in Castellae quoque, et Legionis, regna, circa idem fere tempus; imo in totam fere Germaniam, ipsam Syriam et Palaestinamque, a. 1290., et Serviam a. 1291. Quae fusius enarrasse nihil adtinet. Ceterum, praeter haec tribunalia, pure Ecclesiastica, et nomine Papae tantum agentia, introductum est inter Venetos tribunal Ecclesiastico-Politicum, in quo judices seculares, a Republica constituti, inquirebant in haereticos, Ecclesiastici de eorum fide judicabant, essetne fidei Catholicae consentanea? dein Dux et Senatores pronunciabant sententiam. Cum vero Papa Nicolaus IV. non cessaret urgere, admissum quidem est hoc officium publico decreto a. 1289, sed manserunt quaedam partes penes seculares. Adsistunt enim tres inquisitores nomine Principis, nulla silentii lege constricti, nec a Papis dependentes, qui processui intersunt, et, si quae occurrant dubia, Principi renunciant. Cavit insuper Senatus, ne processus, aut captivi, extra suum Dominium, invito Principe, mittantur, ut et, ne libros prohibendi potestas sit penes Inquisitorem. Vid. Paulus Servita in historia *inquisitionis Venetae*. Neapolitani vero nunquam voluerunt admittere hoc tribunal; de quo legendus est Giannone hist. Neapol. l. XXXII, qui etiam consuli meretur de ejusmodi tribunalis erectione; lib. XV et XIX.

§. CCXXXV. Prolixa hac tractatione absoluta, reliqua ad

disciplinam pertinentia, leviter perstringam, initio a *confessione auriculari*, ab Innocentio III. in concilio Lateranensi IV. sancita, facto, postquam verbo memoravero, canone XIV. concilii Tolosani a. 1229. Laicis fuisse vetitum libros V. et N. Test. legere, eosque habere translatos in linguas vernaculas. Quod et ideo est notatu dignius, quia prima est hujus rei inhibitio; quantum mihi constat. Privata peccatorum confessio, ut rem paulo altius repetam, seculo IX. in usu quidem jam fuit, sed cujusque arbitrio relicta, non per legem necessaria facta, nec tam fuse, circa omnis generis et gradus peccata, nec etiam pro sacramento habita, quacum cohaereat absolutio, quippe cum confessione Deo conjuncta; fiebat autem privata confessio eo scopo, ut poenitens de modo poenitentiae agendae instrueretur a sacerdote, non ut solemni formula *ego absolvo te* ipsi adnunciaretur remissio; usitata erat formula precatoria tantum *absolutionem et remissionem tibi tribuat Deus*, quae Tomae tempore adhuc in usu fuit; ut ex opusculo XXII. Tomae patet. Invaluit vero post seculum IX. confessio auricularis non tantum, sed et opinio de ejus necessitate; absque tamen, ut haeresios nota fuerit contrariae opinioni inusta, aut confessionis neglectui; quod hoc demum seculo per Synodum Lateranensem factum est. Inter ipsos Catholicos non defuisse, qui ei adsensum negarunt, manifestum est 1. ex Petro Lombardo Sententiar. l. IV., ubi dicit, *quibusdam esse visum sufficere, si soli Deo fiat confessio, sine judicio sacerdotali et confessione Ecclesiae.* Dissensum licet profiteatur Lombardus, et opinionem eorum refutet, haereticis tamen eos non adscribit, aut Catholicos esse negat, qui eam fovent; 2. ex Gratiano in tractatu de *poenitentia*: ubi utriusque partis, et eorum, qui confessionem soli Deo sufficere censebant, et eorum qui negabant, proposita, concludit: *cui autem harum potius adhaerendum sit, lectoris judicio reservatur: utraque enim fautores habet sapientes* et *religiosos viros.* 3. Tomas Aquinas in Magistrum sententiarum l. IV. distinct. 17. et Bonaventura ad Tomam, de hac quaestione agentes, concludunt:

*Ma-*

*Magister et Gratianus hoc pro opinione ponunt, sed nunc, post determinationem Ecclesiae, sub Innocentio III. factam, haeresis reputanda est.* Nec tamen post Innocentianum hoc decretum defuerunt, qui palam dissenserunt, haeretici non tantum, sed et Catholici, uti ipse Gratiani glossator Johannes Semeca, qui ad Gratianum l. cit. propositionem, *adulto peccata non dimitti, sine oris confessione*, pronunciat falsam. Forma praeterea absolutoria, Catholico-Romanis in usu, hoc demum seculo nata est, ut ex Toma Aquin. l. cit. colligi potest. Vid., praeter alios, J. Morinus de *sacramento poenitentiae*, et Jac. Goar not. in Euchologium. Occurrit quidem in Ordine Romano, sed ei inserta est. Ceterum, canon Innocentianus 21*mus* praecipit, *ut omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti* etc. Per proprium sacerdotem intelligi parochum, vel presbyterum quemlibet, ab Episcopo ad sacramenta administranda institutum vel delegatum, probavit, post Launoium, Natalis Alex. diss. IV. ad hoc seculum.

§. CCXXXVI. Confessione auriculari introducta, invaluit magis *excommunicatio*, quae dicitur *minor*, qua quis, salva communione Ecclesiastica, arcebatur per sacerdotem a solo Eucharistiae usu, cum antea passim non nisi excommunicatus, et in statum poenitentium rejectus, Eucharistia privaretur. De quo vid. Boehmer Jur. Eccles. l. III. tit. 41. Occurrit quoque hoc seculo prima mentio in decretalibus Innocentii *characteris indelebilis*, cujus opinionis occasionem praebuit sententia Waldensium, de pravis Clericorum moribus, eos ad sacrum officium reddentibus ineptos. Vid. Beausobrius in Biblioth. German. tom. XV. Denique Bonifacius VIII., constitutione a 1300. edita, *indulgentias* non tantum eo anno concessit omnibus, qui basilicas Petri et Pauli Romae visitaverint, Romani scilicet triginta diebus continuis, vel interpolatis, et semel saltem quotidie, peregrini quindecim diebus; sed instituit insuper, ut singulis centum annis, vel quolibet anno centesimo, iisdem semper in posterum gauderent privilegiis. Quae constitutio

ſtitutio exſtat inter *extravagantes communes* cap. *antiquorum de poenitentia et remiſſione.* Unde in vulgus emanavit opinio, *Jubilaea* Eccleſiaſtica huic ſeculo debere originem, et Bonifacium eſſe centenariae indulgentiae autorem. Sed Catholico-Romani e contra opinantur, Papam quidem indulgentiam ſecularem ſanciviſſe, et ſemper obſervandam voluiſſe, verum morem, quo anno quovis centeſimo populus Romam, ad Eccleſiam Vaticanam ad indulgentias lucrandas perrexit, jam antea viguiſſe, argumento petito cum ex ipſa conſtitutione, tum ex tractatu Jacobi Cajetani de *centeſimo*, vel *Jubilaeo.* Sed totum illud nonnullorum fidelium relationibus eſt innixum, idque ſecundum teſtimonium Cajetani, nepotis papae. Quod nimis lubricum eſt teſtimonium, vel potius totum fictum, aut ſubornatum a Papa et complicibus, ad annum centeſimum ſtabiliendum. De quo nuper luculenter expoſuit Vir Reverendus et eruditus Paſtor Hagienſis C. Chais in *epiſtolis de Jubilaeo;* qui rationes politicas et ſuperſtitioſas, quae Papam ad hoc inſtitutum moverunt, non neglexit in lucem proferre. Ceterum Bonifacius nec Jubilaeum adpellavit, nec annum quinquageſimum inſtituit, adeoque ad Jubilaeum Judaicum non tam, quam ludos ſeculares Romanorum, reſpexiſſe videtur, quos in ſacras convertit ceremonias, ut facere ſaepe ſolebant Chriſtiani. Clemens vero VI. ritum illum ad annum quinquageſimum reduxit, et primus eſt nomine Jubilaei uſus; poſtea ad annos triginta tres Urbanus VI., denique Paulus II. et Sixtus IV. terminum quinque luſtrorum, vel 25 ann., poſuerunt. Fuit autem hoc anno ingens hominum concurſus Romam, et inmenſa donationum ac oblationum copia in theſaurum Papalem confluxit. Excluſit autem hoc beneficio Fredericum I., Genuenſes, Siculos, Columnenſes, omneſque eos, qui merces ſuas ad Saracenos deportaſſent.

## VITA ET MORES.

§. CCXXXVII. Novi Monachorum Ordines, quorum hoc ſeculum

ſeculum fuit feraciſſimum, hoc ſeculo exorti, qui noſtram in primis merentur adtentionem, ſunt Mendicantium, Carmelitarum, Eremitarum S. Auguſtini, Dominicanorum, et Franciſcanorum. *Carmelitae*, a monte Carmelo in Palaeſtina ſic dicti, originem quidem ſuam ab Elia repetunt, qui, dum in vivis eſſet, Ordinem inſtituiſſet, ad hoc uſque tempus ſine interruptione continuatum, ſed quae pura puta ſunt figmenta, ut Papebrochius in *elucidatione hiſtor.* act. ſanct. Aprilis tom. III. jam demonſtravit. Prima Ordinis fundamenta jecit ſeculo XII. Almericus, Patriarcha Antiochenus, qui eremitas, per Palaeſtinam ſparſos, in unum collegit, ſtructo in cacumine montis Carmeli coenobio. In quo cum exemplum Eliae cenſerentur ſecuti, Carmelitae adpellati ſunt, et ab Elia ſuam duxerunt originem; imo, per Eliae revelationem id eſſe factum, jactitarunt, uti autores aequales, a Papebrochio citati, teſtantur. Vid. quoque Johannis Phocae, qui loca ſancta ſec. XII. viſitavit, itinerarium, editum a Leone Allatio in *Symmictis*. Primus Ordinis Praeſes Bertoldus, revelatione Eliae de colligendis eremitis fingitur ornatus a. 1156., ſecundus vero Brocardus a. 1171. regulam compoſuit, quam Albertus, Patriarcha Hieroſolymitanus, adbreviavit, et confirmavit a. 1199., cum Praeſes generalis eſſet Cyrillus circa a. 1229. Is novam de coelo narratur accepiſſe apocalypſin de *futuro Eccleſiae ſtatu*. Regulam vero poſtea adprobavit Honorius III. Papa a. 1226., ſed et mitigavit Innocentius IV. in concilio Lugdunenſi I., quando, ſuperinducta coenobiticae vitae forma, inter Ordines religioſos locum accepit. Ulterius denique Ordinem confirmavit Honorius IV. circa a. 1285., et habitum mutandi poteſtatem conceſſit: a quo tempore habitum adſumſerunt, quem ad hoc uſque tempus geſtarunt, albam ſcilicet et amplam cappam, et ſubtus tunicam griſeam cum ſcapulari. Quae habitus mutatio ipſis concitaſſe traditur odium Soldani Saracenorum, ita ut ab eo ſint expulſi; poſtea tamen eo reverſi. Vid. *continuator belli ſacri* lib. V. Brevi vero adeo multiplicati ſunt, ut cum Dominicanis et Minoritis publicas

exercuerint lites: maximam vero partem per Europam sunt disseminati a tempore Innocentii IV. Sed cum Carmelitae, vita eremitica derelicta, in civitatibus coeperunt degere, pietati simul ac devotioni nuncium miserunt, seseque luxui dederunt: ut multis deplorat Nicolaus Gallus, Carmelitarum Prior, ab a. 1266., scripto libro, cui titulus *Sagitta ignea*, de quo vid. Trithemius: quam ipsam ob causam locum meruit in *catalogo testium veritatis* lib. XVII. Ceterum, firmando et celebrando Ordini fictae sunt adparitiones Virginis Mariae Simoni Stockio, Generali sexto Ordinis, factae circa a. 1250., quibus Maria eos declaravit fratres, et se ipsam eorum matrem, addito cunctis Carmelitis privilegio, ut *qui in ordinis habitu moreretur aeternum non pateretur incendium*, seu servaretur. Quas, et alias similes, fabulas explosit Launoius *contra fabulas Carmeliticas*. Scripsit etiam librum de *viso Simonis Stockii*. Oper. t. II. p. II. Adpellarunt tamen se in honorem Mariae, cujus patrocinio se putabant gaudere, *fratres Mariae de monte Carmelo*.

§. CCXXXVIII. *Eremitae S. Augustini*, eo nomine adpellati, non quod ab ipso habuerint originem, aut eo tempore sint orti, quod nonnulli ex spuriis Augustini sermonibus ad fratres in *S. eremo* collegerunt, sed quod ejus secuti fuerint regulam, in lucem prodierunt paulo ante concilium Lateranense IV., et ab Innocentio III. aliquod nacti sunt privilegium. Vid. Antoninus in Chron. p. III. Fuerunt in principio in varias congregationes divisi, quarum praecipua fuit S. Gulielmi, a Gulielmo, Scholari Parisiensi, quem Innocentius III. sanctis adscripsit. Postea vero Innocentius IV. congregationes eas, exceptis Gulielmitis, in unam societatem, sub uno superiore, et una regula, redegit. Alexander denique IV. omnes in unum corpus; Gulielmitis tamen postea concesso, seorsim vivere. Ceterum, utuntur omnes habitu nigro, cum zona scortica, loco cinguli, quo a Canonicis regularibus Augustini, quorum candida est tunica, sub pallio nigro, distinguuntur.

§. CCXXXIX. Succedant duo famigeratiſſimi Ordines, Dominicanorum et Franciſcanorum, duo Eccleſiae Pontificiae ſuſtentacula, quemadmodum Innocentio III. in viſione adparuiſſe narrantur, variis elogiis ſine menſura ornati; vocantur ex. gr. *duo orbis luminaria*, *duo teſtes*, *duo Dei legati*, *Chriſti vexilliferi*, *Euangelii tubae*, *haereticorum flagella* etc. *Dominicani*, de quibus multi ſcripſerunt, quorum catalogum contexuit Fabricius Biblioth. med. et inf. latinitatis, in *Dominico*, autorem habent *Dominicum* Guzmannum, gente Hiſpanum, Calervegae in dioeceſi Uxamenſi a. 1170. natum. Inter canonicos vero regulares ſuos a Didaco, Uxamenſi Epiſcopo, relatus, et ſtudiis modice inbutus, Romam cum Epiſcopo adpulſus, ab Innocentio III. cum eodem miſſus ad Albigenſes debellandos, et haereticos convertendos, duobus annis eo in munere inſumtis, ſolus cum paucis ſociis, Didaco cum ſuis domum profecto, relictus, animum ad Ordinem Praedicatorum inſtituendum adjecit, poſtquam novem annos in fide praedicanda, et haereticis convertendis, in Provincia Narbonenſi laboraſſet. Quod et fecit a. 1225., faventibus Fulcone, Toloſatum Epiſcopo, et Simone Montis fortis Comite, qui et loca et opes ſuppeditarunt. Ordinem adprobavit Innocentius III., viſione ruentis baſilicae Lateranenſis, a Dominico ſuſtentatae, admonitus. Cum vero Synodus Lateranenſis, recens habita, novarum religionum inſtitutionem prohibuiſſet, elegit Dominicus Auguſtini regulam, quam olim inter canonicos Uxamenſes confeſſus erat. Dein novum Ordinem confirmavit Honorius III. a. 1216., cum poſſeſſionibus parochialibus, Eccleſiis, et decimis. Renunciatus mox ab Honorio eſt *magiſter S. palatii*, illudque munus, quod primus obiit, ad Ordinis ſui viros in poſterum propagavit. Situm autem eſt in Scriptura interpretanda in aula Pontificia familiaribus Cardinalium. Induit etiam hic veſtem religioſam, et ſociis tradidit a. 1218., quam et adhuc retinent; candidam ſcilicet tunicam, et ſuper eam pallium nigrum cum ſcapulari. Dein acceſſerunt novae conſtitutiones, Ordini a Dominico praeſcriptae, ex. gr.

 de

de perpetua a carnibus abstinentia, excepta morbi necessitate, continuum ab exaltatione crucis ad pascha jejunium, per septem menses, a festo crucis Septembrino, lineis indusiis ad carnem non uti, etc. Quatuor vero annis post Ordinem institutum bona et possessiones, quibus antea gavisi erant, abdicarunt, absolutam paupertatem, quae nihil proprii possidere permittebat Ordini, elegerunt, in generali capitulo Bononiae habito a. 1220. Denique praecipuum Ordinis munus erat *discere et docere*. Ibant itaque per vicos, castella, et civitates, praedicantes; unde *Praedicatorum Ordo* nuncupati sunt. Tandem ei officium *inquisitionis* adjunctum est, et Dominicus ipse primus fuit Inquisitor in provincia Narbonensi, autoritate Innocentii III., et Honorii III. Sed duos alios, praeter hunc, Ordines instituit Dominicus, unum *Sanctimonialium*, alterum *militiae Jesu Christi*, ad Ecclesiae jura vindicanda, haereticos oppugnandos, et sacrum tribunal tuendum. Qui Ordo post Dominici obitum, cum armis contra haereticos opus amplius non esset, mutatus est in Spiritualis devotionis Ordinem, nomenque accepit de *poenitentia Dominici*. Mortuus est Bononiae a. 1221., et a Gregorio IX. sanctorum catalogo insertus a. 1224. Adtribuuntur quidem ipsi aliqua scripta, sed nemo antiquorum, qui acta Dominici concinnarunt, eorum meminit. Antonius Senensis, in Ordinis Bibliotheca, duos ipsi dat libros contra Albigenses, diversis vicibus in ignem conjectos, sed ab igne resilientes; sed breves tantum fuisse videntur schedulae, fidem orthodoxam contra Albigenses complexae, et Petrus Cernaii, in hist. Albigensium, unius tantum meminit schedulae, in ignem sine laesione missae.

§. CCXL. Celeberrimus hic Ordo variis fuit insignitus nominibus, Dominicanorum ab autore, Praedicatorum a munere, fratrum Beatae Mariae, a summa in eam, tanquam Ordinis protectricem, devotione; *rosario* quoque ejus, cujus supra memini, instituto a Dominico. Generalis Ordinis, qui universo praeest, etiam Magister ejus dictus, primus fuit

Domi-

Dominicus, cui ſucceſſit Jordanes Saxo: ſub quo nacti ſunt licentiam artes et Theologiam publice profitendi Pariſiis. Tertius fuit Raymundus de Penna-forti, de quo ſupra ſuo loco egi; redegit ipſe conſtitutiones Ordinis in unum volumen. Ceterum, inmenſum brevi tempore adeo crevit Ordo, ut per totum orbem fuerit diſperſus, et ubique fixerit ſedes. Vid. Antoninus Florentinus, tit. XXIII., qui circa a. 1458. hiſtoriam abſolvit. Quam propagationem nemo mirabitur, qui adverterit, Dominicum, ejuſque primos ſocios, ſummam vitae praetuliſſe auſteritatem, multa viſa et miracula fuiſſe jactata, fervidum fidei propagandae ſtudium eos ſpiraſſe, haereticis debellandis inſudaſſe, et Paparum autoritati tuendae ac ampliandae in primis fuiſſe intentos. Singulare denique eſt, quod ſubjungi meretur, matrem Dominici, ipſum in utero geſtantem, viſam narrari ſibi fuiſſe, ſe *catulum portare, geſtantem facem ardentem, qua totus mundus accenderetur*, teſte Antonino. Quod experientia docuit inpletum eſſe, per perſecutiones, et motus, ab ipſo et Ordine ſuſcitatos. Spiritus enim, quo hic ordo agitur, eſt crudelitatis et perſecutionis, ut ex Officio Inquiſitionis, et hiſtoria Albigenſium, aliiſque e ſpeciminibus, eluceſcit.

§. CCXLI. Alter Ordo, praecedenti aemulus, variis quoque venit nominibus. *Franciſcani*, ab autore, de quo mox plura, in humilitatis ſignum *Minores* adpellantur, ipſius Franciſci juſſu, qui Ordinis praelatos propterea non Magiſtros, ſed *Miniſtros*, ſalutari voluit, praeterea *Chordigeri*, ſeu funigeri, a chordis, vel funibus, quibus cinguntur, denique a Germanis *Barfuſſer*, quod nudis ſoleant pedibus incedere, praeeunte quoque Franciſco, cum viliſſima et curtiſſima tunicula, fune cincta. In regula, qua vetuit quidem calceis uti, aut equis vehi, ſed vilia tantum in genere injunxit veſtimenta: ex quo de colore, forma, et menſura, veſtium ortae ſunt inter ejus diſcipulos variae contentiones per multos annos, donec convenerit, 1. ut vel pedibus incederent, vel mulis aut aſinis vehe-

rentur 2. Soleae adnecterentur pedibus per lora 3. De colore, forma, et mensura, vestium dissentium variis Papis detulerunt definiendum, qui eos dubiis demiserunt responsis; quando tandem uti coeperunt, quod adhuc durat, demissis ad talos vestibus, et grandibus cucullis, grisei coloris ex albo et nigro quodammodo, sed circa manticas, quas alii patulas, alii strictas, habent, manserunt discordes. De vita et statu monachali ex regula, a Francisco praescripta, satis constat, Vid. etiam Matth. Paris. a. 1227. Strictissima paupertas et obedientia Ordinis sunt fundamenta. Caput quartum praecipit, *ne denarios aut pecuniam recipiant, vel per se, vel per interpositam personam: caput* quintum, ut, *si possint, manibus laborent, quod si pretium laboris ad vivendum non recipiant pro opere*, permittitur ipsis mendicare, ut testamentum Francisci habet: caput *sextum* injungit, ut *fratres nil proprii possideant, nec domum, nec locum, nec ullam aliam rem sub coelo, sed altissimam profiteantur paupertatem, adeoque vel labore manuum, vel mendicitate victum et amictum, aliaque necessaria, acquirant.* Denique praecepit Franciscus, ut regulae suae nihil addatur, nihil dematur, nullaque glossa explicetur. Nec tamen hisce legibus stetit Ordo, licet stare voluerit videri.

§. CCXLII. Famosum hunc Ordinem instituit Franciscus, adprobavit Innocentius III., et confirmavit Honorius III. Rexit primus, sub ministri titulo, idem Franciscus, quem alii successive exceperunt. *Franciscus* vero, ut nonnulla de ipso summatim tradam, Assisiensis, a patria Assisio, civitate vallis Spoletanae dictus, ex patre mercatore natus a. 1182., studiis leviter tinctus, mercaturam in initio exercuit, vitamque egit prorsus mundanam, et luxuriosam, donec divinitus, ut volunt, admonitus de nocte, sese ad monachalem adplicuerit habitum. Cum autem hoc in statu libidini, per glaciem, nives, similiaque exercitia alia, vincendae incumberet, multaque, et abnegationis singularis, et charitatis, in primis erga leprosos, a quibus maxime abhorruerat, exempla dedisset, tandem in missa audivit ex Euangelio dictum

Christi

Christi ad Apostolos, quo illis vetatur *possidere aurum, argentum, duas tunicas*, et *calceamenta*. Quo, tanquam fulmine, ictus illud sibi pro regula praescripsit a. 1208. Quo in statu comparatis sociis Romam perrexit, ut regulae et Ordinis confirmationem ab Innocentio III. inpetraret. Qui, cum hominem vidisset *habitu deformem, vultu despicabilem, cum barba prolixa, et capillis incultis*, quo habitu iter per Italiam fecerat, ab omnibus spretus, et ludibrio habitus, quod patienter tulerat, regulam praeterea observatu inpossibilem considerasset, eum his verbis repulit, *vade frater, et quaere porcos, quibus potius debes quam hominibus comparari, et devolve te cum iis in volutabro, illisque regulam trade* etc. Vid. Matthaeus Parisiensis a. 1227. Praestitit sese mox devote obsequiosum, cumque porcos reperisset, se in luto tamdiu cum iis convolvit, donec a planta pedis ad verticem usque sese misere polluisset. Quo in habitu cum sese denuo stitisset Papae, dicens, *Domine! feci sicut praecepisti, exaudi nunc, obsecro, petitionem meam*, Papa obstupescens, animo mutato, regulam cum Ordine adprobavit, motus in primis, uti fertur, visionibus, cum *palmae succrescentis*, tum Ecclesiae Lateranensis a ruina, quam minabatur, per similem hominem liberatae. Confirmavit dein Honorius III. a. 1223.

§. CCXLIII. Praeter hunc Minorum Ordinem, duo alii per ipsum in lucem venerunt, similem professi paupertatem, unus *Monialium*, quae primo *Damianitae*, ab Ecclesia S. Damiani, in qua eos collocaverat Franciscus, dein Clarissae, a S. Clara, virgine Assisiate, sic dictae sunt, alter *tertiariorum*, tam regularium, quam secularium, utriusque sexus, quos *fratres poenitentiae* vocant, etiam *saccios*, a saccis poenitentiae. Defunctus est a. 1225., et eodem anno ingente et singulari pompa canonizatus a Gregorio IX. Narrantur de hoc homine multa mira et absurda, tum in vita ejus, a Bonaventura scripta, tum praecipue in libro profano *conformitatum S. Francisci* cum Domino nostro Jesu Christo, cujus autor censetur Bartholomaeus Albicius Pi-

ſanus, qui a. 1399. fertur hunc librum compoſuiſſe. Editus autem eſt, adprobante Eccleſia Romana, primum Mediolani a. 1510., dein 1513., cujus excerpta dedit Eraſmus Alberus in *Alcorano Franciſcanorum*; contra quem apologeticum ſcripſit Henricus Sedulius, ſed cui reſpondit Matth. Betulejus in Franciſco *profano-redivivo.* Dici nequit, vixque credi poteſt, quantae ineptiae et profanitates in eo libro congeſtae ſint. Praeter fabulam ſtigmatum, de quo ſupra dixi, inſana in eo occurrunt figmenta et elogia. Franciſcus ex. gr. Jeſus adpellatur typicus, conſiliarius Chriſti, vexillifer ſummi Regis, et ei illud Pſ. VIII. *gloria et honore coronaſti eum* adplicatur, nec non Joh. VIII. *vidit Abraham diem ejus* etc., et *omnia mihi tradita ſunt a Patre* etc. Alia ſuperſtitioſa et fabuloſa lubens praetereo. Multa protulit autor *hiſtoriae Eccleſiaſt.* ſec. XV. Scripta Franciſci, imperitiae et ſuperſtitionis pleniſſima, collegit et publicavit Lucas Waddingus, autor ille celebris Annalium *Ordinis Minorum*; cujus operis ſupplementum edidit Johannes a Divo Antonio. Alios de vita Franciſci et Franciſcanorum Ordine recenſuit Fabricius Biblioth. med. et infim. Latinitatis in *Franciſco*.

§. CCXLIV. Moram adhuc aliquam injicit inſignis hujus Ordinis promotor et illuſtrator *Antonius* de *Padua*, gente Luſitanus, ſed qui dein, cum Franciſco ſe adplicuiſſet, moratus eſt Paduae, ibique mortuus a. 1231., unde titulus de *Padua* fluxit. Fuit primus Minoritarum profeſſor Theologiae, ſuaque eloquentia, viſionibus, et miraculis, ingentem ſibi comparavit famam: licet ſermones ejus, quorum aliqui proſtant, nihil minus ſpirent. Inepta ſunt, et ridicula, quae ipſi adfinguntur, miracula: inter quae eſt, ut illud unum proferam ex Bzovio a. 1231., quod, ad Tranſubſtantiationem, et adorationem hoſtiae, demonſtrandam, aſina, inedia macerata, neglecto pabulo, ipſi oblato, corpus Chriſti ipſi propoſitum, flexis genibus, juſſu Antonii, adoraverit. Alia, apud ipſum Bzovium obvia, mitto. Dictus ipſe eſt *arca*

*Teſtamen-*

*Testamenti*, et *scripturarum armarium;* sanctis vero adscriptus a Gregorio IX., cum indulgentiis promissis, si qui ejus sepulchrum visitaverint.

§. CCXLV. Duos hosce inter Ordines, Dominicanorum et Franciscanorum, qui iisdem artibus, et eodem modo, creverunt, exorta progressu temporis est aemulatio, et ingens discordia, etiam in doctrina circa capita de libero arbitrio, gratiae internae necessitate, et efficacia, ut et inmaculata conceptione Mariae, a Franciscanis adfirmata, sed Dominicanis negata. De quo postea. Praestiterunt praeterea hi Ordinis sese infames per Officium Inquisitionis, aliaque scelera, ut avaritiae, libidinis etc., ab iis perpetrata. Vid. Matthaeus Parisiens. a. 1235., Petrus de Vineis in Epistolis, Doctores Parisienses in libro de *periculis novissimorum temporum*. De quo, et litibus inter hos Ordines, et Academiam Parisiensem, distinctius est agendum. Ortae autem non solum sunt inter eos, et ordinarios sacerdotes, acerrimae concertationes, ex nimia Praedicatorum et Minorum ambitione, qua praedicandi, et confessiones audiendi, munera sibi fere soli vindicabant, et ordinarios sacerdotes privilegiis suis privabant, de quo hi in litteris, vel ad Fredericum II., vel ad Synodum Lugdunensem, a. 1245. celebratam, acerbe conquesti sunt: exstant apud Petrum de Vineis, et inde apud Usserium de successione Ecclesiae etc. cap. IX., sed in primis inter eos, et Academiam Parisiensem, maxime postquam liber, *aeternum euangelium* dictus, in lucem prodiisset. Cujus libri argumentum, et nonnulla capita, exhibet liber de periculis *novissimorum temporum*, nec non Gulielmus de *sancto Amore*, sermone II., ac Ptolemaeus Lucensis hist. Eccles. l. XXII. Sed longe plura repraesentat Eymericus in *directorio Inquisitionis* apud Usserium l. cit. Librum eo collineasse, ex prioribus autoribus tantum constat, ut, euangelium Christi esse inperfectum, nec semper duraturum, evinceret, sed sicut illud in locum legis successit, ita etiam locum perfectiori, ac magis Spirituali, euangelio cessurum, illudque futurum esse a. 1260. Perfectius vero euan-

gelium censebatur Spiritus, quod ad Joachimi abbatis opiniones conformatum, a Praedicatoribus et Minoritis adnunciabatur, vitam continens spiritualiorem, quam hucusque viderat mundus. Reliqua capita apud Eymericum nunc praetereo. Autores, qui de hoc libro egerunt, recensuit Fabricius in Bibl. med. et infim. latinitatis in *Johanne* de *Parma*. De autore libri non convenit inter doctos. Matthaeus Parisiensis eum a Praedicatoribus esse compositum tradit, sed Eymericus Inquisitor autorem adserit esse Johannem de Parma, Italum, et Ordinis Minorum Generalem. Atenim ex libro de *periculis novissimorum temporum* nihil aliud colligi potest, quam a Praedicatoribus illud euangelium fuisse commendatum, et Parisiis publice propositum a. 1254. Sed et illud inde constat, librum non fuisse tunc novum, quippe per annos quinquaginta quinque jam incepisse concinnari. Ex quo mihi verosimilius videtur, doctrinam de aeterno euangelio initio seculi jam coepisse vulgari, cum Praedicatores sunt exorti, et ab iis, vel potius aliquibus eorum, seu *Spiritualibus*, publice propositum fuisse, ac divulgatum. Utique illud ex modo citatis testimoniis manifestum est, et in Praedicatores apte quadrat. Solebant enim jactitare, se *illuminasse mundum, et viam ostendisse veniendi ad vitam*; ut refert Wilhelmus de S. Amore serm. II., ubi etiam, quid a religioso quodam in aliqua Ecclesia praedicatum audiverit, enarrat, his verbis: *audivi, quod quidam religiosus in quadam civitate praedicabat, et dixit: Ordo noster valde est exaltatus, quia ante Ordinem nostrum totus mundus fuit in tenebris. Sed venit beata virgo, et cecidit Filio suo ad pedes, et jacuit ante ipsum tres dies, et dixit ei Dominus, ut peteret, quod vellet, et ipsa tunc dixit, quod vellet, ut unus fieret Ordo, qui totum mundum illuminaret, et Dominus concessit ei, et ipsa tunc dixit cuidam, ut faceret Ordinem, et iste Ordo noster est.*

§. CCXLVI. Hoc libro Parisiis evulgato, simul ad Monachos illos adplicito, sicut *introductio* ad eum habet, ab ipso libro bene distinguenda, (argumentum enim libri generale est,

eſt, et ambiguum, introductio vero, autore forte Johanne de Parma, vel ejus intimo amico et ſocio Gerardo, Monacho Franciſcano, ut diſputat Eckard. de ſcript. Dominic. t. I., ejus explicationem et adplicationem continet, ad Monachos illos) Doctores Sorbonici ſeſe hiſce Monachis majore ſtudio oppoſuerunt, ſcripto etiam libro *de periculis novisſimorum temporum*, qui et alibi, et in *faſciculo rerum expetendarum ac fugiendarum*, ed. Brownii, exſtat. Praecipuus vero Praedicatorum adverſarius, et libri autor, celebratur *Gulielmus de S. Amore*, ſic dictus ab oppido ejus nominis in comitatu Burgundiae, unde oriundus fuit. Canonicus primum Bellovacenſis, dein Doctor Sorbonicus Pariſienſis, ipſius Roberti, qui Sorbonam fundavit, *familiaris*, *magnae* vir *ſcientiae*, et *opinionis*, teſte Antonino in *ſumma hiſtor.* tom. III. Nonnulla etiam ejus opuſcula contra mendicantes Monachos in lucem protraxit Johannes Aletophilus, alias Cordeſius, erudita praemiſſa praefatione, de autore, et doctrina ejus. Duo autem ejus ſermones quoque proſtant in citato *faſciculo rerum expetendarum* etc. tom. II. Hiſce in operibus Praedicatores aterrimis depinguntur coloribus, tanquam 1. illegitimi praedicatores, et Sacramentorum adminiſtratores, qui contra Eccleſiae canones, et legitimam diſciplinam, ſibi jus praedicandi, et confeſſiones audiendi, etc. adrogabant in aliorum Eccleſiis, non obſtante permiſſione Papae, quippe Scripturae S. et canonibus adverſa, eoque nomine nulla. Quam theſin ſequente ſeculo etiam tuitus eſt Johannes de Poliaco, Theologus Pariſienſis, ſed damnavit Johannes XXII. Papa, etiam revocaſſe fertur Johannes de Poliaco, ut habetur in *Extravagante*, *vas electionis*, edita a. 1321. 2. Validi mendicantes contra inſtituta Apoſtolica, ipſamque rationem, quae Monachis mendicitatem prohibet, et labores vel vitam communem inperat. 3. Hypocritae famoſi, qui, ſub ſpecie pietatis, ſe in domos ingerebant, earumque ſecreta aucupabantur, praeterea bona corradebant, et varia crimina alia committebant. 4. Ambitioſi et ſuperbi,

qui Principum et Praelatorum favorem sibi conciliabant, alios spernebant, solique in Ecclesiis dominari volebant. 5. Crudeles, qui omnes, autoritati et ambitioni suae adversos, e medio tollebant, non quidem ipsi, sed brachio seculari occidendos tradebant. 6. Praecursores adeoque Antichristi, et signa praenuncia novissimorum temporum, vel, ut populus apud Matthaeum Parisiensem, eos nuncupavit, *Antichristi successores, Regum et Principum adulatores et consiliatores, ordinariorum contemtores et supplantatores, thalamorum regalium subintratores, confessionum praevaricatores, qui, peragrantes ignotas provincias, peccandi audaciam subministrabant.*

§. CCXLVII. Hac contentione ad Papam Alexandrum IV. utrinque delata, damnavit quidem Papa aeternum euangelium, vel ejus *introductionem*, supra memoratam, sed ita, ut *secreto, et si fieri possit, sine fratrum scandalo combureretur*, ut habet Matthaeus Parisiensis, sed simul Doctorum Parisiensium librum de *periculis novissimorum temporum*, tanquam *iniquum, scelestum, et execrabilem, continentem documenta prava, falsa, erronea, et nefaria.* Combustus praeterea est liber, jussu Papae, cum in curia Papali, quae Anagniae residebat, tum Parisiis, coram tota universitate. Nec tamen propter haeresin damnatus est liber, verum quia *contra praefatos religiosos seditionem et scandalum movebat*, ut Gulielmus Nangius in vita S. Ludovici, et in Chron. a. 1256. tradit. Interdictum praeterea est Gulielmo, autoritate Pontificia et Regia, docendi facultate non tantum, sed et regni Franciae aditu: reliquis Doctoribus injunctum, ut Praedicatores et Minores Parisiis reciperent in societatem Academicam, simul ut sequentes profiterentur articulos 1. Romanum Pontificem posse praedicatores et confessores mittere ubique per mundum, sine consensu inferiorum Praelatorum, seu parochialium Sacerdotum 2. statum mendicitatis propter Christum esse statum salutis et perfectionis 3. Religiosos pauperes mendicando posse acquirere victum, sine labore manuum, etiamsi sint validi corpore, maxime

me qui ſtudent verbo Dei, legendo, diſputando, praedicando. 4. Ordines Praedicatorum et Minorum eſſe bonos, et ab Eccleſia adprobatos, adeoque quae in praedicto libro habentur, de pſeudo-prophetis et nunciis Antichriſti, non eſſe de illis Ordinibus intelligenda. Deinceps vero, poſt Alexandri IV., ejuſque ſucceſſoris Urbani IV., obitum, pacatis Academiae rebus, et Dominicanis in duplicis cathedrae publicae in Academia poſſeſſione confirmatis, Gulielmus rediit Pariſios, et librum de *periculis noviſſimorum temporum* aliam redegit in formam, ſub hoc titulo: *collectiones catholicae et canonicae ſcripturae ad inſtructionem et praeparationem ſimplicium Chriſti fidelium contra pericula inminentia Eccleſiae generali per hypocritas, pſeudo-praedicatores, et penetrantes domos et otioſos, et curioſos, et gyrovagos.*

§. CCXLVIII. Reliquos ordines, hoc ſeculo erectos, verbo recenſuiſſe, ſecundum ordinem temporis, ſuffecerit. 1. Ordo regularis *Hoſpitalariorum* S. Spiritus conſtitutus eſt apud Montem Peſſulanum in Gallia a Guidone Comite, et ab Innocentio III. confirmatus a. 1198. 2. Ordo *S. Trinitatis* de captivorum redemtione e ſervitute infidelium originem repetiit a Johanne de Mata, Doctore Pariſienſi, Felice, anachoreta Valeſienſe, confirmationem ab Innocentio III. a. 1198. Vid. ep. 481. lib. I. Innocentii, ubi regula Ordinis exſtat. 3. Ordo *humiliatorum tertius*, a S. Bernardo, et Guidone, viro nobili, inſtitutus a. 1135., huc uſque ſine certa regula degens, eam nactus eſt ab eodem Innocentio a. 1199. Sed a quo bene ſunt diſtinguendi alii *Humiliati*, haereticis accenſi ab Innocentio, qui praedicatorum et confeſſorum munus ſibi adrogabant. Diverſi etiam ſunt *Pauperes Catholici* ex Waldenſibus, qui etiam dicti ſunt *pauperes de Lugduno*, ex converſis ad fidem Catholicam orti, et ab Innocentio ann. 1210. confirmati. Hi vero converſi, bonis abdicatis, in vili habitu, paupere vita, jejuniis, et orationibus, ſe exercuerunt, ſimul lectionibus et diſputationibus contra haereticos toti dederunt; quorum praeci-

pui fuerunt Bernardus primus, et Durandus de Osca: degerunt in primis in provincia Tarraconensi, et parte Cataloniae, sed quae congregatio postea sensim defecit. 4. Ordo *Vallis Scholarium*, a Gulielmo, aliisque doctoribus Parisiensibus, qui secundum regulam Augustini coeperunt Deo militare, institutus est in dioecesi Lingonensi, in valle, ipsis a Praesule Lingonensi, adsignata: unde nomen vallis Scholarium. Postea sunt regulae adjectae certae constitutiones, apud Dacherium in Spicilegio. Confirmavit Ordinem Honorius III. a. 1218. 5. Ordo *Silvestrinorum*, sic dictus ab autore ejus Silvestro Guzolino Auximate, e canonico facto eremita, multosque sanctitatis suae fama adliciente, a. 1231., in eremo S. Benedicti de monte-fano, deoecesis Camerinensis, haud procul a Fabriano, oppido Piceni. Confirmavit Innocentius IV. a. 1247. 6. Duplex ordo Mariae, unus *Mariae de mercede*, captivis e manu infidelium redimendis destinatus, autorem habuit Jacobum Arragoniae regem, a. 1223., confirmatus a Gregorio ex a. 1230., a quo regulam Augustini accepit a. 1235. Alter *Servorum Mariae*, Florentiae ortus a. 1232., sub nigro habitu et regula Augustini, confirmatus ab Alexandro IV. a. 1255., et postea a. 1304. a Benedicto XI. Denique a Martino V. inter mendicantium Ordines relatus. Ceterum de origine Ordinis Servorum Mariae Vid. dialogus Pauli Florentini ad Petrum Cosmae, fabularum plenus, in deliciis J. Lamii tom. ultimo, et Archangelus Gianeus Florentinus apud Bzovium a. 1231. 7. Denique Ordo Celestinorum institutus est a Petro de Morone, postea Celestino V. Papa, in Apuliae quadam solitudine, et confirmatus a Gregorio X. in concilio Lugdunensi, dein ab ipso institutore, Papa facto a. 1294. Fuit autem quaedam reformatio monasticae disciplinae sub regula Benedicti.

§. CCXLIX. Reliquis Ordinibus missis, non possum quin singularem Ordinem *Flagellantium*, a. 1260. in Thuscia ortum, et dein ad alias provincias longe lateque diffusum,

verbo

verbo adtingam. Cum diriſſima fames, anno memorato, per Orbem graſſaretur, nobiles, et mercatores, primum, dein plebeji, ſacerdotes, cujuſque etiam ſexus et aetatis alii, coibant, et, proceſſionis ad modum, ad oppida et templa procedebant: in quorum conſpectum cum veniſſent, hymnos cantabant, preces ſundebant, modo procumbentes, modo palmas ad ſidera tendentes, modo pectora tundentes; ſed et qui veſtibus exutis, et ab umbilico ſuperne nudi, capite operto, *ſcutica nodoſa* humeros et pectora cruentabant, in eo ſupra triginta dies continuando. Quo facto, ſe expiatos putabant, et Deo reconciliatos. Hi homines, nulla autoritate Papali muniti, diverſa admodum ſubierunt judicia: cum alii eos pro bonis, alii pro haereticis, flagitioſis, et ſuperſtitioſis, habuerunt: multi quoque Principes fines regni ingredi vetuerunt, ut tradit Aventinus annal. l. VII. Nec tamen reprimi potuerunt, quin ſequente ſeculo majore cum inpetu ſe rurſus in publicum dederunt: de quo poſtea. Ann. 1320., ut illud anticipem, inquit Ptolem. Lucenſ. in vita Clementis. V. *acciderunt in Italia verberationes hominum. Ex quo infinitae paces factae ſunt ultra opinionem hominum, et mirabilia dicuntur adparuiſſe in imaginibus, licet multa falſa ſint inventa, ſed quicquid ſit, hoc fuit vere mirabile, quia quod Principes, vel Optimates, facere non potuerunt, hoc fuit in eis, qui ad invicem inimicabantur, virtus Divina, quia Patres requirebant hoſtes, quorum filios occiderant, ad faciendam pacem.* Vid. Monachi S. Juſtinae Paduenſis Chronicon ab Urſtitio editum, Fr. Pipinus, autor antiquus, in Chronico, inter Scriptores Italicos Muratorii tom. IX., et Chronicon Forolivienſe ibid. tom. XIX., nec non autor vitae Balduini in Miſcellan. Baluzii tom. I. Ceterum de primis ſpontaneae flagellationis originibus quaedam ad ſec. XI. dixi, hic non repetenda.

§. CCL. Dictis ſubjungo, inter *fraternitates* hoc ſeculo natam eſſe illam *Kalendariorum*, ſic adpellatam a verbo *calo*, h. e. convoco, quia conveniebant ad bona communicanda,

et animabus defunctorum subveniendum. Vid. C. Iken in *symbolis litterariis* tom. I. Invaluerunt quoque in Belgio *Beguinae*, *ἄσκησιν exercitationem* peculiarem sectantes, et castitatem sine voto tenentes, nomen sortitae, secundum nonnullos, a viro religioso Lamberto le Begue, presbytero Leodiense, qui sec. XII. floruit, et devotione celebris fuit: sed forte rectius a devotione et precatione. De quo supra monui, ubi de Beguardis viris exposui. Vid. Aegidius, aureae vallis Monachus, in Radulpho, Episcopo Leodiensi, cap. 52., quarum varia fuerunt fata: ex recentioribus Boehmer Jur. Eccles. l. III. tit. 31., et, qui nuper ad manus venit, Moshemius in hist. Eccles. hujus seculi, qui de hisce foeminis, et similis instituti viris, in Belgio plura adfert.

§. CCLI. De vita et moribus parum habeo, quod supra dictis, ubi de Curiae Romanae corruptione exposui, addam. Erat Curia illa, cum Clero fere universo, depravatissima, superstitio modum nesciebat, tyrannis palam dominabatur, publice sancita per leges, et tribunal Inquisitionis. De Monachis mendicantibus modo quoque egi. Subjungam tantum generales nonnullorum querelas, et scripta hujus seculi: cujus generis sunt libri Eliae Rubei Tripelaviensis, Gilberti Monachi, Roberti Galli, et Nicolai de Bibrach, et aliorum, in *catalogo testium veritatis* lib. XVII., praeterea planctus Bernardi Westerrodi, exemplar Mythologiarum Aesopi, ac similium, cum figuris, ibid. l. XVI. Notabilis etiam est epist. Gregor. IX. ad Archiep. Burg. a. 1223. edita in *Gallia Christiana* tom. II. in adpend., qua vitia Ordinum Spiritualium perstringuntur. Eadem de re testatur, sive verum, seu imaginarium, sive fictum, sit, quod Bzovius a. 1248. ex Toma Cantiprat., etiam Wolfius Memorab. a. 1270., refert, Clericum aliquem in Synodo Paris. a Satana, ipsi adparente, inductum, jussu Dei, haec verba ad Patres Synodi retulisse, *Principes Inferiorum tenebrarum Principes Ecclesiarum salutant, laetitia summa perfundimur, et gratias ingentes*

*ingentes vobis habemus, quia per negligentiam Praelatorum, et ipsi ad inferna devolvuntur, et plures animae iis subditae damnantur.* Addantur canones concilii Viennensis a. 1267. et Salisburgensis a. 1274., in Antiquis Lectionibus Canisii tom. IV., quibus multi pravi mores decernuntur emendandi.

## HAERESES.

§. CCLII. Cum *Waldenses et Albigenses*, quorum historia primum pertexenda est, magis magisque invalescerent, et quaquaversum disseminarentur, ita ut, ipso Innocentio III in epistola 94. lib. I. ad Aquensem Archiepiscopum teste, *innumeri Populi ea haeresi essent infecti*, ubi adpellantur Waldenses, Catari et Patarini, Pontificii nihil non tentarunt ad eos exstirpandos, quibuscunque usi mediis, ut scriptis, colloquiis, conciliis, edictis Inperatorum et Regum, denique aperto bello, et tribunali Inquisitionis. De quibus ordine est agendum. Inter eos, qui scriptis refutarunt, locum tenet, hic memorandus, Moneta Cremonensis, primum Professor artium Bononiae, dein Ordini Praedicatorum adscriptus, Inquisitor quoque fidei Mediolanensis, qui plures neci dedit. Floruit a. 1220. et deinceps. Latuit ejus liber contra Catharos et Waldenses in Bibliothecis, editus demum a. 1745. Romae, opera Augustini Ricchinii, qui et dissertationes de haereticis illis addidit. In concionibus vero contra eos, et disputationibus cum iis, praecipuam retulerunt laudem ex Cisterciensi Ordine Arnaldus Abbas, Petrus de Castro novo, et Rudolphus, Professores, ab Innocentio III. hac legatione ornati, ex reliquis Ordinibus Dominicani et Franciscani, ipse in primis Dominicus. Vid. Gulielmus de Podio Laurentii, qui Raymundo juniori a sacris fuit, in Chronico, et Petrus de Valle Cernaii in hist. Albigensium. Habitae autem sunt disputationes 1. apud Viridefolium, ubi confusi, non conversi, narrantur haeretici

2. ad Apamias, haud procul Tolosa, ubi iterum feruntur convicti, ipso judice disputationis converso. 3. Aliam memorat Petrus de Cernaii, a Dominico cum ipsis habitam, in qua insigne contigisset miraculum, cujus supra memini, schedulae Dominici, ipsis ad examinandum traditae, et bis vel ter in ignem ab ipsis conjectae, sine ulla laesione resilientis ab igne. 4. Denique longe solennior fuit apud Montem regalem in dioecesi Carcassionensi a. 1207. inter Catholicos, modo laudatos, et Pontificem Jordanum, Arnoldum Aurisanum, ac Arnoldum Hot, vel Otthonum, coram quatuor arbitris, partim nobilibus, partim plebejis. Supersunt disputationis acta MSS., quorum summam ex Nicolao Vignerio Hist. Eccles. a. 1207. recenset Usserius de *success. Ecclesiae* etc. cap. X. Capita disputationis fuerunt sequentes Arnoldi Hot theses. α. Romanam Ecclesiam non esse sponsam Christi, sanctamque Ecclesiam, sed turbulentam, Satanae doctrina institutam, adeoque Babylonem, de qua in Apoc. Johannis agitur, matrem fornicationum, et abominationum, sanguine sanctorum et martyrum Christi inebriatam. β. Politiam illius non esse bonam, neque sanctam, neque a Christo stabilitam. γ. Missam, quo modo hodie celebratur, non esse a Christo, aut Apostolis, institutam.

§. CCLIII. Quae omnia media cum frustra cecidissent, erupit mox apertum bellum, a Cruce signatis, jussu Innocentii III., gestum cum Tolosanis, et aliis, qui Albigensibus patrocinabantur. De cruce signatis ad hoc bellum legendae quoque sunt epistolae Episcopi Tolosani ad Gervasium Abbatem Praemonstratensem, hujusque responsoria, inter Epistolas Gervasii ab Hugone editas, in *monumentis sacrae antiquitatis*, epist. XLII. et XLIII. Multa ad hoc bellum pertinentia exhibet quoque Gulielmus Briton, Armoricus, Philippiados l. VIII. inter XI. script. Francic. Pithoei, ex recentioribus de hoc bello vid. Usserius l. cit., et Limburg hist. Inquisit. lib. I., et ex Catholicis, praeter alios, Benedictini in *hist. generali Langedociae* tom. III., qui accuratio-

res

res hac parte ſeſe praeſtiterunt. Natalis vero Alexander, diſſ. III. ad hoc ſeculum, belli juſtitiam demonſtrare conatus eſt, hoc Antichriſtiano nixus principio, quod religionis cauſa contra haereticos, eorumque fautores, fuerit geſtum. Conſcripſit hunc exercitum, ex omnibus fere orbis Pontificii partibus collectum, Papa Innocentius, ampliſſimis promiſſis indulgentiis, quales contra infideles concedi ſolebant. Vid. ex. gr. epiſt. 149. l. X. ad Regem Francorum, et l. XI. ep. 156. et ſeq. ad Archiepiſcopos et Epiſcopos, et 230. ad univerſos fideles; quos ad hanc ſacram ſcilicet militiam adhortatur, in clauſula promittens *confidentiſſime*, ut inquit, *ob hoc regnum coeleſte*. Crucem quoque geſſerunt milites, ſed in pectore, non in tergo, ut reliqui cruciati contra infideles. Praedicatores, quaquaverſum miſſi ad crucem promulgandam, pro textu paſſim habuerunt verba Pſ. XCIV: 16. *Quis conſurget mihi adverſus Malignantes? aut quis ſtabit mecum adverſus operantes iniquitatem?* Occaſionem belli praebuit Raymundus, Comes Toloſanus, quod haereticis faveret, vel eos tutaretur, quodque necis Petri de Caſtro Novo, legati Papae, et furioſi haereticorum perſecutoris, qui ſagitta erat a ſatellite Raymundi confixus, haberetur reus. Quas ob cauſas cum Raymundus eſſet anathemate percuſſus, ſubditi et ſocii a fidelitatis juramento ſoluti, cuilibet quoque data eſſet poteſtas Comitem perſequendi, ejuſque terras occupandi, ut Gulielmus de Nangis in Chron. a. 1207. refert, et ipſe Papa teſtatur in epiſt. 26. lib. XI. ad Archiepiſcopos Narbonenſ., Arelatenſ., et alios vicinos. Comes, ut hanc terribilem tempeſtatem compeſceret, promiſit obedientiam, et Eccleſiae petiit reconciliari. Inpetravit quoque abſolutionem, ſed modo plane indigno, ac tyrannico, quem Bzovius enarravit. Exſtat etiam proceſſus negotii Raymundi inter Epiſtolas Innocentii, edit. Baluz. lib. XII. poſt epiſt. 8. Ante portas Eccleſiae S. Aegidii ductus, praeſentibus pluſquam viginti Archiepiſcopis et Epiſcopis, juramento ſeſe non tantum ad obedientiam obſtrinxit, ſed

et super collum Comitis injecto sacro orario, seu stola, Legatus Papae ipsum traxit in Ecclesiam, et ei ictus flagelli absolvit, quibus adeo adflictus est, ut per eundem locum, per quem intraverat, regredi non potuerit: qua eadem plaga dein rursus adflictus est ante sepulcrum Petri occisi. Comite hac ratione reconciliato, impetus cruciatorum non fuit fractus, sed sese contra haereticos movere perrexerunt, castella et urbes expugnantes, omnia spoliantes, et inmensam hominum copiam ferro et igni modo barbarico trucidantes.

§. CCLIV. In *prima* expeditione, a. 1209. facta, 1. expugnata est amplissima civitas Biterrae, quae supra 100 millia hominum fertur continuisse. Spoliata non tantum est tota urbs, sed et flammis tradita, ac immensa hominum multitudo misere periit, 60 millibus et amplius trucidatis. Saevitum autem est in omnes, sine sexus, aetatis, aut fidei discrimine. Cruciatos, refert Caesarius Heisterbacensis, cum Arnoldo, Abbati Cisterciensi, significassent, se inter bonos et malos discernere non posse, et, quid faciendum esset, requisivissent, hoc tulisse responsum, *caedite eos, novit enim Dominus, qui sui sunt.* 2. Carcassona dein sese ea conditione est coacta dedere, ut cives, omnibus bonis spoliati, exirent nudi, vel, ut alii tradunt, pudendis tantum velatis. 3. Haeretici, quotquot capti fuerunt, crudelissime sunt tractati. Duo, ex. gr., in urbe Castro sunt ad rogum damnati; cumque unus haeresin vellet abjurare, indeque inter cruciatos fuisset, quid cum eo agendum? contentio orta, Comes Montfortius comburendum eum voluit, hac intentione, *quod si convertatur, ignis ipsi esset pro expiatione peccatorum, si vero ficte loqueretur, reciperet pro perfidia talionem.* Robertus vero quidam, Albigensium apostata, Magistratus et Principum autoritate munitus, valde in haereticos saeviit, effecitque, ut intra duos vel tres menses quinquaginta fuerint aut vivi terrae infossi, aut rogis injecti. Qua ratione ubique saeviit bestia persecutrix. 4. Denique, capta Carcassona

cassona Simon de Monteforti urbi, et universae regioni, acquirendae pariter et acquisitae, praefectus est, communi Baronum et Praelatorum consensu. Erat autem ex notho Roberti, regis Francorum, oriundus, et e regno Angliae, ubi Comitis Leicestriae gessit honorem, expulsus: negotium vero Papale et suum strenue promovit, multasque urbes et castra eodem anno occupavit, haereticos ubique fugavit, vel occidit.

§. CCLV. *Secunda* et *tertia* expeditio, a. 1210 et 1211., haud minorem cladem inflixit Albigensibus, nec minus saeva fuit ac crudelis. Capto Albio, multi sunt capitis supplicio adfecti, dein Minerbia, munito castro, haud procul Carcassona, cremati sunt centum et octoginta, mox Vauro, innumeri sunt ad rogum damnati. Praefectus urbis Aymericus resti suspensus, octoginta alii nobiles securi percussi, Girarda, soror Aymerici, populi princeps foemina, in puteum projecta, et saxis obruta est. Expugnato dein castro de Termis, Raymundus de Termis captus, et carceri inclusus est, ubi occubuit, uxor, soror, et filia ejus, aliaeque nobiles, rogo crematae sunt. Inter quas turbas multi quidem Albigenses in Britanniam concesserunt, sed et ibi passi sunt persecutionem, aliis combustis, aliis fugatis; ut Anglorum historici produnt. Raymundus interea Comes Tolosanus, successibus Comitis Montfortii territus, et tanquam refuga fidei, et publicus hostis Ecclesiae, *cunctis ad diripiendum expositus, a. 1211., ut habet Robertus Altissiodorensis in Chronico, sibi et ditioni suae metuens, ingentem conscripsit exercitum contra Cruciatos. Miserunt enim ei auxiliares copias Reges Aragoniae, et Angliae, quibus adfinitate erat junctus, nec non alii Principes. Magna quidem promisit copiosus exercitus, ex centum mille, ut fertur, militibus constans, sed nihil effecit, quin ingente cum strage fugatus a Simone Montfortio, exigua tantum manu praedito, sive mille, sive plurium, hominum, variant enim autores, a. 1213., ipso etiam Aragonum rege interfecto.

Foederati enim, nimium copiis suis fidentes, sese luxui et otio tradiderunt. Qua victoria elati cruciati, et novis cruce signatis aucti, qui undique ad eos confluxerant, multa in suam potestatem redegerunt oppida.

§. CCLVI. Quibus peractis, Simon Montfortius declaratus est in concilio, prope montem Pessulanum, a. 1215. a Legato Papae, Dominus omnium ditionum bello partarum. Quod Papa confirmavit, teste Epist. ejus, ad Simonem, 122 et 123. lib. XII., ipse etiam Ludovicus, Philippi Francorum Regis filius primogenitus, adprobavit, qui, ante triennium cruce in Albigenses signatus, votum hoc tempore solvit. Montfortius vero, suscepto Imperio, urbes munitas, ut Tolosam, Carcassonam, et Narbonem, moenibus nudavit, civium voluntatibus diffidens. Quo eodem tempore celebrato concilio Lateranensi IV., a Papa omnes ditiones, Raymundo ereptae, adjudicatae sunt Montfortio. Qua Synodi sententia promulgata, Raymundus, cui nihil supererat spei, secessit quidem in Hispaniam, ubi a. 1221. obiit, fidelium sepultura orbatus, sed filius ejus Raymundus in Provinciam sese contulit, et novas copias auxiliares sibi comparavit. Multi enim, tota Gallia Reguli, et ex Catalonia haud pauci, eum viribus et opibus adjuvarunt. Animo itaque resumto, bellum ingenre successu cum Montfortio renovavit, ditiones quasdam occupavit, ipsum etiam Tolosam, Montfortio, qui eam obsessam defendebat, in ipsa urbis oppugnatione, lapidis ictu percusso a. 1217., quando Raymundus recuperavit Patris comitatum. Sed, scena hac ratione mutata, Honorius III., cum Raymundum sibi non posset reddere obnoxium, sententiam excommunicationis in ipsum tulit non tantum, qua ipsum ditionibus suis exuit, sed novam quoque militiam sacram promulgavit, praeterea Ludovicum, qui Patri in regno Franciae successerat, litteris ad eum datis, quae in Miscellan. Baluzii lib. II. exstant, et vera persecutionis principia continent, ad arma contra Albigenses excitavit. Interea Parisiis a. 1223. habita est a

Legato

Legato Papae Synodus, in qua Amalricus, Montfortii filius, et Raymundus, de jure suo contenderunt, et Raymundus se Catholicum professus est, simul admisit, ut haeretici, si qui sint in terris suis, requirantur ac puniantur. Cecidit nihilominus causa sua, et expeditio cruciata decreta est, cui ipse Ludovicus nomen dedit. Superest Raymundi juramentum in concilio Montempessulano a. 1224. una cum litteris Amalrici ad Synodum, ne pacem cum Raymundo faciat, in *conciliis* Graeciae *Narbonensis* Baluzii. Ludovicus, cruciatorum exercitu coacto, expeditionem suscepit a. 1226., et urbs Avenio non nisi post multorum, ipsius quoque Ludovici, interitum, capta est, dolo et fraude Legati Papae, ut fuse narrat Matthaeus Parisiensis. Tolosa dein omnibus viribus oppugnata, et strenue ab ipso Raymundo defensa, tandem ad deditionem coacta, Raymundus sese Ecclesiae subjecit, et solenniter, non sine dignitatis suae prostitutione, absolutus est, stans quippe in camisia, et braccis, pedibusque nudis, coram altari. Inter conditiones pacis erat, ut haeresin ejuraret, haereticos persequeretur, et, cruce sumta, totis quinque annis contra Saracenos, aliosque fidei hostes, propriis sumtibus militaret; Tolosam vero, et Episcopatum Tolosanum, ad vitam tantum retineret, reliquas terras Regi Franciae et Ecclesiae cederet.

§. CCLVII. Comite Tolosano subacto, severiores leges, ut ad Principum edicta, et violenta media alia, veniam, sunt contra haereticos latae, et executioni mandatae, ab ipso quoque Raymundo, qui praecepit, ut omnes in ditione sua caperentur. Quod idem fecit Ludovicus, Galliae Rex, qui jussit, ut statim, ac ab Episcopo, aut Ecclesiastica persona, essent haeretici declarati, debitis adficerentur poenis. Ludovici et Raymundi edicta prostant quoque apud Bzovium a. 1228. Sed infamem sese in primis hac parte praestitit Inperator Fredericus II., qui et Inquisitionis negotium valde promovit: de quo supra monui. Denique Inquisitiones et vivicomburia ubique coeperunt introduci, ut supra narravi.

Addo, in Anglia, et Scotia, multos esse combustos a. 1210., Papelardos, seu hypocritas, vocatos: dein in Alsatia a. 1212., qui, ut ex Huldrico Mutio German. Chron. l. XIX. observat Usserius de success. Ecclesiae etc.: cap. X. Papam damnarunt, quod conjugia Clericorum et cibos vetuerit: quam ob causam severe tractati sunt, ita ut uno die circiter centum fuerint ab Episcopo Argentinensi combusti, multi carceribus mancipati, donec resipiscerent. Sed alii tradunt, eos fuisse sectae Nicolaitarum, qui promiscuos admiserunt concubitus: quo nomine traducti sunt, qui Clericorum conjugia defenderunt. In Germania Inquisitionem ursit a. 1214. Conradus, Marpurgensis Inquisitor, qui, ut refert Trithemius in Sponheimensi et Hirsaugiensi Chronico, innumeros haereticos flammis tradidit, usus quoque insolita probatione per ferri candentis judicium, quo qui fuerant adusti censebantur haeretici, et judicio seculari tradebantur comburendi. De quibus omnibus vid. Usserius l. cit. De Henrico vero Minnike, Praeposito novi ope : Goslariensis, ob Manichaeismum combusto, Vid. Parerga Gottingensia tom. I. l. 4. In sententia ejus condemnatoria habetur, ipsum confessum esse, Spiritum S. esse Patrem Filii, et Maria virgine majorem esse in coelis Dominam, summam forte sapientiam, praeterea matrimonium reprobasse, et Diabolum dixisse redire velle ad gratiam.

§. CCLVIII. Perstringamus nunc reliquos haereticos insigniores. Initio seculi floruit *Almaricus*, e territorio Carnotensi Clericus, et Doctor Parisiensis, qui docuisse traditur, necessarium esse fidei articulum, credere, se esse membrum Christi; quod quivis Christianus, si salvus sit futurus, de se credere debet. Cui opinioni cum Doctores Parisienses contradicerent, causa ad Innocentium III. delata, ipse damnavit, et ad palinodiam coegit, Almaricum. Adseclae vero ejus, ipso brevi post mortuo, alios narrantur addidisse errores; uti. 1. Patris potestatem usque ad finem Oeconomiae legalis durasse, legem vero Christi usque ad hoc tempus,

pus, adeo ut nunc cum omnibus ſacramentis et ritibus externis ceſſarit, et regnum Spiritus S. inceperit, quo homo ſola gratia interna Spiritus S. ſervandus eſt. 2. Charitatem Dei adeo eſſe amplam, ut nullus relinquatur juſtitiae locus, charitatem mutuam hominum ſe eo uſque extendere, ut quaevis flagitia et ſtupra ſint licita. Ita refert Rigordus, autor coaevus ad a. 1209., de geſtis Philippi Auguſti, Francorum Regis, inter ſcriptores Franc. XI. Pithoei. Sed Caeſarius Heiſterbacenſis lib. V. dialog. c. 22., alios adhuc memorat errores. 1. Non aliter eſſe corpus Chriſti in pane altaris, quam in alio pane, aut re qualibet. 2. Sic Deum eſſe in Ovidio locutum, ſicut in Auguſtino. 3. Corporum non dari reſurrectionem, nec paradiſum aut infernum aliud eſſe, quam bonam vel malam mentem. Denique in lucem emiſit E Martene anecdot. tom. IV. e codice Mſſ. aliquos errores, in concilio Pariſienſi, quo Almaricus proſcriptus eſt, rejectos, inter quos eſt, *omnia eſſe unum, quia quicquid eſt Deus eſt.* Cl. Moshemius in hiſt. Eccleſ. Almaricum, ejuſque adſeclas reos egit opinionum Pantheiſtarum et myſticorum, qui fratres liberi ſpiritus vocantur. De quibus ibi prolixe egit. Praecipuus ſectae praeco memoratur Willelmus Aurifaber, qui ſe jactavit Prophetam, et Papam dixit Antichriſtum, Romam vero Babylonem. Ceterum hi homines in Synodo Pariſienſi ſunt damnati a. 1209., et edicto Regis igni traditi, quatuor perpetuo addicti carceri, Almarico autem dictum eſt anathema, ejuſque oſſa exhumata ſunt, et in ſterquilinium miſſa. Damnata quoque eſt haereſis ea in concilio Lateranenſi IV., erroribus tamen non expreſſis. Cum autem Almaricus et ſocii crediti fuerint libris Ariſtotelis de Phyſica et Metaphyſica abuſi, hi quoque nota fuerunt inuſti, ut refert Rigordus, qui addit, ſub poena excommunicationis in concilio Pariſienſ. cautum fuiſſe, *ne quis eos de cetero ſcribere, legere, praeſumat, vel quocunque modo habere.*

§. CCLIX. Succedat *Joachimus*, Abbas Curatii monaſte-

rii, Ordinis Cistercienfis in Calabria, qui, ut continuas Cistercienfium fuorum vexationes, quibus ipfum, tanquam inanibus divinationibus fafcinatum, exagitarunt, evitaret, alio fecessit, et monasterium, de *Flore* dictum, construxit, novamque condidit congregationem Florenfem a. 1188., mortuus a. 1202. Vid. inter alios de ipfo Francifcus Pipinus, autor fere aequalis, in Chron. inter Scriptores Italos Muratorii tom. IX. Reddidit autem fefe celebrem 1. prophetiis et revelationibus, five, ut credi voluit, divinitus acceptis, five ex verbo Prophetico, et Apocalypfi, per fubtilem interpretationem, hauftis. Exstant vero vaticinia ejus de Papis a Nicolao III. ad Innocentium VIII., de Regibus Castellae et Legionis a Ferdinando I. ad Philippum V. Scripfit commentarios mysticos ad Prophetias Vet. et Novi Test., qui proftant. 2. Oppugnatione Petri Lombardi, et errore de Trinitate inde orto. Dictum Petri Lombardi, *Patrem, Filium, et Spiritum S. esse quandam summam rem, quae neque sit generans, neque genita, neque procedens*, accepit, acsi Petrus voluisset, essentiam, tribus communem, esse quartum quid, a perfonis distinctum, adeoque quaternionem statuerit in Trinitate. Quod ut refutaret, ipfe unitatem simplicem, et essentiae, sustulisse fuit vifus, et unitatem collativam, moralem, adfectivam, et concordiae introduxisse, qualis est inter Deum et pios, multos homines et unum populum, fideles et Ecclefiam, etc. quo retulit loca Joh. XVII. et 1 Joh. V: 7. 8. Refert utique hunc in modum opinionem ejus Tomas Aquinas Opufc. 24., et propterea liber ejus damnatus est in concilio Lateranenfi IV. ab Innocentio a. 1215., Sed non defunt, qui Joachimi Orthodoxiam defendunt, verba ejus male esse intellecta, contendentes. Verum licet fit, multa in ejus fcriptis occurrere, receptae de Trinitate fententiae minus, ut videtur, confona, ut in *Pfalterio decem chordarum*, probabile mihi fit, ipfam de Perfonarum distinctione nimis fortiter esse locutum, et Petrum Lombardum veram et realem distinctionem sustulisse. De quo non est necesse pluribus

pluribus egisse. Plura de Joachimo vid. apud Papebrochium act. Sanct. Mens. Maji tom. VI., et Wolfium Memorab. lection. Ceterum, quod non erat negligendum, multa habet Joachimus de Curiae Romanae sceleribus, et Antichristo jam nato in civitate Romana. Sic ex. gr. in comment. ad Jeremiam inter alia disputat, *Ecclesiam carnalem, quae Babylon adpellatur, fore triplici percutiendam flagello, primo, temporalium amissione ab Alemannorum Inperio, secundo, haeresi, et praecipue a Patarenis, de quorum secta erit mysticus Antichristus, tertio, gladio ab In fidelibus, praesertim Muhammedanis.*

§. CCLX. Adjungamus ei similis generis haereticum, licet temporis intervallo longius ab eo distantem, *Petrum Johannem Olivum*, qui a. 1297. Narbonae mortuus est. Fuit natione Gallus, natus in Castro. S. Mariae Serignani in Gallia, inde *Serignanus* dictus, et anno aetatis duodecimo jam oblatus S. Francisco in conventu Biterrensi a. 1259., unde *Biterrensis* nomen tulit. Cujus Ordinem Minorum ita est tuitus, et illustravit, ut norma disciplinae fuerit aliis factus, et paupertatem omnimodam ita ursit, ut sectae Beguardorum et Fratricellorum, de quo postea, praecipuus fuerit autor. Praestitit autem se in primis celebrem *postilla*, seu commentario, in Apocalypsin, qui Mss. superest; ex quo excerpta, a nonnullis Theologis, ad petitionem Johannis XXII. Papae facta, exstant apud Baluzium in Miscellan. tom. I. Propter quae reus est haeresios declaratus, et a Johanne XXII. post mortem damnatus, ossa quoque exhumata sunt, et concremata. Traditur quidem, alios etiam fovisse errores, uti, *parvulis in baptismo gratias et virtutes non conferri, animam rationalem non esse formam corporis*, denique *Christi, non mortui, sed viventis, latus esse lancea apertum:* verum, licet Clemens V. in Synodo Viennensi eos errores damnaverit, Sixtus tamen IV, qui scripta ejus diligenter jussit examinari, ea ab errore pronunciavit inmunia. Quae contraria Paparum judicia, et secum invicem, et cum Paparum infallibilitate, difficulter conciliantur.

ciliantur. Adseclae autem Petri Olivi postea ob errores, in comment. ad Apocal. adsertos, partim combusti, partim incarcerati, sunt seculo sequente a. 1318. Vid. Baluzius, l. cit.

§. CCLXI. Hypotheses vero hujus viri, quas in lucem protraxisse operae pretium est, de Ecclesiae fatis, et Papis Romanis, in excerptis memoratis obviae, sunt sequentes. 1. Tres Ecclesiae status distinguit, Legis Mosis, Euangelii, et consiliorum euangelicorum, quae omnimodam continent abnegationem et obedientiam. Primus status est Patris, qui ad Christum usque duravit, secundus Filii, usque ad Franciscum, et Spiritualium ortum. Tertius inde usque ad finem mundi, qui est Spiritus S. Sicut autem secundus status est primo perfectior, ita tertius secundo: qui praeterea vitae Christi respondet, et in consiliis euangelicis expressus est. 2. Ecclesiae Novi Testamenti sunt septem aetates, vel periodi, quae diebus Creationis, septem sigillis, et tubis, Apocalypticis conveniunt. Quarum *prima* est fundationis Ecclesiae per Apostolos, *secunda* persecutionis Gentilis, initio a Nerone facto: *tertia* vindicationis fidei contra haereticos, quae a Constantino M. incepit: *quarta* vitae anachoreticae, quae ab Antonio Magno initium sumsit; et mundum, instar solis et lunae, illustravit, eumque usque ad extrema solitudinis fugit: *quinta* est vitae communis, partim zeli liberi, partim condescensivi, sub Monachis, et Clericis, possessiones habentibus: cujus initium a tempore Caroli M. repetitur: *sexta* est renovationis euangelicae vitae, et expugnationis Antichristianae, ac finalis conversionis Judaeorum ac Gentium, seu iteratae aedificationis Ecclesiae, simul primae, quae a tempore Francisci aliqualiter, sed plenius a damnatione Babylonis, meretricis magnae ortum ducit: *septima* est respectu hujus vitae quieta et mira possessio futurae gloriae, sed futurae vitae respectu generalis resurrectio, ac consummatio omnium.

§. CCLXII. 3. Adcurata est comparatio *a.* inter regulam Francisci, et vitam euangelicam, quam Christus degit, et Apostolis injunxit *b.* inter Synagogam carnalem Judaeorum, et

et Ecclesiam Catholicam hujus temporis, nec non inter utriusque oppugnationem, qua Synagoga euangelium, et Ecclesia carnalis regulam Francisci, oppugnavit *c.* inter Synagogae carnalis et Ecclesiae carnalis excidium *d.* inter Christum Crucifixum et resuscitatum, ac Franciscum, cui plagae Christi sunt inpressae, quique ante alios sanctos resuscitatus est. *e.* inter duodecim Christi Apostolos, ac Francisci totidem primos filios et socios, ut et duodecim viros euangelicos, per quos finalis Ecclesia reliquiarum, Judaeorum et Gentium, est propaganda *f.* denique inter Ecclesiae propagationem, non tam inter Judaeos quam Gentiles, ac regulae Francisci exaltationem, minus inter Latinos, quam Graecos, Saracenos, Tartaros et Judaeos. 4. Ecclesia itaque Pontificia est Babylon, meretrix magna, Papa est mysticus Antichristus, et veri Antichristi, qui est Deus et Messias Judaeorum, post destructam Babylonem mysticam, futurus praecursor. Franciscus autem est Angelus ille, de quo in Apocalypsi dicitur *vidi alterum Angelum, habentem signum Dei vivi* etc. 5. Bestia postremo ex abysso est potestas secularis, et septem ejus capita sunt 1. decem Inperatores gentiles, totidem persecutionum autores, 2. Ariani, seu haeretici, 3. carnales, et laxi, et abbates quintae aetatis 4. mysticus Antichristus est caput sextum, et 5. magnus Antichristus cum rege Monarcha ipsi adhaerente caput septimum. Bestia praeterea cum duobus cornibus est pseudo-papa cum pseudo-religiosis, et pseudo-prophetis. Reliqua praetereo, cum haec ad systematis aliquem dandum intellectum sufficiant.

§. CCLXIII. Dicta qui ad animum retulerit, haud difficulter perspexerit 1. Petrum Olivum, et Joachimum Abbatem, nec non aeternum euangelium, cujus supra memini, secum in praecipuis convenire capitibus, adeoque vix dubium esse, quin ex hoc Ordine liber iste prodierit. 2. Perspexisse quidem illos viros inmanem Curiae Romanae, et Ecclesiae ejus temporis, depravationem, sed et ipsos magna laborasse superstitione, multasque ineptias de Francisco, et

Ordine ſevere mendicantium effutiiſſe, ac ad eum miſere detorſiſſe Apocalypſin, adeoque eos in Apocalypſi explicanda parum praeſtitiſſe, niſi quod Romanae Eccleſiae faciem corruptam in ea viderint depictam, ſimul reformationem Eccleſiae ex ea recte derivarint.

§. CCLXIV. Subjungamus poſtremo tractationi de haereticis errores a facultate Pariſienſi damnatos, a. 1240., praeterea diabolicam quandam haereſin, quae per Germaniam graſſata eſt. Opiniones ab ea Facultate proſcriptae memorantur ſequentes. 1. Divinam eſſentiam ab Angelis et Beatis videri non poſſe 2. eam, ratione formae, non eſſe in Spiritu S., uti in Patre et Filio. 3. Spiritum, prout eſt amor et nexus, non eſſe a Filio, ſed a ſolo Patre 4. multas eſſe veritates aeternas, quae non ſunt, ipſe Deus. 5. Angelum malum in primo inſtanti fuiſſe talem. 6. Angelum in eodem inſtanti eſſe poſſe in diverſis locis. 7. Cujus meliora fuerint naturalia, majorem neceſſario eſſe gratiam et gloriam. 8. Liberum arbitrium habere potentiam naturalem ad recipiendam gratiam, ſed non effectivam, h. e. gratiae receptioni cooperantem. 9. Qui damnatus eſt nunquam fuit in gratia. Vid. de his Natalis Alexander in hiſt. hujus ſeculi. Contexuit etiam prolixum catalogum errorum, eoſque damnavit a. 1277., Stephanus Pariſienſis Epiſcopus, qui recenſentur in Bibl. M. Patrum tom. XXV. Dicit autem in praefat., eos in Academia Pariſ. publice fuiſſe propoſitos *quaſi dubitabiles*, *et in ſcholis diſputari ſolitos.* Addit, dici, *ea eſſe nota et vera ſecundum Philoſophiam*, *ſed non ſecundum fidem Catholicam*: quod carpit. Contexuerunt quoque aliorum errorum longum catalogum Centuriatores Magdeburgenſes, ſed quos ibi legi malim. *Diabolica* vero haereſis, quae in Germania fertur erupiſſe, tam enormis deſcribitur et inpia, ut fidem fere ſuperet. Depinguntur enim hi homines, qui *Stadinghi* adpellantur, tanquam foederati Diaboli, et profeſſi hoſtes, ac aperti oppugnatores Dei, coelorum Domini, quem etiam palam et directe blaſ-

phemiis

phemiis inpetunt, a quo Luciferus fraudulenter, et injuste, est ad inferos detrusus, quem inde rediturum sperant. Praeterea omnia Deo ingrata, et Diabolo accepta, feruntur patrasse. Contra quos, omnium pessimos haereticos, et humani generis pestes, sacram indixit expeditionem Gregorius IX. Papa, cujus Duces fuerunt Henricus, Brabantiae Dux, et Florentius, Hollandiae comes, eo cum successu, ut, licet insane pugnantes, fuerint deleti. Vid. litterae Gregorii ad Archiepiscopum Moguntinum, et alios, Albertus quoque Stadensis in Chronico, cujus excerptum exstat apud Bzovium a. 1234., et Chronicon Belgicum Johannis a Leydis l. XXII. Autor incertae *historiae Archiepiscorum Bremensium*, inter Scriptores Septentrion. Lindenbrogii, ad a. 1234. hoc bellum enarrans, Stadinghiis tantum inputat, quod *quaesierint responsa daemonum, simulacra fecerint aerea, consulentes etiam in suis spurcitiis erroneas Pythonissas, et, quod deterius est*, inquit, *viaticum salutis aeternae horribilius, quam deceat exprimi, pertractantes. Clericos etiam*, addit, *et religiosos inpie lacerantes cruciabant omni genere tormentorum.* Interea hi ipsi homines, tam atris depicti coloribus, adeo ab ipso narrantur *infecisse populum Christianum, ita ut infinita rusticorum multitudo, tam in remotis quam in vicinis provinciis constituta, verbotenus eos defenderit, et si se opportunitas obtulisset, promto animo proterviae eorum auxilium adtulisset.*

## PROPAGATIO ECCLESIAE.

§. CCLXV. *Quarta* ordine expeditio suscepta est ab Henrico VI., Germaniae Rege, a. 1195., instigante Papa Coelestino III., qui, postquam Galliae et Angliae Reges frustra permovere conatus fuerat, tandem se ad Henricum, licet excommunicatum, vertere debuit. Aures autem praebuit Henricus

ricus, sive, quod sese ea ratione gratiam Papae sibi conciliare posse crediderit, sive, ut ea occasione Normannos, sibi in regno Neapolitano et Siculo adversantes, subigeret. Divisi vero sunt Cruciati in tres turmas seu exercitus, quorum duo cum Ducibus per diversa loca sunt praemissi, comitante etiam heroici animi foemina Margareta, regina, et Belae, Hungariae Regis, vidua. Ipse Henricus cum tertia manu sese in Italia detinuit, et adversarios sibi subjecit: quo facto meliorem exercitus partem quoque in Palaestinam misit. Cruciati, non obstantibus induciis, quae nondum exspiraverant, bellum mox intulerunt Infidelibus, et Saphadinus, qui tunc regnabat, sese iis, copiis suis unitis, non sine successu opposuit in initio, expugnata Joppe; sed praelio inter Tyrum et Sidonem inito, magna cum clade discessit inferior. Qua victoria recte uti nescientes Cruciati Thoronem, munitissimum castrum, obsidentes, sese frustra fatigarunt: deinde corrupti sunt Templarii et Hospitalarii, cum nonnullis Ducibus, a Saphadino; adeo ut obsidionem fecerint missam, et per mutua dissidia se adtriverint. Accessit denique mors Henrici VI., unde multa sunt per totam Europam orta dissidia, et Principes, de rebus suis soliciti, in proprias terras quam citissime sunt reversi. Qua ratione tota expeditio in vanum cecidit, nihilque quam inmensam cladem adtulit Christianis. Desiit autem a. 1198.

§. CCLXVI. *Quinta* expeditio, brevi secuta originem suam debet Innocentio III., qui eam, litteris quaquaversum missis, et Legatis, inter quos eminuit potentissimus in Francia concionator Fulco, procuravit, induciis inter Reges Galliae et Angliae factis. Principes in ea partes habuerunt Galli, quorum praecipuus fuit Balduinus, Comes Flandriae, quibus sese adjunxerunt Veneti, sub famigeratissimo Duce Dandulo, a. 1201. Cruciati partim Massiliam profecti sunt, inde in Palaestinam navigaturi, partim Venetias, ut sese cum Venetis jungerent. Cum vero pecuniam, Venetis promissam, non nisi ex parte solvere possent, res in vanum cecidisset, nisi Dan-

dulus

dulus viam rem terminandi inveniſſet. Obtulit autem Cruciatis, ut Jaderam, vulgo Zaram, urbem Dalmatiae maritimam, quae a Venetis defecerat ad Hungaros, expugnarent, et Venetis redderent. Quod a. 1202. executioni eſt mandatum. Cum vero in Papalem excommunicationem, iis denunciatam, qui Chriſtianorum terras invaderent, incurriſſent, Papa eos abſolvit. In quo facinore omen fuit obſervatum expeditionis contra Chriſtianos vertendae quod eventus comprobavit. Exiit enim in Conſtantinopolis, et regni Graecorum, occupationem, regno Latinorum ibi condito. Alexius, ut rem paucis enarrem, cum fratrem ſuum Iſaacium Angelum regno et oculis privaverat, ſimul carceri, cum Iſaaci filio Alexio, mancipaverat, et poſt res ſuas firmatas libertati reddiderat, hic Alexius, libertate recepta, ſe ad Philippum Suevum, Germaniae Regem, qui ejus ſororem duxerat uxorem, contulit, a quo Cruciatis, apud Zaram hyemantibus, commendatus eſt; qui, poſtquam Alexius eos ingente ſpe lactaverat, in ſpecie Eccleſiae Graecae cum Latina unionem promiſerat, iter per mare adgreſſi ſunt a. 1203. verſus Conſtantinopolin, non obſtante aut interdicto Papae, qui illud propoſitum inprobavit, aut multorum ſeparatione, qui Papae obedientes partim terras ſuas repetierunt, quorum tamen maxima pars in itinere periit, partim in Syriam profecti ſunt, ut ſe cum reliquis, qui Maſſiliae iter ſuſceperant, jungerent contra Infideles. Perſeverarunt reliqui in propoſito CPolin invadendi et ſubigendi, maxime poſtquam Papa, rectius informatus, conſenſiſſet; remque perfecerunt. Etſi enim in initio reſiſteret Alexius cruciatis, mox, terrore panico correptus, ſeſe in fugam dedit, et res Graecorum proſtituit: quando Graeci ſeniorem Iſaacium, e carcere eductum, in throno collocarunt, qui filium ſuum Alexium in urbem admiſit, et cum Cruciatis foedus pepigit: cujus tamen conditiones non praeſtarunt Graeci. Agnoverunt quidem Papam pro capite univerſali, et unionis Eccleſiarum ſpem fecerunt, ſed in pecunia ſolvenda et militibus ad expeditionem ſacram ſuppeditandis

 falſos

falsos se demonstrarunt: quare hyemem ibi triverunt Cruciati, exspectantes, ut Alexius fidem praestaret. Quo ipso tempore res longe aliam induerunt faciem. Alexius Ducas, cui Martzuphli cognomen fuit, ex Inperatorio cretus sanguine, ad Inperium adspirans, Graecorum animos, qui a Latinis, quibuscum foedus pepigerat Alexius junior, erant alienissimi, sibi devinxit, et Alexium inter ac Latinos concivit simultates, adeo ut res brevi in apertum bellum inter Latinos et Graecos eruperit, dein rem eo adduxit, ut, Alexio carceri incluso, ipse a populo, seditione commoto, fuerit proclamatus Inperator, quando Alexium in carcere propriis manibus trucidavit. Quo in statu cum res essent, Cruciati, urbem incredibili virtute adgressi brevi expugnarunt, Alexio Duca etiam fuga se subducente. Urbs vero spoliata, et nihil non criminis in ea commissum est. Visa vero fere miraculosa est haec expugnatio ob situm urbis, et inmensam Graecorum in ea copiam. Censentur enim ultra 400 millia armatorum in ea fuisse, ita ut pro uno adgressore, fere ducenti essent, qui urbem defenderunt. Praeter multa alia spolia in Latinorum manus venerunt variae reliquiae, quae in diversas Europae partes brevi sunt transportatae: inter quas memorantur pars coronae spineae Christi, frustum ligni Crucis, sacra cuspis lanceae, pars capillorum Christi, cum puer esset, aliquid de linteo, quo in praesepi fuit inplicitus, una Philippi Apostoli costa, cum ejus dente, caput Johannis baptistae, et quae sunt similes aliae. Ceterum mansit regnum, CPoli capta a. 1204., penes Latinos Francos, a primo Rege Balduino usque ad Balduinum II. a. 1261., per annos quinquaginta octo, quando a Graecis proditione urbs est recuperata. Historiam vero ex Graecis descripsit Nicetas Choniates, ex Latinis Villharduinus, socius expeditionis, inter scriptores Byzantinos. Vid. etiam Guntheri monachi Basileensis, *narratio CPolitana* in Antiq. Lexion. Canisii tom. IV.

§. CCLXVII. Cum vero reliqui Cruciati, qui in Palaestinam adpulerant, triste fatum ibi experti fuerint, et maximam

mam partem peſte, aut Infidelium ferro, perierint, adeoque nihil fuerit effectum, *ſexta* ſuſcepta eſt expeditio, quae in concilio Lateranenſi IV. decreta eſt ab Innocentio IV. a. 1215., ſed non niſi a. 1217. ſub Honorio III. executioni mandata. Ducem ſeſe praebuit Andreas, Belae filius, rex Hungariae, reliquis quippe Europae Principibns varie diſtractis. Fuerunt autem cruciati maximam partem Germani et Itali. Adgreſſi ſunt iter in Palaeſtinam per mare, longe plures partim per Venetias, partim per Siciliam, et variis ex Italiae portibus, Hollandi vero et Colonienſes per fretum Herculeum, inſtructa claſſe. Venerunt priores Cyprum, ubi ſeſe cruciatis adjunxit rex Cypri, inde Ptolemaida, ubi Johannes Bryennius rex Hieroſolymae idem fecit. Moverunt ſeſe mox contra Saracenos, quorum Dux erat Coradinus, filius Saphadini, Sultani Babylonis et Damaſci, Babylone ſe tenens. Cum vero is praelium evitaret, redierunt, multis onuſti ſpoliis, Ptolemaida, poſtquam Principes, prae devotione, ſeſe aquis Jordanis abluiſſent. Dein, ne nihil agerent, munitiſſimum caſtellum Tabori monti inpoſitum, et civitati Acrae valde infeſtum, obſidere quidem coeperunt, ſed, faſtigio montis licet jam occupato, mox inde diſceſſerunt, per Boamundum Comitem Tripolitanum, qui metum illis incuſſit, deluſi. Suſcepta dein expeditione in Phoeniciam, ea longe pejus ceſſit, multis frigore, longe pluribus ingente tempeſtate, ſubito exorta, inter Tyrum et Sareptam, abſumtis. Quando, exercitu ſeparato, Andreas cum maxima parte regnum ſuum, ubi res turbatae erant, repetiit.

§. CCLXVIII. Quo in ſtatu deplorabili cum res eſſet, felicibus avibus adpulit claſſis Septentrionalium, quam evanuiſſe putabant. Claſſis autem ea, ingente coorta tempeſtate, conjecta fuit in aliquem Portugalliae portum, et ab ea opem petiit Alphonſus II., qui ibi degebat, in expellendis Mauris, et expugnanda urbe Aliazar. Cui petitioni etſi aliqui reſtiterunt, qui navibus diſceſſerunt, Hollandi,

tamen et Coloniensses, aliique, aures praebuerunt, urbemque, debellatis Maurorum copiis, ceperunt a. 1218., quando et illi sunt iter suum persecuti. Statim ac in Palaestinam venissent, sesequ'e cruciatis, qui ibi erant, junxissent, consilium ceperunt omnes arma vertendi contra AEgyptum, unde omnia mala et pericula veniebant, illudque mox exsecuti sunt. Cum autem Damiata, ab antiquo Pelusio probe distinguenda, quippe ad secundum Nili ostium Taniticum sita, praecipuum esset AEgypti munimentum, et emporium, eam adgressi sunt oppugnare. Erat urbs munitissima, habebatque turrim, quae 400 capiebat homines, in Nilo aedificatam, et turri Damiatae catena ferrea, quae omnem prohibebat navium introitum, adligatam. Expugnarunt, licet non sine magno labore, et gravi clade, hanc turrim, catena ferrea perrupta per Harlemenses; saltem hanc gloriam sibi vindicarunt, et ejus imaginem in Templo majore, adhuc adservatam, exhibent. Quo facto, urbem vix in potestatem redigere potuerunt, cum, quod numerosissimo Meledini Sultani, qui Saphadino Patri successerat, exercitu obsiderentur, tum, quod minus concordes essent cruciati, Legato Papae et Bryennio de superioritate contendentibus; tum denique, quod per longam obsidionem, continua cum Saracenis praelia, multorum quoque in patriam discessum, valde deminuti essent. Tandem tamen, novis cruciatis continuo accedentibus, urbis facti sunt compotes, post ingentes clades et labores, postquam octodecim menses eam tenuissent obsessam: erat enim urbs fame et peste fere exhausta. Cum vero, urbe expugnata, veteres lites inter Legatum Papae Pelagium, et regem Hierosolymitanum Bryennium, vehementiores fierent, Rex inde in Syriam cum suis discessit, et multi patrias repetierunt terras, adeo ut nihil amplius potuerit effici. Sed, cum a. 1221. novi cruciati ingente numero advenissent, ipse etiam Bryennius ad exercitus petitionem, deliberatione instituta, et Legato urgente, ut recta Cairum tenderent, Sultanum regno privaturi, in illud, renitente Bryennio, consense-

senserunt; honestissimis etiam pacis conditionibus, a Sultano oblatis, quibus et Damiatam et Hierosolymam, cum regno Hierosolymitano cessit Cruciatis, susque deque habitis, per Legati ambitionem, contra Bryennii et Principum vota. Quod pessime ipsis cessit. Cum enim ab urbe Cairo prope abessent, brachiis Nili inclusi, claustra ejus aperiri fecit Meledinus, unde totius regionis, ubi erant Cruciati, orta est tanta inundatio, ut totus exercitus fuisset deletus, nisi ipsius Sultani humanitas succurrisset. Obtulit adhuc octo annorum inducias, et liberum discessum, sub conditione restitutionis Damiatae. Quibus conditionibus acceptis, humanissime a Sultano tractati sunt, qui ipsis omnia suppeditavit necessaria, et Aegyptum, re infecta, deseruerunt. Qua ratione et haec expeditio in fumum abiit.

§. CCLXIX. Ultima, ordine *septima*, simul omnium infelicissima, fuit expeditio Ludovici IX., Galliarum Regis, a. 1245. Frederici II. Inperatoris, a. 1228., suscepta, quae nihil praestitit, quam induciarum per decem annos prolongationem, et Hierosolymae, Nazarethae, Joppes, aliarumque nonnullarum regionum, restitutionem, cujus supra in Gregorio IX. memini, in censum venire non solet; multo minus una alterave particularis, nulliusque momenti, uti Theobaldi V., comitis Campaniae, et Navarrorum Regis, a. 1249., Richardi, Cornubiae comitis, et fratris Henrici III., Anglorum Regis a. 1240. Ludovicus crucem ex voto admisit, cum ex gravi morbo decumberet, eoque animo, ut Christi sepulchrum manibus Infidelium eriperet. Promovit vero eam Innocentius IV., qui eam in Synodo Lugdunens. I. decrevit a. 1245. Causam, vel occasionem, praebuit miserabilis Christianorum conditio in Palaestina per Chorasminos, Persas a Tataris ejectos, quibus Palaestinam concesserat invadendam Sultanus AEgyptius, qui horribili modo in ea grassati sunt. Praecipui Duces et Comites fuerunt Robertus Atrebatensis, Carolus Andegavensis, et Alphonsus Pictaviensis, Comites. Habuit quidem felicissima initia ex-

peditio, a. 1249. versus AEgyptum et Damiatam, quae exiguo labore brevi tempore capta est, quippe a civibus et militibus deserta, sed funestum exitum. Ad Massoram progressi, fluvium Tanecs, licet non sine periculo, transierunt, aliis relictis, qui castra tuerentur; sed Galli, qui primi transierunt, in Saracenos magno inpetu, admodum inprudenter, non exspectatis aliis, irruerunt, et circumventi interierunt: unde, acerrimo mox orto praelio, ingentem passi sunt cladem Christiani, locum et statum tamen, incredibili regis virtute, adhuc tuiti: donec a Saracenis circumventi, et inedia ac morbo debilitati, partim occisi, partim capti sint; inter captos fuit ipse Ludovicus, cum nonnullis Principibus. Gessit autem sese Rex in captivitate magnanimiter, nec nisi in has consentire voluit conditiones, ut pro captivorum redemtione penderentur octo millia Byzantinorum Saracenorum, seu 400 millia librarum Gallicarum, pro sui vero liberatione redderetur Damiata, Christiani cum omnibus inpedimentis discederent, et decem annorum essent induciae. Quo pacto cum Sultano inito, accidit, ut mox interfectus fuerit Sultanus a Mammelucis, quibus hodierni Janitzarii respondent, quibuscum, non sine vitae novo periculo pactum renovare debuit Ludovicus. Hac ratione in Regnum suum rediit Rex, inmensa hominum copia in AEgypto deleta, et res Orientis reliquit desperatas. Narrant nonnulli, ipsum ciborium, seu S. eucharistiam, oppignorasse Saracenis. Sed hoc fabulis est adnumerandum, cum nemo Veterum id tradiderit, et indoli regis nimis adversetur: mille enim mortes potius subiisset devotissimus rex, quam hoc ageret. Ceterum descripserunt hanc famosam expeditionem Sanutus lib. XII., Joinville in historia Ludovici IX., Gulielm. Nangis in Chron. Fuit autem Johannes de Joinvilla comes Regis in hac expeditione, ejusque vitam Galliae conscripsit, notis illustratam a Menardo et Cangio.

§. CCLXX. Rex licet non nisi post urbes maritimas Palaestinae, quas Christiani possidebant, munitas, discessisset,

res

res tamen Orientis in pejus vergere coeperunt. Ortae mox levi de causa lites inter Venetos et Genuenses, in apertum bellum eruperunt in Palaestina, et res Christianorum valde adtriverunt. Tatari quoque in Palaestinam irruperunt; sed quos ipsorum Saracenorum AEgypti, qui sese Christianis junxerunt, ope superarunt. Quo facto, a Saracenis illis invasi sunt, et ad summas redacti angustias. Quo in rerum statu Ludovicus IX., novo accensus zelo, alteram suscepit expeditionem contra Infideles a. 1269. Sed inprudenter, et infelici successu. Adgressus enim in initio est Africam, expugnavit Carthaginem, et Tunetum obsedit, ut fidem ibi plantaret, quod maxime in votis habebat, inpedimenta praeterea inde cruciatis oriri solita, e medio tolleret; sed morbo correptus ibi occubuit, et res in summo reliquit discrimine, a. 1270., quas quidem aliquatenus restituit Carolus, Rex Siciliae, qui, post nimias moras, tandem cum instructa classe ad eas oras adpulit: vere tamen nihil effecit aliud, ac quod Rex Tuneti ad inducias his conditionibus fuerit adactus, ut certam pecuniae summam daret Carolo, et praecones fidei admitteret. Quo facto, discessit inde Carolus in Siciliam, sed in itinere passus naufragium, quo, praeter alia damna, omnem perdidit pecuniam. Eduardus, Rex Angliae, parva cum manu quidem venit Ptolemaida, sed, re infecta, discedere coactus est. Adcinxit quoque sese Carolus, Siciliae Rex, cui regnum Hierosolymae obtigerat, ad illud tuendum, sed Vesperae Siculae, quas supra descripsi, aliaque mala ingruentia, omnes conatus fecerunt irritos. Adcesserunt tandem intestini Christianorum motus in Palaestina, et res eo recidit, ut Syria et Palaestina fuerint exacti, Ptolemaide a Sultano destructa a. 1291., in quo finem belli sacri constituit Paulus AEmilius in historia Philippi Pulchri. Fuit autem incredibilis morum Christianorum in Palaestina corruptio, longe supra reliquos Palaestinae incolas teste autore hujus aevi Brocardo in *descriptione terrae sanctae* cap. 12., quae eos intolerabiles fecit, dignosque, qui judicio Divino deleantur.

§. CCLXXI. Conversi narrantur hoc seculo, ut ad veriorem Christianae professionis propagationem veniam, Borussi et Tatari, de quibus quaedam dicenda restant. Borussis, seu Prussis, qui capita initio seculi erexerunt, et provinciales non tantum, sed et conterminos, Chelmenses et Massavios invaserunt, convertendis non tantum incubuerunt Cistercienses Monachi, quorum praecipui fuerunt Christianus et Philippus, prior quoque Prutenorum Episcopus consecratus a. 1215. sed in primis Crucesignati, interque eos ordinis Teutonici equites, qui eos fidem armis coegerunt admittere, bello cum iis per annos quinquaginta gesto ab a. 1230. Quo tempore ab illis equitibus, in honorem Mariae protectricis, arx primaria Ordinis, Mariaeburgum dicta, aedificata est. Vid. Krantzius in Vandalia l. VII. Ceterum, quod notatu non est indignum, cum populi illi a Christianae fidei professione absterrerentur, quod timerent, *ne post susceptionem fidei per Principes Orbis libertates eorum ad servitutis onera deducantur* verba sunt Frederici II. inter Epistolas Petri de Vineis l. VI. cap. 30. Inperator libertatem eorum fore sartam tectam declaravit, epist. citata. Celebrior est Tartarorum, vel potius *Tatarorum*, conversio: de quibus quaedam sunt praefanda. Scripserunt de iis, praeter Persicos, et orientalem christianum Abulpharagium in *historia dynastiarum*, Aytonus, seculi sequentis scriptor, Marcus Paulus Venetus de *regionibus Orientalium*, et ex recentioribus in primis Assemannus Bibl. Orient. tom. IV., qui consulendi sunt. Schythae genere antiquitus adpellati sunt Tatari, qui fluvium ejus nominis accoluerunt, dicti quoque *Sumogli*, seu Mogli aquatici, pars colluviei variarum nationum in Schythia intra et extra Imaum montem. Qui omnes populi nuncupati sunt Mogli, alias Mogoli, Mogores Mogulenses, quorum illi, qui ad fluvium illum sedes habebant, nomen Tatarorum tulerunt, sed quod dein omnibus factum est commune, cum Chingius regnum fundavit, in quod omnes illos coegit. Erat autem Chingius ex gente Tatarorum ortus, fundator

vero

vero inperii *Cinghis Can*, ſeu Cingius rex et inperator; nomen enim proprium eſt *Cinghis*, et *Chan* principem vel regem denotat; quare omnes Tatarorum Inperatores nomen Chan retinuerunt, ſicut Romani *Caeſaris*, vel Auguſti, Perſae Choſroae et Sophi. Fundavit vero inperium ex omnibus illis populis per Scythiam a. 1203., quando ab Unchano, Tatariae proprie dictae Principe, deficiens, ad ejus vitandas inſidias, eo interfecto, regni fundamenta jecit. Erant autem Tatari antea vectigales, et ſubjecti Regi Chatajorum, ſeu Sinenſium, beſtialem degebant vitam, et nomades Scenitae, canum luporumve pellibus veſtiti, et murium aliorumque animalium carnibus veſcentes, et lac equarum bibentes: ut habent Aytonus, et Abulpharagius, nec una fuit omnium religio ſemper. Alii fuerunt idololatrae, et imaginum cultores, alii unum coluerunt Deum, quod Cinghis-Can praecepit, dein facti Muhammedani.

§. CCLXXII. Sed fuerunt quoque, jam ab antiquis temporibus, inter eos, haud exiguo numero Chriſtiani, imo floruit ibi Chriſtiana profeſſio Tataris Inperantibus. Inſignis utique Chriſtianorum fautor fuit *Unch-canus*, alias Johannes Presbyter dictus, Tatarorum Inperator: de quo ad ſuperius ſeculum egi. Ipſe Cinghis-Can Chriſtianam habuit uxorem, et Chriſtianis favit: quod idem fecerunt filii ejus et poſteri; inter quos fuerunt, qui fidem profeſſi ſunt, uti Gujuch-canus, nepos magni Chani, qui ab a. 1246. ad 1251. omnibus praefuit Tataris, matrem habuit quoque Chriſtianam, et Ducem copiarum Cadachum, ſeu Erchaltai, cujus exſtat epiſtola ad Ludovicum IX., Francorum regem, in qua, inter alia, dicit, *regem ſuum praecepiſſe, quod in lege Dei non ſit differentia inter Latinum, Graecum, Armenium, Neſtorianum, Jacobinum, et omnes, qui adorant crucem; omnes enim*, addit, *ſunt, unum apud nos*. Vid. Vincentius in *ſpeculo hiſtor.* Sed propagata fertur Chriſtiana profeſſio per eas regiones a Praedicatoribus, et Minoritis, ad eas ab Innocentio IV. miſſis: vid. eorum epiſtolae apud Raynal-

dum. Gujucho successit Mango-Chan ab a. 1251. ad a. 1260. quem, a Rege Armeniae inductum, nomen Christo dedisse, refert Aytonus, qui addit, cum eo, praeter domum ejus, fuisse multos baptizatos, utriusque sexus, nobiles et Magnates. Coblajum, fratrem ejus, et successorem ab a. 1260. ad a. 1302. Christianum fuisse, tradit quidem Nicolaus III. Papa in epist. ad eum apud Raynaldum, sed verius est, eum fautorem fuisse Christianorum, ut ex Paulo Veneto, et Abulpharagio, constat.

§. CCLXXIII. Frater vero ejus *Hulachus*, qui Tatarorum *Occidentalium* in Perside, Mesopotamia, et Syria Inperatorem egit ab a. 1256. ad a. 1265., et, Bagdado capta, Saracenicum ibi delevit Inperium, matrem uxoremque habuit Christianas, et eo tempore ibi floruit Christiana religio, teste Abulpharagio. Imo ipse Hulachus eam professus est, ut ex Aytono, et Epistolis Papae ad eum, apud Raynaldum, patet. Filius et successor ejus Abaka coluit quidem idola, sed favit Christianis, teste Aytono. Cujus frater, et successor, ab a. 1282., Tachador, Saracenicam suscepit religionem, indeque Achmed-chan voluit adpellari, attamen sese universis gentibus, in primis Christianis, exhibuit clementem, teste Abulpharagio, qui tunc floruit; licet Sanutus et Aytonus referant, ejus jussu Ecclesias Christianorum ubique fuisse destructas. Obiit a. 1284. Alia longe mens fuit Argono, Abakae filio, qui ab a. 1284. ad 1291. regnavit, quippe qui Christianus fuit, et religionem quoque Christianam propagari fecit. Denique, aliis missis, Cassanus, vel Cazanus, filius Argoni, qui ab a. 1295. ad 1303. praefuit, initio quidem, ut iis, per quos ad regnum pervenerat, placeret, fidem Muhammedanam professus est, sed Christianam deinceps amplexus est, uxore quoque ducta filia Aytoni, Armeniae Regis, quae ad Christianae fidei propagationem multum contulit. Plura et alia qui velit, adeat historiam Ecclesiasticam Tatarorum, quam nuper, ut his scriptis vidi, in publicum dedit Moshemius, ab antiquis ductam temporibus, et lectu dignam.

ECCLE-

## ECCLESIA ORIENTALIS.

§. CCLXXIV. De ſtatu Eccleſiarum Graecarum antequam diſſeram, hiſtoria ſchiſmatis eſt pertexenda, ut, Eccleſias Graecas et Latinas manſiſſe diviſas, ob eadem ac antea capita, adpareat. De qua diviſione multa proſtant teſtimonia, paucis exhibenda. *α.* Canon IV*tus* concilii Lateranenſis IV. ſub Innocentio, non tantum ipſis verbis id adfirmat, ſed et odium Graecorum in Latinos eum adtigiſſe gradum tradit, ut a Latinis baptizatos rebaptizaverint, altaria, ſi Latini ſuper illis celebraverint officia, polluta, ac abluenda, dixerint etc. Vid. etiam Germanus, CPol. Patriarcha, in epiſt. ad Cyprios apud Cotelerium in Monum. Gr. tom. II. *β.* Idem evincunt contraverſiae circa doctrinam, regimen, et ritus, inter eos agitatae. Quae capita qui ſcire velit, adeat *indicem αἰτιαμάτων accuſationum* contra Latinos, tempore Innocentii III. ſcriptum, apud Cotelerium ibid. tom. III., epiſtolam Germani, modo citatam, alias etiam Graecorum epiſtolas ad Papas, et contra Latinos, apud Leonem Allatium de *conſenſu* etc. l. II. c. 15, 16., nec non ſcripta eriſtica Graecorum et Latinorum; de quibus mox. Fuerunt autem praecipua capita 1. Primatus Papae, quem Graeci depingunt tanquam a Latinis ſupra reliquos Patriarchas non tantum evectum, ſed et Chriſto ac Petro parem, imo majorem. Germanus ex. gr. l. cit. dicit, *faſtus Italicus non ſuſtinet, Chriſtum caput eſſe et vocari, ſed, eum ab hoc ordine ejiciens, ſenioris Romae Pontifici illum largitur* etc. In *accuſationum indice* inter alia traditur, eos Papam fere *ſupra Petrum deificare*, in ſpecie carpitur, quod Papa ſibi poteſtatem adroget *peccata remittendi, canones, et leges, abolendi, diſpenſandi, indulgentias concedendi* etc. 2. Proceſſio Spiritus S. ex *Patre Filioque*, etiam Symbolo fidei inſerta; quam multi Graecorum inpugnarunt, ut Theodorus Laſcaris junior Imperator, Germanus Patriarcha, Nicephorus Blemmydes, Gregorius Cyprius, alii. Vid. Leo Allatius l. cit. 3. Purgatorium, azyma, Tranſubſtantiatio, coelibatus

Clericorum, suffocata, rasura sacerdotum, jejuniorum varietas; et alia. 4. In specie taxarunt Graeci, quod Latinorum sacerdotes exerceant militiam, aliorum terras invadant Latini, homines occidant, spolient, multa etiam CPoli patraverint facinora: quorum catalogum texuit Index citatus. Graecos sese Ecclesiae Romanae non subjecisse, quod *forte tyrannidem et avaritiam ejus pertimescerent*, inquit Matth. Paris. l. cit. Subjungit, schisma inde fuisse ortum, quod quidam Archiepiscopus, Romam, ut confirmaretur, petens, exaudiri non potuerit, *nisi pro inpetratione illa infinitum aurum promitteret:* quod ipse detestatus infecto negotio recessit, et *toti Graecorum nobilitati nunciavit*: addit Historicus, *et alii, qui Romam adierant, testimonium de similibus, aut deterioribus, perhibebant, et sic omnes a subjectione Romanae Ecclesiae tempore Gregorii istius recesserunt.* Contra Graecos vero calamum strinxerunt hoc seculo Dominicani, qui praecipua capita controversa discusserunt. Exstat tractatus in Antiq. lection. Canisii tom. IV., non male pro eo tempore scriptus, et lectu dignus, licet Patrum locis, ibi citatis, minus sit fidendum. Probatur autem in eo, Spiritum etiam ex Filio procedere, et Graecorum opinio refutatur, dein quatuor esse extrema contenditur, *Paradisum*, seu coelum, sedem bonorum, *infernum* damnatorum, *limbum*, puerorum non baptizatorum, et *purgatorium*, poenitentium: Graecis vero tribuitur opinio, animas bonorum in paradisum non venire, nec reproborum esse infernum ante ultimum judicium, nec limbum dari, aut purgatorum. Denique, panem azymum in eucharistia recte usurpari, et Papam esse caput Ecclesiae, probatur.

§. CCLXXV. γ Idem confirmat unio Ecclesiarum irrito effectu tentata, sub Johanne Duca, et Michaele Palaeologo, strictim enarranda. Johannes Duca, Latinorum amicitiam et opem ambiens, legatos ad Papam Gregorium IX. misit, petens unionem; et litteras eum quoque in finem scripsit Germanus Patriarcha, tunc Nicaeae residens, a Matthaeo Parisiensi a. 1237. recensitas, in quibus, inter alia, praecipuam discidii

discidii causam ponit esse, *tyrannidem oppressionis Papalis, et exactionum Romanae Ecclesiae*, quae *de matre facta est noverca* etc. Regessit Papa, *Romanam Ecclesiam esse omnium Ecclesiarum caput, et magistram* etc. Secundum dictum Christi ad *Petrum* etc. Misit insuper quatuor apocrisiarios, duos ex Praedicatoribus, et totidem ex Minoritis, qui post praeliminaria colloquia cum Graecis Nicaeae, Synodum cum iis celebrarunt in urbe Nymphaeo, ad Pontum Euxinum; in qua Graeci causam suam de processione Spiritus et azymo, de quibus capitibus praecipue disputatum est, strenue sunt tuiti. Monachi vero Romanae Ecclesiae subjectionem, a Graecis faciendam, urserunt, Inperator proposuit, ut ab utraque parte aliquid concederent. Latini Graecis processionem Spiritus S. ex Patre, Graeci Latinis azymos panes: sed re non tantum infecta discessum est, verum res in dura erupit verba, et minas, et Inperator arma cum Bulgaris capessivit contra Latinos. Vid., praeter tomos conciliorum, Georgius Acropolita in historia Byzantina. Misit dein, sed et sine effectu, Innocentius IV. a. 1247., eodem sedente Inperatore, Monachos Franciscanos, qui omnimodam tantum obedientiam Ecclesiae Romanae exegerunt. Vid. Wadding. in Annal. Minor. a. 1247.

§. CCLXXVI. Majorem in speciem successum hoc unionis opus habuit sub Michaele Palaeologo, qui, regno CPolitano, Balduino II. inperio exuto, recuperato, sibi a Cruce-signatis praesertim a Carolo Andegavensi, metuens, unionem ursit, ut Papam sibi devinciret. Egit autem de ea sub Urbano IV., Clemente IV., et tandem Gregorio X., omnemque spopondit subjectionem, Ludovicum IX. pro sequestro quoque petens. Voluit vero Clemens IV., ut antequam res perficeretur, Graeci fidei professioni, a Papa praescriptae, subscriberent, quo facto, in Synodum Generalem consentiret, non ad fidei discussionem, sed ad confessionem fidei Latinae, a Graecis receptae, et pacti unionis, confirmationem. Quo in statu cum negotium hoc reliquisset Pa-

pa, ejus successor Gregorius X., Synodum generalem Lugdunensem II., a. 1274. celebrandam, de qua supra egi, indixit, quatuor insuper misit ex Minoritis apocrisiarios, cum formula fidei, ad Michaelem, ut ei cum Patriarcha et Episcopis subscriberet, et Clero. Oratores quoque ad Synodum misit Inperator, qui ipse non adfuit, secus ac nonnulli scripserunt, Graecorum vero Praesules legatos ablegarunt. Imo Inperator, litteris ad Gregorium datis, fidem professus est secundum formulam Papalem, in specie relate ad processionem Spiritus S., purgatorium, et primatum Papae, addita tamen petitione, ut Ecclesiae Graecae liceat Symbolum recitare, prout ante schisma fieri solebat, eosdemque retinere ritus, in quibus nihil est reprehensibile. Lectae sunt in Synodo hae litterae, ut et Praelatorum, qui Inperatori adsurgebant, imo Inperatoris Orator Georgius Acropolita, nomine ejus, Romanae Ecclesiae fidem professus est, schisma ejuravit, Papae agnovit primatum, et subjectionem promisit; quod et reliqui fecerunt Legati.

§. CCLXXVII. Quibus peractis, cum Legati et Oratores in patriam essent reversi, Inperator in eo fuit, ut promissa inpleret, Josephum quoque Patriarcham, unionis adversarium, ad abdicationem compulit, eique suffecit Johannem Veccum, ex Latinorum oppugnatore eorum magnum factum patronum: de quo postea. Praeterea, quotquot ex Clero vel Optimatibus unioni factae sese opponerent, bonorum proscriptioni, exilio, carcere, manuum amputatione, oculorum effossione, quin morte, punivit: ut narrat Pachymerus lib. V., et Nicephorus Gregoras lib. V: Legatos dein misit a. 1276. Johannes XXI. CPolin., ad ulteriorem confirmationem, Synodusque ibi habita est, in qua Veccus et Graeci Praesules professionem fidei secundum formam Latinorum ediderunt, et primatum Papae agnoverunt. Prostant Synodales Graecorum Litterae ad Papam in conciliorum collectione, et apud Raynaldum ac Leonem Allatium. Cum vero deinceps Nicolaus III., missis Apocrisiariis CPolin

a. 1278,

a. 1278., vellet, ut Epiſcopi eam profeſſionem ſub juramento reciperent, et ſymbolum cum famoſo additamento *Filioque* caneretur, Inperator ei ſignificavit, a ſua, et Eccleſiae, re non eſſe, rem ulterius urgere, quia graviſſimi jam a Graecis propterea ſuſcitabantur motus, nec Inperator in throno eſſet tutus; Papam itaque aegre non debere ferre, ſi aliqua uteretur oeconomia. Quo reſponſo, et vacillante animo Inperatoris, adeo fuit offenſus Papa Martinus IV., Nicolai ſucceſſor, ut a. 1281. Michaelem, tanquam ſchiſmatis et haereſios Graecorum fautorem, anathemate percuſſerit, omnibus Principibus foedus cum eo contrahere interdixerit. Extat ſententia apud Raynaldum. Papam ad praematurum, et indignum, illud facinus fuiſſe per Carolum, Siciliae Regem, incitatum tradunt Jordanus apud Raynaldum, et Ptolemaeus Lucenſis. Carolus enim narratur regno Graecorum inhiaſſe, illudque Michaeli ereptum voluiſſe. Omnia itaque inde fuerunt diſrupta, quae ad ſpeciem videbantur unita, maxime poſt Palaeologi mortem, ſub Andronico Inperatore, adeo etiam, ut, in unionis factae deteſtationem, Palaeologi corpus honeſta fuerit orbatum ſepultura; ut Pachymeres l. XII. refert. Reſciſſa etiam mox ſunt acta illa, Veccus depoſitus, et Joſephus reſtitutus eſt, omnes Praelati, quibus partes in eo negotio fuerant, exauctorati, denique, Synodo coacta, anathemati ſubjecerunt Papam, cum univerſa Eccleſia Latina; ut autor de *ſeparatione Veteris Romae*, apud Leonem Allatium, tradit, et Pachymeres. Unde poſtea factum eſt, ut Andronicus a Clemente V., et aliis Papis, fuerit excommunicatus. Diviſi quoque fuerunt ipſi Graeci, quorum alii, ut Johannes Veccus, Georgius Metoſchita, et Conſtantinus Meliteniota, Latinorum cauſam tuiti ſunt, alii vero Graecorum, ut Georgius Cyprius, Georgius Moſchompar, Conſtantinus Acropolita, et Georgius Pachymeres. De quibus, et aliis ſcriptoribus, nunc quaedam proferam.

## SCRIPTORES ET STUDIA.

§. CCLXXVIII. Inter Historicos, a quibus ordiar, primum meretur locum *Georgius Acropolita;* non a patria, sed familia, ita cognominatus, ut Leo Allatius in *diatriba* de Georgiis, recusa ad calcem historiae Byzantinae, in *corpore Byzantino*, observat. Natus est a. 1220. ex illustri stemmate, Inperatorem ipsum cognatione adtingens. Versatus vero est adolescens in aula Johannis Ducae Inperatoris, et in disciplinam datus Exapterygo, ac Nicephoro Blemmydae, inbutus est scientiis Rhetoricis, Logicis, ac Mathematicis. Dein in aulam adscitus, magnus Inperatoris Logotheta factus est, multisque legationibus illustris. Quarum in rem nostram celeberrima est ad Synodum Lugdunensem II; in qua quid egerit, modo narravi. Vir fuit, judicio Georgii Cyprii, omnium hujus temporis doctissimus. *Praecipuum* ejus opus, a nobis memorandum, est *Chronicon CPolitanum*, a capta urbe a Latinis a. 1204. usque ad eandem a Michaele Palaeologo recuperatam a. 1260. Exstat in corpore Byzantino, cum versione Leonis Allatii, ejusque, et Theodori Douzae, notis, subjecta etiam *Chronographia compendiaria Toelis*, a condito Mundo ad captam a Latinis CPolin: circa quod tempus autor videtur vixisse.

§. CCLXXIX. *Georgius Pachymeres*, de quo vid. Leo Allatius de *Georgiis*, Nicaeae, ubi Pater exul degebat, natus a. 1242., dein, CPoli a Graecis recepta a. 1260., studia ibi perfecit, et ad insignia in Ecclesia et aula munera est admotus; missus quoque est, cum aliis, a Michaele et Synodo CPolitana, a. 1267. ad Arsenii, qui Patriarchatu ob crimen laesae Majestatis, submotus, et in aliquam insulam relegatus erat, causam examinandam, quod factum est eo eventu, ut absolutus, et Inperatori reconciliatus sit Arsenius; quam historiam ipse enarrat lib. IV. Fuit acerrimus Latinorum oppugnator, et carmine jambico a Manuele Phile, discipulo ejus, post mortem celebratus. Praecipuum ejus

opus

opus eſt *hiſtoria rerum CPolitanarum*, ſub Michaele, et Andronico Seniore, geſtarum, uſque ad a. 1208., in *corpore Byzantino*. Scripſit quoque paraphraſin in Dionyſium Areopagitam, ſed Maximi Abbatis veſtigia premens; inter opera Dionyſii, edit. Corderianae. Denique et ejus eſt libellus de *proceſſione Spiritus S.*, contra eos, qui dicunt, *propterea adpellari Spiritum Filii, quod ejuſdem ſit cum eo ſubſtantiae*, vel, *quod ab eo dignis ſuppeditetur*. Locum libellus tenet in *Graecia Orthodoxa* Leonis Allatii.

§. CCLXXX. Reliqui ſcriptores, in quaeſtionibus inter Latinos et Graecos verſati, maximam partem pro Graecis, pauci pro Latinis, pugnarunt. Inter poſteriores celebris in primis ſunt Johannes Veccus, Georgius Metochita, et Conſtantinus Meliteniota. *Primus*, Chartophylax Eccleſiae CPolitanae, unionis Eccleſiae Graecae cum Latinis fuit primum acerrimus adverſarius, eamque ob cauſam a Michaele teterrimo mancipatus carceri, dein eo fractus, vel Blemmydae ſcriptis convictus, et cauſae Latinorum inſignis promotor, Patriarcha CPolitanus factus, in locum Joſephi exauctorati, quod in unionem conſentire nollet, a. 1274. Sed, ſcena poſt Michaelis mortem ſub Andronico mutata, iterum iterumque relegatus, et in carcere mortuus eſt a. 1298. Varia pro unione utriuſque Romae, et pace, ſalvis tamen Graecorum ritibus, reliquit ſcripta, quae maximam partem reperiuntur in Graecia *Orthodoxa* Leonis Allatii. Eidem cauſae non tantum favit, ſed et malorum ſub Andronico ſocius fuit, Archidiaconus Vecci *Georgius Metochita*: cujus ſcripta pro Latinis ibidem exſtant, nec non *Conſtantinus Meliteniota*, Becci quoque Archidiaconus, autor *tractatus de unione et proceſſione Spiritus S.*, ibidem.

§. CCLXXXI. Inter eos, qui ſeſe Latinis oppoſuerunt, eorumque opiniones refutarunt, fuerunt, praeter anonymos multos, Leoni Allatio de *conſenſu* etc. l. II. memoratos, de quibus etiam vid. Lambecius Biblioth-Caeſarea l. VIII., et Cotelerius monum. Gr. tom. II et III., praecipue ſequen-

tes. 1. *Theodorus Lascaris* junior, Inperator ab a. 1255. ad 1259., qui, res adversus Bulgaros feliciter tuitus, habitum induit monasticum, totus devotioni ejus temporis deditus, eruditus nihilominus, et studiorum patronus. Scripsit tractatum de *processione Spiritus S.* contra Latinos, cujus prologum exhibet Cave hist. Litter. 2. *Arsenius*, Autorianus dictus, ex Monacho Patriarcha CPolitanus, sub Theodoro Lascari juniore a. 1251., dein a Michaele Palaeologo, cujus ambitioni restitit, varie vexatus, ut ipse in *testamento suo* apud Cotelerium *monum. Gr.* tom. II. enarrat, tandem depositus, et relegatus est in exilium: unde schisma *Arsenianum*, vel Arseniatarum, est ortum, ad quod componendum scripsit tractatum Methodius Monachus, cujus Leo Allatius *de Methodiis* meminit. In *testamento* autem suo, modo citato, *inpietatem, et omnimodam perfidiam*, Latinorum taxat. Ceterum scripsit etiam Arsenius *Synopsin divinorum canonum*, in Bibliotheca Juris canonici Justelli tom. II. 3. *Germanus*, ex pio et erudito Monacho Patriarcha CPolitanus, Nicaeae residens, ab a. 1226., dein ob studium contra Latinos depositus, sed et restitutus postea. Scripsit non tantum contra Latinos, sed homilias ad crucis et imaginum cultum promovendum, denique duas epistolas ad Cyprios, publicatas a Coterio in monum. Gr. tom. II. 4. *Gregorius Cyprius*, ex Latinis quidem in Cypro natus, sed Graecorum fautor, et Patriarcha CPolitanus, in locum Josephi a. 1248. Veccum persecutus est, sed ipse postea idem passus est, et cedere debuit a. 1289. Scripsit plura contra Latinos, et Veccum; fuitque, ipsius Allatii judicio, vir acerrimi ingenii, eruditus, et eloquens, qui *elegantem Graecorum rythmum, et Atticam linguam*, verba sunt Nicephori Gregorae l. VI. c. 1., *longo jam tempore oblivionis gurgite demersam, ingenii dexteritate, ac singulari studio, in lucem produxit, et velut ab inferis revocavit.* 5. Denique *Georgius Moschomper*, Ecclesiae CPolitanae chartophylax: qui eodem tempore eandem egit causam. De quo vid. Leo Allatius in *Georgiis.*

STATUS

## STATUS ECCLESIAE GRAECAE.

§. CCLXXXII. Ex dictis facile elucescit, studia Graecorum praecipue fuisse versata in historia concinnanda, et capitibus controversis cum Latinis. Interea superstitio supremum hoc seculo adtigit inter Graecos quoque gradum; quod vel ex Germani sermonibus, respectu crucis, sanctorum, et imaginum, satis constat. Divisiones quoque et lites grassatae fuerunt variae et multiplices, vel sola schismatis cum Latinis historia, supra tradita, teste. Unde multa, ut solet, orta sunt mala. Vexati etiam sunt a Latinis, summam rerum tenentibus. Denique mores Graecorum fuerunt corruptissimi. Vid. Nicephorus Gregoras lib. VI. c. 5.

## NESTORIANI.

§. CCLXXXIII. De Nestorianis nihil suppeditat seculum nostra observatione dignum, nisi quod medio seculi in potestatem venerint Tatarorum, seu Mogulensium, ab a. 1257. et ab iis cum reliquis Christianis humanissime tractati sint, cum Tatari a Christiana religione non adeo fuerint alieni; ut ex superioribus constat.

## EUTYCHIANI.

§. CCLXXXIV. *Syro-Jacobitarum* historia cum nihil etiam notabile praeferat, nisi quod, sedente Ignatio, eorum Patriarcha, qui ab a. 1222. praefuit, missi fuerint ex Praedicatoribus et Minoritis ab Innocentio Papa, qui Jacobitas ad unionem cum Ecclesia Catholica reducerent, Ignatius vero et Maphrianus, litteris ad Papam datis, fidem Eutychianam professi sint, mentemque de Primatu Ecclesiae Romanae explicuerint, apud Raynaldum ad a. 1247., de celeberrimo inter ipsos viro, et insigni historico, *Gregorio Bar-hebraeo*,

etiam *Abulpharagio* dicto, quaedam sunt monenda. Vid. Asseman. Bibl. Orient. tom. II. Filius fuit Aaronis Medici, a. 1226. natus, indeque *Bar-hebraei*, seu filii Hebraei, cognomine insignitus. Primum fuit Episcopus Gubae, dein Lacabenae, seu Alepensis, denique Maphrianus, seu Primas Orientis ab a. 1264. ad a. 1286.; quando mortuus est. Vir fuit notitia linguarum Graecae, Syriacae, et Arabicae, nec non Philosophiae ac Theologiae, egregie inbutus, et scriptorum Jacobitarum facile princeps, fidei Christianae ad mortem usque tenax. Quod enim Ebn-chalicam, apud Pocockium, de Bar-hebraeo tradit, eum ad Muhammedanismum defecisse, vel falsum est, vel de alio similis nominis intelligendum. In fide fuit Monophysita, teste symbolo fidei ejus, quo duas agnoscit in Christo naturas, sine commistione et confusione, sed unam substantiam, personam, hypostasin, voluntatem, virtutem, et operationem. Graecis vero consensit in capite de processione Spiritus S. ex solo Patre, in eo a reliquis Syris discedens. Eam etiam fovit opinionem, quaestiones, quae Catholicos, Nestorianos, Jacobitas, et Monothelitas, dividunt, non esse de haeresi, sed puras Theologorum opiniones. Circa eucharistiam idem sensit quod Graeci, et antiquiores omnes, panem scilicet et vinum non esse natura et vere ipsum corpus et sanguinem Christi, sed propter gratiam Spiritus S., quae ipsis illabitur, quemadmodum humana natura unita est cum Divina. Peculiare habuit, animas justorum detineri in paradiso terrestri usque ad resurrectionem, statum quoque medium dari inter coelum et infernum, scilicet paradisum, in quo aeternum vivent, qui nec servantur, nec damnantur: quod variorum autorum testimoniis firmat; quos recenset Asseman. Ex operibus ejus, quae supersunt, praecipuum est Chronicon Arabicum, ab Adamo usque ad a. 1276., cujus pars prodiit titulo *speciminis historiae Arabum*, sive *de origine* et *moribus Arabum*, cum versione et notis Eduardi Pococki, dein integrum opus, sub titulo *Dynastiarum*, eodem interprete. Condidit praeterea *Chronicon Syriacum*

ab

ab orbe condito ad ſuam uſque aetatem, nondum editum: ex quo multa protulit Aſſeman., in ſpecie *epitomen hiſtoriae Syrorum Jacobitarum et Neſtorianorum.*

§. CCLXXXV. Bar-hebraeo adjungatur alius inſignis hiſtoricus *Georgius Elmacinus*, qui hiſtoriam Saracenicam conſcripſit, a Muhammede uſque ad initium inperii Atabacaei, per quadraginta novem Inperatorum ſucceſſionem; quae cum Erpenii verſione in lucem prodiit: multa vero inmixta ſunt ad res Chriſtianorum pertinentia, fuitque autor quidem Chriſtianus, ut ex hiſtoria ejus manifeſtum eſt, ſed qui de Muhammede, ejuſque lege, in meliorem ſubinde loquitur partem, ſive ex prudentia, vel timore, cum inter Muhammedanos fuerit verſatus, ſive ex proprio judicio.

## NAZARAEI VEL ASSISSINI.

§. CCLXXXVI. Inſigniti fuerunt hoc titulo homines, qui primum Muhammedani, dein facti ſunt Semi-Chriſtiani: unde Nazaraeorum nomen acceperunt. Chriſtiani enim, ex quo Syria a Muhammedanis fuit occupata, adpellati ſunt ab indigenis ſermone Arabico *Nazaraei.* Alterum autem nomen tuliſſe videntur ab Aſſaſſa, Tagritenſis ditionis regione. Originem eorum et hiſtoriam ex Bar-hebraeo narrat Aſſeman. Bibl. Orient. tom. II. Legendus quoque de ipſis, eorumque Domino, *Vetulo de montanis*, moribus horrendis, et converſione ad Chriſtianiſmum, dein defectione, et exterminio Fr. Pipinus in Chronico, inter ſcriptores Italiae Muratorii tom. IX. Nobis moras non licet trahere in re, ad ſcopum directe non pertinente.

# SECULUM DECIMUM QUARTUM.

## ECCLESIA OCCIDENTALIS.

### SCRIPTORES ET STUDIA.

§. CCLXXXVII. INter *Historicos*, a quibus initium sumo, primum jure tenet locum *Gulielmus Nangis*, seu de Nangino, Benedictinus S. Dionysii Parisiensis; qui Chronicon condidit ab orbe condito ad initium seculi; cujus fragmentum rerum Gallicarum edidit Pithoeus, inter *duodecim scriptores coaetaneos*, continuationem vero Sigeberti Gemblacensis ab a. 1113 ad a. 1300., cum duabus continuationibus aliis, ab a. 1301 ad 13[illegible]7., Dacherius in *spicilegio* tom. III., denique gesta Ludovici IX., Francorum Regis, ejusque filiorum, Philippi Audacis, et Roberti; Pithoeus inter *undecim scriptores*, nec non Du Chesne, seu Quercetanus, in historia Franciae tom. V. Cujus ejusdem temporis et professionis fuit *Henricus Stero*, Benedictinus Altaichensis, in Bavaria inferiore, qui *annales* concinnavit ab initio Frederici Barbarossae a. 1152 ad a. 1305., quos una cum continuatione Eberhardi ab a. 1273 ad a. 1305. exhibent *Antiquae Lectiones* Canisii tom. IV. Scripsit quoque gesta Rudolphi Habspurgensis, Adolphi Nassovii, et Alberti Austriaci, ab a. 1266 ad a. 1300.; quam historiam continuarunt Udalricus Welling, ejusque frater Conradus, Monachi Augustani, usque ad a. 1335. inter scriptores German. Freheri tom. I. Floruit etiam eo tempore *Ptolemaeus Lucensis*,

*censis*, ex civitate Italiae Luca, ordinis Praedicatorum, dein Episcopus Torcellensis, in ditione Veneta, ab a. 1318. autor *annalium Ecclesiasticorum et Politicorum* ab a. 1060. ad a. 1303., nec non *Chronici* Pontificum et Inperatorum. Quod utrumque opus lucem vidit a. 1619., et annales seorsim in Biblioth. Patrum. tom. XXV. Historia vero ejus *Ecclesiastica*, antea non edita, exstat inter scriptores Italiae Muratorii tom. XI., in rebus anterioribus nullius, sed sequentium temporum majoris, pretii.

§. CCLXXXVIII. *Siffridus*, vel Sigfridus, Presbyter Misnensis in Saxonia, Chronicon condidit ab orbe condito ad a. 1307., cujus epitome, a Georgio Fabricio primum edita, recusa est inter scriptores German. Pistorii tom. I. Vixit etiam hoc seculo *Ferretus Vicentinus*, nonnullorum carminum autor, et litterarum promotor, qui historiam rerum, praecipue in Italia gestarum, scripsit a morte Frederici II., seu ab a. 1250. ad a. 1318., satis fideliter, nemini parcens, et eleganter. Primus vulgavit, sed e vitioso codice, Muratorius Scriptor. Ital. tom. IX. Similis farinae historicus est *Johannes de Cermenate*, notarius Mediolanensis, autor gestorum, in primis sub Henrico VII., ibidem, altera vice a Muratorio publicatus. Celebris etiam fuit tempore Ferreti alter litterarum cultor, poeta, et historicus, *Albertinus Mussatus* Patavinus, plebeji quidem ordinis, sed ad praecipua Reipublicae negotia admotus. Opera ejus, inter quae praecipua historica, ex. gr. de gestis Henrici VII., et Italicorum post eum, ut et Ludovici Bavari, novissime et curatius sunt in lucem emissa cura Muratorii Scriptor, Ital. tom. X. *Aythonus*, vel Haitonus, regis Armeniae ejus nominis nepos, regulus provinciae in Georgia, dein, post operam militiae sacrae contra Saracenos praestitam, Monachus Praemonstratensis, exaravit historiam *Orientalem*, et de Tartaris a. 1305: cui *passagium* terrae sanctae adnectitur: quod eo tendit, ut *passagium*, seu iter, in terram sanctam suadeatur. Prodiit cum Paulo Veneto haud una vice.

§. CCLXXXIX. *Nicolaus Trivethus*, ex Patre equeſtris ordinis Anglo natus, Dominicanorum Londini Prior, a. 1328. mortuus. Scripſit, praeter alia, hiſtoriam Plantageniſtarum, ſeu ſex Regum Angliae, a Comitibus Andegavenſibus originem ducentium, ab a. 1136. ad a. 1307., admixtis rebus Pontificum et Inperatorum, ac Regum Galliae. Edidit Dacherius in Spicilegio tom. III. Sed caſtigatius Antonius Hallus Oxon. a. 1719. *Marinus Sanutus*, patricius Venetus, cognomento *Torſellus*, quod, ope Germani cujuſdam, in Eccleſiam introduxit organa pneumatica, Italis Torſellos dicta, quorum hodie uſus eſt; clarus praeterea quinque itineribus in Palaeſtinam et Orientem. Scripſit *ſecreta fidelium crucis* tribus libris; quibus de terrae ſanctae recuperatione agit, et conſervatione, ejuſque hiſtoriam a primis incolis ad ſua uſque tempora deducit, ſeu ad a. 1320, una cum Palaeſtinae, et vicinarum regionum, deſcriptione, additis mappis Geographicis. Exſtat in *Geſtis Dei per Francos* Jacobi Bongarſii, calci adnexis Epiſtolis Marini. *Gulielmus de Baldenſel*, vel Boldenſleve, nobilis Germanus, *itineris* ſui in terram ſanctam, quod, ordini Praedicatorum nuncio miſſo, ſuſcepit, hiſtoriam ſcripſit; in *Antiquis Lectionibus* Caniſii tom. IV.

§. CCXC. *Petrus de Duſburg*, ordinis Teutonici frater et ſacerdos, poſteritati reliquit *hiſtoriam Pruſſiae, et ordinis Teutonici*, ab a. 1192. ad a. 1326., editam cum notis et diſſertationibus a Chriſtophoro Hartknochio, *Gualterus Hemmingſdorfius*, Anglus, *chronicon* de geſtis Regum Angliae, dedit, ab a. 1066, ad a. 1273., a Galeo editum, ut et de rebus Eduardi I. II. et III. ab a. 1273. ad 1308., publicatum a Toma Hearne, *Johannes de Beka*, Belga, canonicus Ultrajectinus, concinnavit chronicon Epiſcoporum Trajectinorum, et Comitum Hollandiae, a Wilbrordo uſque ad a. 1346., ab aliis poſtea continuatum. Edidit cum notis Bernardus Furmerius, Leovardienſis, dein emendatius et plenius Arnoldus Buchelius, qui et alia adjecit. *Henricus*, Auguſtinianus Monachus in dioeceſi Aicthſtadienſe, annales Regum Germa-
[illegible] niae

niae condidit ab a. 1295. ad a. 1362., editos a Frehero inter ſcriptores Germaniae. *Matthaeus Weſtmonaſterienſis*, Benedictinus, *flores hiſtoriarum* contexuit a M. C. ad a. 1307, unde *florigeri* nactus eſt nomen: quod opus ab aliis eſt continuatum, et a Parkero, Archiepiſcopo Cantuarienſi, editum. *Gulielmus Thora*, Benedictinus, quoque Anglus, coenobii Cantuarienſis chronicon compoſuit de *geſtis Abbatum* S. Auguſtini Cantuarienſium, ab Auguſtini in Britanniam adventu uſque ad a. 1397., inter ſcriptores hiſtoriae Anglicanae, Rogero Twyſdeno, et Johanne Seldeno, editoribus. Ubi etiam exſtat *Henrici Knigthoni*, canonici Regularis Leiceſtrienſis, egregii hiſtorici, Chronicon de *eventibus Angliae* ab a. 950. ad a. 1395.

§. CCXCI. Praeter hiſtoriae ſtudium coeperunt quoque Litterae humaniores, quae longo tempore jacuerant quaſi ſepultae, reſuſcitari. Linguae *Latinae* ſtudium excoluerunt Dantes Aligerius, Franciſcus Petrarcha, Johannes Bocatius, alii. *Dantes* fuit Florentinus, et Oratoris munere functus apud Bonifacium VIII., Guelforum vero et Nigrorum factionibus Florentia ejectus, obiit exul Ravennae a. 1321. Illuſtravit autem multis ſcriptis linguam Hetruſcam. Notiſſimum, et celebre, eſt opus ejus de Inperio ſuperiore Eccleſiis, etiam Romana, nec a Papa, ſed Deo, pendente, varie editum: cujus cauſa locum meruit inter haereticos. Protulit et alia Papiſmo adverſa, quae Mornaeus in *myſterio iniquitatis* non neglexit producere, uti, quod Papa de paſtore lupus evaſerit, Scriptura S. miſere torqueatur, et traditiones obtineant primas, in cathedra variae quaeſtiones, et merae fabulae, audiantur: taxat quoque indulgentias. etc. Plura de ipſo vid. apud Baelium in Lexico. Iiſdem veſtigiis inſtitit alter linguae Hetruſcae et Latinae ſtator, Aligerii diſcipulus, *Franciſcus Petrarcha*, Florentinus, rhetor et poeta celeberrimus, qui, Trithemii judicio, *humaniores diſciplinas, poſt longa ſilentia mortuas ab inferis revocavit ad ſuperos, non minus ſancta converſatione, quam ſcientia clarus.* Me-

ruit laurea poetica coronari in capitolio Romano a Gubernatoribus urbis a. 1341. Delituit autem primum in amoena quadam Galliae valle, quam *clauſam* vocant, haud procul Avenione, ſtudiis operam dans; dein Clericus, et Archidiaconus Parmenſis, denique Canonicus Patavinus, defunctus eſt fere ſeptuagenarius a. 1374. Scripſit varia, ut poemata, epiſtolas, aliosque tractatus: in quibus multa occurrunt de corruptione ſui temporis, in ſpecie, aulae Romanae: quam vivis depingit coloribus, imo Babylonem, et meretricem, Apocalypticam diſerte adpellat. Vid. Mornaeus l. cit. Diſcipulus ejus, ipſi merito adjungendus, fuit *Johannes Boccatius*, natus Certaldi in Thuſcia, et a. 1375. ibi mortuus. Propenſior cum eſſet ad obſcoena carmina, fertur cum mortis praedictione abſterritus a S. Petro Patrono, in actis ſanctorum Maji; utique in Latinis ejus ſcriptis nulla hujus nequitiae reperiuntur veſtigia. Sunt autem Genealogiae Deorum, de montium, ſylvarum, etc., nominibus, de claris mulieribus, de caſibus virorum et foeminarum illuſtrium etc.

§. CCXCII. Graecae linguae ſtudium inter Latinos revocavit, poſtquam per ſeptingentos annos in Italia prorſus neglectum jacuiſſet, *Michael Chryſoloras*, qui a Johanne Palaeologo miſſus in Occidentem, ut Latinorum contra Turcas inploraret opem, ibi manſit, variisque in locis habuit Graecae linguae inſtitutiones, ut Venetiis, Florentiae, Romae et Ticini, variis etiam poſt ſe relictis diſcipulis. Fuit origine Romanus, patria Byzantinus, ex illuſtri ſtemmate, clarus circa 1389., et mortuus Conſtantiae, quo tempore famoſum illud concilium Conſtantienſe celebratum eſt, a. 1414., ubi ejus quoque legitur epitaphium. Scripſit, praeter artis Grammaticae regulas, comparationem Veteris et Novae Romae, nec non epiſtolas, ad calcem Codini de *Antiquitatibus CPolitanis*, denique tractatum de *proceſſione Spiritus S.* contra Graecos. Linguae Hebraeae notitia inbutus *Porchetus Salvaticus*, ex illuſtri Salvaticorum gente, qui, incertae licet aetatis, hujus videtur eſſe ſeculi, ſcripſit, Raymundi

mundi Martini, qui *pugionem fidei* superiore seculo dedit, vestigia tenens, opus contra Judaeos, cui titulus *victoria*, editum ab Augustino Justiniano, sed a Galatino, sub finem sec. XV. compilatum.

§. CCXCIII. Missis scriptoribus de jure civili et Canonico aliis, duo tantum memorabo, qui de *ordine Romano*, seu caeremoniis Ecclesiae Latinae, exposuerunt, a Mabillonio itin. Ital. t. II. publicatos, *Jacobum Cajetanum*, Cardinalem, et *Petrum Amelium*, Senogallensem Episcopum; ex quibus rituum Ecclesiae notitia est petenda. Inter scripturae S. interpretes, ut ad eos et Theologos veniam, primum merito tenet locum *Nicolaus de Lyra*, vir Hebraice perdoctus, et litteralis scripturae commentator, vanissimis et allegoricis interpretationibus explosis. Fuit Normannus, Lyrae in dioecesi Ebroicensi natus, sed num e parentibus Judaeis, postea conversis, originem duxerit, quod nonnulli tradunt, incertum, si non falsum, est, e studio ejus in Rabbinicas litteras ortum, cum, ex-Judaeum eum fuisse, nullo pateat testimonio, vid. Saubertus in *Palaestra*, nec simile quid in ejus epitaphio, quod exhibet Fabricius in Bibliotheca, occurrat. Professus inter Franciscanos nomen a. 1291., postea Parisiis Magister Theologiae creatus, ibi docuit; Doctor planus et utilis cognominatus, et mortuus est ibidem valde senex a. 1340. Praestitit autem se per scripturae commentarium, litteralem passim sectatus sensum, celeberrimum, per sequentia quoque secula. Scripsit *postillas perpetuas*, seu brevia commentaria, in totam Scripturam, a. 1292. incepta, et a. 1330. absoluta, notabili admodum clausula, quam recenset Baluzius tom. I. *Paparum Avenionensium*, qua inter libros canonicos et non canonicos eodem modo, quo solent Protestantes, distinguit. Utitur saepe Salomonis Raschi commentariis, seseque in rebus Judaicis demonstrat bene versatum; verum in Novo Test. explicando minus eruditum et exactum, adcuratiorem tamen in locis Vet. Test., quae in Novo citantur, exponendis, secundum duplicem

 sensum

sensum, typicum et antitypicum, quem utrumque litteralem, seu vere intentum, adpellat: inmiscet praeterea subinde quaestiones Philosophicas et Theologicas. Exstant *postillae* in Bibliis, sic dictis, Glossatis, una cum glossulis, tum marginalibus Anselmi Laudunensis, tum interlinealibus ordinariis Hugonis a S. Caro, et Walafridi Strabi, nec non additionibus Pauli Burgensis, et Replicis Doeringii: subjuncti quoque, ad calcem postillarum sunt Lyrae nonnulli tractatus contra Judaeos, ad veritatem religionis Christianae demonstrandam. Alia ejus scripta praetereo. Ceterum, quod non erat negligendum, multa in Lyrae postillis sese offerunt, quae saniorem redolent fidem, quarum aliqua reperiuntur excerpta in Biblioth. Bremensi cl. II., unde vulgatum illud dictum:

*Si Lyra non lyrasset, Lutherus non saltasset.*

§. CCXCIV. Agmen Theologorum ducat, qui ad scripturae Interpretes etiam pertinet, quod eam in linguam Gallicam, ipsius Caroli regis jussu, verterit, *Nicolaus Oresmius*, Normannus, eruditus non tantum Theologus, sed et Philosophus ac Mathematicus, qui Carolum, Galliae regem, postea sapientem dictum, erudivit. Theologus Parisiensis factus, gymnasium Navarreum suscepit regendum a. 1356., dein Lexoviensis Episcopus ab a. 1377. Obiit a. 1382. Vid. Launoius, in *historia gymnasii Navarrei*, de ipso, ejusque scriptis. Celebris est ejus oratio ad illud Jesaiae *juxta est Salus mea, ut veniat* etc., habita coram Urbano V., et Cardinalibus, in qua de vitiis curiae Romanae, et Cleri, liberrime disserit. Exstat in *catalogo testium veritatis.* Notanda etiam est ejus epistola *Luciferi ad Praelatos Ecclesiae*, quam edidit quoque Flacius, et Wolfius in *memorabilibus.* Nec nullius est tractatus ejus de Antichristo, ejus ministris, adventu, et signis, apud Martene Monument. tom. IX. *Tomas Bradwardinus*, Anglus, in dioecesi Cicestriensi natus, et Oxonii in collegio

Merto-

Mertonenſe educatus, poſtea Theologiae Doctor creatus; dein, poſt longiorem in aula Stratfordi, Archiepiſcopi Cantriarienſis, moram, confeſſionibus Eduardi III. Regis praefectus, eum arma victricia per Galliam circumferentem ſecutus eſt, tanta pietatis fama clarus, ut fuerint, qui dixerunt, victorias eſſe ipſius pietati acceptas ferendas. Denique Archiepiſcopus Cantuarienſis electus eſt, ſed ante conſecrationem mortuus a. 1340. Summus fuit habitus Mathematicus, et Theologus, qui etiam Theologica primus tractavit methodo Mathematica, dictus *Doctor profundus*. Celeberrimum condidit opus de *cauſa Dei et praedeſtinatione*, contra Pelagianos, quorum tantam dicit in *praefatione* ſuo tempore fuiſſe per Eccleſias copiam, ut Catholicorum copiam longiſſime ſuperaverit; editum, cura Henrici Savilii, Londini a. 1618. Sed ipſe in alterum extremum videtur praecipitatus, dum Deum fecit omnium actionum cauſam efficientem, et inmediatam, libertati hominis nullo fere loco relicto. Vid. theſes ejus, ad calcem operis, quae ejus ſummam comprehendunt.

§. CCXCV. Theologiae, ſic dictae, Spiritualis, ſeu myſticae, inſignis promotor fuit *Johannes Taulerus*, natione Germanus, Ordinis Dominicanorum in conventu Colonienſi monachus. Floruit circa medium ſeculi, et ſcriptis ac concionibus in eo totus fuit, ut homines ab externa adduceret ad internam devotionem; indeque pro Theologiae myſticae, ac vitae interioris, magiſtro habitus, et Theologus *illuminatus* dictus. Obiit Argentorati a. 1362. Lutherus epiſt. XXIII. de ipſo faſſus eſt, ſe *neque in Latina, neque in Germanica, lingua, vidiſſe Theologum ſalubriorem, et cum Euangelio conſonantiorem.* Quam ipſam ob cauſam Eckius, famoſus ille Lutheri adverſarius, minus honorifice eſt de Taulero locutus, quem ſomniatoribus et viſionariis adnumerat. Sed Ludovicus Bloſius, Laetienſis Abbas, eum in *apologia* pro ipſo multis defendit. Opuſcula ejus, ex lingua Germanica in Latinam tranſlata, publicavit Laurentius Surius. Plura de ipſo ſuppe-

ditat Staupelius, in *memoria Tauleri instaurata.* Similis plane generis vir fuit *Johannes Ruysbrokius*, etiam Germanus, Prior canonicorum regularium Viridis Vallis, in Brabantia Cameracensis dioecesios, dictus Doctor *Divinus* et *ecstaticus*, et alter Dionysius Areopagita; mortuus a. 1381. Postea haeresios a Gersone accusatus, sed a Surio defensus est, qui etiam multa ejus opuscula mystica e lingua Belgica in Latinam vertit. Est vero idem, qui Johannes Rusberus, et Rusbachius, adpellatur.

§. CCXCVI. Succedant Scholastici, quorum cum hoc seculo princeps fuerit *Johannes Duns*, *Scotus*, ab eo ordiar. De ejus patria, licet Angli, Scoti, et Hiberni certent, probabilius tamen est, eum fuisse Anglum, Dunstonae in Nordhumbria natum, ut ex Warthone ad Cave hist. Litter. patet. Praeceptorem habuit Gulielmum Verum, seu Guarronem; quod alii addunt, ut Trithemius, Alexandrum Halensem, est in incerto. Studiorum cursu summa cum laude absoluto, et in omni scientiarum genere princeps, successit praeceptori, Parisios evocato, in cathedram Theologicam Oxoniensem, in primordiis seculi, tantoque cum adplausu docuit, ut plusquam triginta scholarium millia ad ipsum confluxisse dicantur. Dein a sociis Franciscanis, erat enim Minorita, Parisios accitus, ibi non minore cum laude docuit ab a. 1304. Denique Coloniam a Minoritarum Generali translatus a. 1308., et solenni susceptus pompa, apoplexia eodem anno correptus, et e vivis ablatus est. Tradunt nonnulli, eum, nimis cito, tanquam mortuum, sepultum, et ad se reversum, edito frustra mugitu, et diu pulsato lapide, tandem, capite eliso, periisse: sed, illud fabulis esse accensendum, non sine ratione disputat Waddingus in *Annalibus Minoritarum*, et in vita Scoti, operibus praefixa. Nec aliae desunt fabulae de ipso, ut 1. quod ad inmaculatam conceptionem Mariae adserendam fuerit Parisios evocatus, eamque 200 argumentis evicerit, ita ut festum ejus ab eo tempore institutum, et facultatis Parisiensis de-

cretum formatum fuerit, neminem ad gradus Scholasticos esse admittendum, qui non ante juraverit, se inmaculatam conceptionem esse defensurum. Illud enim juramentum non nisi seculo sequente, post concilium Basiliense, introductum est, et nullus aequalium, aut antiquorum, ejus meminit; quid? quod ipse Scotus alibi, in III. *sententiarum* distinct. 3. meticulose de ea sententiam dixerit; inmaculatam conceptionem, tanquam perfectiorem, esse *probabilem* statuens, modo ea opinio non sit Script. S., et Ecclesiae autoritati, contraria. 2. Quod Coloniensem fundaverit Academiam; cum illud demum sub Urbano VI. a. 1388. factum sit. Vid. Middendorpius de Academia Coloniense. Ante Scotum quoque publicae ibi in usu fuerunt lectiones, et Schola illa per Albertum M. ac Tomam Aquinatem celebris esse coepit. Ceterum celeberrimum fuit Scoti nomen, mansitque diu. Praeterquam quod *Subtilis* doctoris titulum meruerit, multorum operum, quae duodecim voluminibus in fol. edita sunt a Waddingo, quae Philosophica continent et Theologica, autor haberi solet: *Realium* quoque condidit, vel promovit, sectam, et scholam Scotistarum, jam ante a. 1320. erectam, a quo tempore Scotistae et Tomistae divisi, et secum collisi, sunt; de quo postea.

§. CCXCVII. Discipulus ejus *Gulielmus Ockam*, Magistro licet in multis oppositus, et *Nominalium* praecipuus autor, gente fuit Anglus, in vico ejus nominis natus. Cathedram Theologicam tenuit in seculi initio Parisiis, et Philippi Pulchri causam contra Bonifacium VIII. Papam strenue est tuitus, edito dialogo de *Potestate Ecclesiastica et seculari*. Deinde Minoritarum, cui Ordini adscriptus fuit, Provincialis in Anglia factus a. 1322. conventui eorum generali, Perusii habito, interfuit, in quo celebre illud conditum est decretum, sanam et orthodoxam esse doctrinam, Christum et Apostolos nihil, aut proprium, aut in communi, possedisse. Quam paupertatem et ipse contra Johannis XXII. Papae decreta fortiter ubique defendit, donec a Papa fuerit

sub anathemate ad silentium compulsus. Inde in Galliam secedens causam Ludovici Bavari egit contra Papam, ejusque ambitionem et errores acriter perstrinxit. Quare anathemate percussus a. 1330. ad Inperatorem confugit, in cujus aula consenuit, in partibus ejus defendendis perseverans, Inperatorem quoque, si vera narrat Trithemius, saepe his verbis adhortatus, *tu me defendas gladio, ego te defendam calamo.* Defunctus est Monachii a. 1347., variis relictis operibus, quae, praeter Philosophica, maximam versantur partem in potestate seculari, et paupertate Monachali, tuenda contra Papam, apud Goldastum in *Monarchia Inperii* obvia. Faverunt quoque ei Nominales Parisienses, et Johanni XXII. sese praestiterunt adversarios, in articulis ad Ludovicum missis, cum Rex Ockami et Nominalium doctrinam condemnari jussisset: qui a Baluzio in Miscellan. tom. IV. exhibentur. Ockamum vero sub vitae finem resipuisse, et a censuris absolutum esse, tradit Trithemius, et ex litteris Clementis VI. confirmat Waddingus in *Annalibus Minoritarum*: quod suo relinquo loco. Ceterum elogio et titulo *Venerabilis inceptoris*, *Doctoris singularis et invincibilis*, ornatus est.

§. CCXCVIII. Eandem causam egit, eadem quoque subiit fata, *Michael Caesenas*, Italus, ac ordinis Minoritarum Generalis ab a. 1316., qui, conventu Ordinis Perusii coacto a. 1322., sententiam Minoritarum de paupertate Christi, et usu ac dominio rerum, a Johanne Papa condemnatam, comprobavit. Deinde et ipse sese Ludovici partibus adjunxit, et ad ipsum, cum anathemate ictus et depositus esset a Papa, recepit, a partibus suis tuendis nihil remittens, quin Johannem haeresios accusans. Obiit Monachii in Bavaria a. 1343. Prostant tractatus ejus contra haereses et errores Johannis apud Goldastum l. cit. tom. II. Scripsit quoque commentarios in Scripturam S, et Romanam Ecclesiam vocavit Antichristianam, Babylonem mysticam, etc. ipsius Petri Apostoli principatum quoque confutavit.

*Franciscus*

*Franciſcus Mayronius*, Scoti etiam, ſed fidelior, diſcipulus, natione Gallus, ex ordine Minorum Academiae Pariſienſis, primum *baccalaureus*, dein Doctor creatus, claruit circa a. 1315., quo fere tempore primus introduxit *actum*, ſic dictum, *Sorbonicum*, quo, aeſtivo tempore, ſingulis diebus Veneris, ab ortu ſolis ad occaſum, ſive a ſexta matutina ad ſextam veſpertinam, ſine ulla requie, ſine cibo et potu, ab uno reſpondente, abſque Praeſide, diſputatur contra multos opponentes. Dictus autem eſt Doctor *illuminatus* et *acutus*. Catholico-Romanis autem male audit, quod ſuperabundantem Chriſti et ſanctorum defunctorum theſaurum in dubium vocaverit IV. ſentent. diſtinct. 29. Operum ejus catalogum contexuit Waddingus l. cit.

§. CCXCIX. Dominicani Ordinis celeberrimus Doctor, *Durandus a S. Porciano*, Gallus, in oppido, a S. Porciano Abbate adpellato, et Arvernorum Boiis proximo, natus eſt. Doctor vero Pariſiis creatus, poſtea in Italiam profectus, a Johanne XXII. S. Palatii magiſter a. 1323. conſtitutus, Sacras explicuit Litteras. Dein Meldenſis, mox Anicienſis, ſeu Bodienſis, Epiſcopus obiit a. 1333. Scripſit, praeter librum de Juriſdictone, commentaria ad quatuor libros *ſententiarum*, ſed a Tomae doctrina haud parum diſceſſit. In praefatione, quod notandum, duo ponit principia, unum *ſcripturam* de rebus fidei et myſterii, dubiorum tamen locorum Scripturae S. interpretatione ad Romanae Eccleſiae deciſionem rejecta, *alterum*, in rebus ad fidem non pertinentibus ſolam *rationem*, repudiata hominum ac quorumvis Doctorum autoritate. Refutavit quoque errorem Johannis XXII. de *ſtatu animarum*, de quo poſtea. Quam ob cauſam citatus a Papa, ſed defenſus, eſt per Regem Franciae; ut Cornelius Zantfliet in Chronico a. 1334. refert apud Martene Monument. tom. V. Dictus eſt Doctor *reſolutiſſimus*. Nomen etiam adeptus eſt *Petrus Aureolus*, Doctor *facundus* adpellatus, ex Profeſſore Theologiae Pariſienſi Archiepiſcopus Aquenſis in Gallia a. 1321. Scripſit, praeter com-

mentaria in libros sententiarum, tractatum de inmaculata conceptione Mariae, breviarium Scripturae S. etc. *Johannes Baconus*, seu Baconthorpius, a pago agri Norofolciensis in Anglia, unde oriundus est, sic dictus, Carmelitarum in Anglia ab a. 1329. Provincialis, Doctor *resolutus* adpellatus, et Princeps Averroistarum habitus, mortuus a. 1346. multorum scriptorum fuit autor, quorum aliqua tantum lucem adspexerunt, ut ex. gr. de fide et baptismo, compendium legis Christi et vitae Christianae, commentar. in libros sententiarum, etc. *Petrus de Palude*, seu Paludanus, Burgundus, Ordinis Praedicatorum Professor, dein Patriarcha Hierosolymitanus ab a. 1329., defunctus est a. 1342. Fuit praecipuus autor judicii facultatis Parisiensis de *visione beatifica* contra Johannem XXII., apud Launoium in historia *gymnasii Navarrei.* In ea quoque fuit opinione, sigillum secreti in confessione auriculari se ad peccata tantum extendere, non ad ea, quae ad veritatis manifestationem faciunt, adeoque ea revelari posse. Quod Catholico-Romani in eo carpunt. Scripsit in libros sententiarum, Scripturam S., de causa inmediata Ecclesiasticae potestatis, et contra paupertatem omnimodam Minoritarum etc.

§. CCC. Reliquis omissis, cum omnes recensere nec liceat, nec scopo conveniat, in *Raymundo Lullo*, haud uno nomine celebri viro, desinam. Fuit Majoricensis, ex insula Majorica apud Baleares, primo mercator, et vitae infamis, dein inopinato aliquo casu ad meliorem mentem et vitam conversus, sese Minoritis adjunxit, totumque tradidit studiis linguarum, Philosophiae, et aliarum scientiarum ac artium. Magno autem studio infideles convertendi flagrans, plus una vice Africam adiit, ut Saracenis fidem persuaderet, sed magno suo damno, donec ultima vice adeo fuerit excruciatus, ut brevi occubuerit a. 1315. Cui studio etiam acceptum ferendum est, quod linguarum Orientalium scientiam ubique conatus fuerit introducere, et ad expeditiones cruciatas in Palaestinam omnes excitaverit, licet frustra.

tra. Ceterum diverſa admodum judicia de ſe peperit. Alii enim eum haereticis, hiſtrionibus, circumforaneis, et nugivendulis accenſent, ut Bzovius, alii ſanctorum et martyrum albo inſcribunt, et ab alio Raymundo, autore librorum de *ſecretis naturae*, de *alchymia*, et *invocatione daemonum*, errorumque illis comprehenſorum, diſtinguunt: quod pluribus contendit Waddingus in Annal. Minorum; qui tamen longe abeſt ab elogiis, quae ſectarii Raymundi ſatis inepte ipſi dant: a quibus adpellatur Doctor *illuminatiſſimus*, *tuba Spiritus S.*, *organum Dei*, *fons veritatis*, *Eccleſiae reſtaurator*, etc. Imo non verentur adſerere Lulliſtae, Vetus Teſtamentum eſſe Patris, Novum vero eſſe Filii, ſed doctrinam Lulli eſſe Spiritus S., omnes porro Theologos eſſe, tempore Antichriſti, a fide defecturos, et tunc veram fidem per doctrinam Lulli eſſe reſuſcitandam, eam autem doctrinam per revelationem haberi, et a ſolis Lulliſtis intelligi: etc. Verum et ex mea eſt opinione, autorem libri de *ſecretis naturae* etc. non eſſe hunc Lullum, ſed alium Raymundum de Terraja, alias Neophytum dictum, ex-Judaeum, gravium errorum doctorem, quos ex Eymerico repraeſentat Natalis Alexander; ſed nec illud negari poteſt, ex Raymundo Lullo varias quoque res et phraſes erroneas ac haereticas ab eodem Eymerico eſſe collectas, quae Gregorio IX. Papae exhibitae, et ab eo, poſt examen a Theologis inſtitutum, damnatae ſunt, edito diplomate a. 1376., quos errores idem Natalis recenſet. Verſantur circa Trinitatem, purum Dei amorem, ſine ſpe remunerationis, hominiſque deificationem, et quae alia ſunt Quietiſtarum placita. Videtur vero Lullus fuiſſe fanaticus, quique prae ſe tulit, ſe artem et doctrinam generalem accepiſſe in quodam monte, ubi ſeſe Chriſtus ipſi manifeſtum fecit. Interea ipſa illa ars Lulliana hominem ſapit meditationibus ſubactum, et ingenioſum; cujus conſpectum dedit Alſtedius in *clavi artis Lullianae*, et Morhovius in Polyhiſt. l. II. Eſt autem artis praecipuus uſus in dicendo, verſaturque ipſa ars

in subjectorum et praedicatorum connexione, seseque ad omnes porrigit scientias. Dictis subjungo, excerpta Eymerici ex libris Lulli fidem per omnia non mereri, cum et eo tempore multi fuerint conquesti, examen ejus librorum minus exacte et fideliter esse factum, novumque petierint, teste Regis Arragonum Petri epistola ad Papam a. 1371.: accedit, maximam partem quidem, sed non omnia, esse erronea. Illud porro in Lullo valde fuit laudabile, quod haereticorum supplicio capitali sese palam opposuerit, licet illud ipsum inter haereticas ejus opiniones fuerit relatum.

§. CCCI. Ex hoc qualicunque scriptorum catalogo cum, quo in statu fuerunt hoc seculo studia, facile elucescat; paucis defungi potero. Exculta fuerunt, quovis in scientiarum genere, magno ardore; renovata in specie studia, sic dicta, humaniora, et linguarum Orientalium: maxime post decretum Synodi Viennensis a. 1311., quo statutum est, ut linguae Orientales, Hebraea, Arabica, et Chaldaea, in scholis docerentur. Sicut et Graecae linguae studium per Chrysoloram fuit in Occidentem invectum. Parisiensem Academiam talibus viris fuisse ornatam, qui has linguas professi sunt, ex epistola Johannis XXII. ad Cardinalem, legatum Parisiis agentem apud Carolum Pulchrum a. 1325., constat. Litterarum Hebraicarum studium quoque in Academia Oxoniense viguisse, annales ejus testantur. Praeterea novae Academiae plures huic seculo debent originem suam. In Gallia fuit erecta *Andegavensis* a Ludovico II. Duce, *Aurelianensis* sub Philippo Pulchro; cujus quoque conjux Johanna, Navarrae regina, testamento instituit collegium *Navarrenum*, in et sub Parisiensi Academia, in quo Grammaticalia, quaeque ad Logicam, Philosophiam, et Theologiam pertinent, tractarentur: cujus notitiam dedit Launoius in *historia collegii Navarreni.* Chartam quoque edidit Johannes, Rex Francorum a. 1351., apud Baluz. Pap. Avenion. t. II. c. 162. in gratiam magistrorum, baccalariorum, et scholarum facultatis Theologiae, Universitatis Montis-pessulani, qua in specie, quod

quod notandum, *Bedellis* conceditur, dum officium exercent, *virgas argenteas, vel alias, quas voluerint, tenere et portare* etc. In Anglia Cantabrigiensis condita est per Eduardum Regem, et Papam Johannem XXII. In Italia *Pisana* et *Ferrariensis*, in qua priore docuit Bartolus, *lucerna juris* dictus: in Bohemia *Pragensis*, ad normam Parisiensis, teste diplomate institutionis sub Carolo IV. Inperatore et Papa Urbano V: in Polonia *Cracoviensis* florere sub Uladislao Rege coepit: in aliis Germaniae regionibus conditae sunt *Coloniensis*, seu Agrippinensis ab Urbano VI., *Erfordiensis* Thuringiae a Bonifacio IX., denique celeberrima illa *Heidelbergensis* a Ruperto Seniore, Duce Bavariae et Comite Palatino Rheni, ad normam Parisiensis, ab Urbano VI. a. 1385. per bullam confirmata: in qua primus Scripturae S. Professor fuit Marsilius ab Ingen, Doctor Parisiensis, et Canonicus, primus quoque Academiae Rector a. 1386., qui annus censetur Academiae natalis. Scripsit Commentarios in *libros sententiarum*.

§. CCCII. Sed studia Theologica per Scholasticos magis magisque fuerunt depravata. 1. Incidit in hoc seculum *tertia*, et ultima, aetas Scholasticorum, post Durandi in primis tempora, non tam in eo sita, quod nova adoptaverint principia, nisi quod Aristotelis fere sola viguerit autoritas, quam, quod curiositas ineptarum quaestionum, decidendi audacia et temeritas, dialecticae denique tricae, nullum tenuerint modum. Quas supervacuas subtilitates et quaestiones in Theologis ipse Papa Johannes XXII. perstrinxit, data ad Academicos epistola apud Raynaldum a. 1317., sicut et Clemens VI. litteris ad Parisienses a. 1346. Posset ineptarum, saepe profanarum, quaestionum prolixus texi catalogus, sed speciminis loco hae sufficiant: *quomodo Deus diligat contraria, et quomodo non existentia? utrum possibilis sit propositio, Deus odit Filium? utrum Deus possit aliqua distincte intelligere, si ad illa non habeat distinctas relationes rationis? an hae, et similes, propositiones, Deus est upupa, est scarabaeus, aeque possibiles sint, ac ea, Deus est homo? utrum naturam mulieris, asini, ser-*

 *pentis*

*pentis, vel columbae, Christus potuerit aut debuerit adsumere? utrum Deus possit homini damnationem revelare? utrum factum reddere infectum? utrum universale conservare sine particulari? utrum Deus, an homo, an ex utroque unum sit Papa Romanus?* Alia similia infinita mitto. 2. Insana superbia hos homines transversos egit; ut ex disputationibus, decisionibus, et titulis, satis elucescit. Dicti sunt, acuti, subtiles, singulares, illuminatissimi, invincibiles, resolutissimi: et qui sunt alii, supra notati.

§. CCCIII. 3. Variae denique factiones eos diviserunt, et secum commiserunt. Divisi fuerunt ex. gr. in Nominales et Reales, Tomistas et Scotistas, ne de Lullistis dicam. Quod ad Nominales et Reales adtinet, *Nominales*, etsi a Roscelino sec. XII. deriventur, praecipuam acceperunt a Gulielmo Ockamo celebritatem, sicut *Reales* a Petro Lombardo, et Toma Aquinate, ac Scoto. Discrimen autem eorum luci exposuerunt Nominales Parisienses, in articulis ad Ludovicum VI., Galliae Regem, missis, apud Baluzium in Miscell. tom. IV., ubi nonnulla quoque eorum fata recensentur. 1. *Reales* ibi dicuntur, qui res multiplicatas esse contendunt, secundum multiplicitatem terminorum, *nominales*, qui contra instituunt, ex. gr. sapientiam in Deo a deitate separant Reales, sed, unam eandemque rem esse Deitatem et sapientiam Dei censent Nominales, quia omne quod in Deo est Deus est. 2. *Nominalium* praecipuum ponitur studium in cognoscendo omnes proprietates terminorum, a quibus veritas et falsitas orationis secundum ipsos dependet; quae proprietates sunt *suppositio*, *adpellatio*, *ampliatio*, *restrictio*, *distributio* etc. *Reales* autem in his sunt negligentiores, dicuntque, nos *imus ad res*, *de terminis non curamus*. 3. Denique *Realium* nomine veniunt, qui statuebant universale a parte rei, et ante omnem rem, ita ut deletis, vel non existentibus, particularibus, sint universalia realiter; sere sicut ideae Platonicae per se subsistentes, et communes, quarum participatione generabantur singularia. Sed *Nominales* audiebant,

bant, qui universale tantum a parte nostri conceptus admittebant, instar *abstracti.* De *Tomistis* et *Scotistis* alibi agitur; quarum *illi* Augustiniani erant, Augustini placita secuti, *hi* vero ad Pelagianos et Semipelagianos accedebant propius.

## REGIMEN ECCLESIAE.

§. CCCIV. Cum fidei et cultus respectu res in eodem manserit statu, nec nova aut dogmata aut instituta coeperint, nisi paucorum festorum respectu, de quibus in Paparum historia dicam, mox ad Regimen et Disciplinam pergam, postquam verbo notavero, 1. lectu digna esse, quae in concilio Vaurensi a. 1368. decreta sunt, de laicis informandis notitia articulorum fidei, apud Baluzium in *conciliis Galliae Narbonensis*; ubi, quod adtendi meretur, docetur, laicorum ratione habita, quid *fide inplicita*, *quid explicita*, sit credendum 2. exortos esse, qui circa Transsubstantiationem aliquid novi sunt commenti, si hostia consecrata in turpem cadat locum, aut a mure corradatur, aut a bruto absumatur, denique ab homine indigno sumatur: illis scilicet in casibus corpus Christi discedere ab accidentibus panis, in coelum rapi, et substantiam panis redire. Duo memorantur ejus opinionis viri, Johannes de Latone, et Petrus de Bonageta, Ordinis Minorum Professores, quos alii religiosi secuti sunt in provinciis Tarraconensi et Caesaraugustana a. 1371. Quorum sententia jussu Gregorii XI. est damnata. Vid. Eymericus in *directorio Inquisitorum*, et Raynaldus ad a. 1372.

§. CCCV. Bonifacio VIII., ut Paparum historiam pro more pertexam, successit *Benedictus* XI., infimi quidem generis vir, sed animi nobilioris, et a decessore suo longe diversus. Acta enim Bonifacii contra Regem, et regnum, Galliae, rescidit omnia, autoritate Apostolica, etiam antequam Rex petierit absolutionem: ut *historia dissidii inter*

*Bonifacium* et *Philippum* Regem edocet. Recepit etiam, ad regis petitionem, Columnenses, et sententiam, in eos a Bonifacio latam, declaravit irritam. Sardiniae et Corsicae regnis a Bonifacio concessis Jacobo, Arragoniae regi, sub conditione, inter alia, ut Ecclesiae Romanae ligium homagium, et fidelitatis juramentum, praestaret, illud fecit Jacobus, et Papa recepit, ut et a Frederico, Trinacriae rege, una cum censu annuo trium millium unciarum auri, quo se tributarium sedis Apostolicae fatebatur rex Siciliae. Obiit a. 1304., soletque bonis adnumerari Papis. Tradunt nonnulli, ipsum veneno esse exstinctum, sive per Columnenses, sive per Florentinos. Receperat quidem Columnenses in gratiam, sed Sciarram Columnam, et Gulielmum Nogaretum, captionis Bonifacii autores, ad suum se sistere tribunal jussos, nec obedientes, publico et diro anathemate confixit. Dedit, quod notatu dignum est, modestiae singularis exemplum, quod, cum bubulci esset filius, ad Papalem sedem evectus, matrem, non nisi usitata veste indutam, susceperit, et splendidiore amictam repudiaverit, suam esse ea veste matrem negans.

§. CCCVI. *Clemens* V., antea Bertrandus de Agutis, Burdegalensis Archiepiscopus, in ejus locum est ope Nicolai Pratensis electus, postquam Regi Galliae Philippo promisisset, actorum Bonifacii, cum ipsius damnatione, rescissionem, praeterea decimas redituum Ecclesiasticorum in quinquennium, denique secretum articulum, quem alii Templariorum excidium, alii sedis Papalis translationem Avenionem, comprehendisse opinantur: quod utrumque effectum est. Coronatus est Lugduni, et, ut Regi Galliae placeret, simul sub ejus tutela contra Inperatorem esset, sedem Papalem fixit, deserta Roma, Avenione, Galliae Narbonensis, eo magis, quod Ecclesiae Romanae patrimonium per Italicas factiones et seditiones valde infestabatur; ubi sedes mansit annos septuaginta tres. Quae translatio haud unum Galliae adtulit damnum. Praeterquam enim, quod vitia aulae Papa-

Papalis in Galliam introduxerit, ut Nic. de Clemang. de corrupto Ecclesiae statu c. 27. quoque notavit, libertas Gallicana haud parum per eam inminuta est, jure regio in beneficiorum collatione a Papis usurpato; peperit denique funestum illud schisma Papale, ut suo loco tradam. Edidit vero Paparum Avenionensium vitas, a vetustis descriptas, Baluzius, cum eruditis notis. Praestitit quidem Papa promissa, Regi facta, sed postulata ejus de memoria Bonifacii damnanda astute delusit, sub praetextu, id nisi in damnum eorum fieri non posse, qui a Bonifacio creati et ordinati erant, inter quos multi erant Cardinales, Regi accepti, a quibus et ipse erat electus Pontifex; addit, in Synodo Oecumenica id tantum fieri posse. Cum autem Rex instaret, concessit quidem Papa accusationem et defensionem Bonifacii, sed et a Rege inpetravit, ut totum negotium permitteretur sedi Apostolicae. Exstant acta accusationum et defensionum in *historia dissidii Bonifacii et Philippi.* Omnibus itaque actis Bonifacii rescissis, Papa in eum statum, in quo ante dissidium fuerant, redegit omnia, absoluto etiam Nogareto, sed sub conditione, ut peregrinationes et expeditiones sacras susciperet, usque ad generalem, quam moliebatur, expeditionem. Attamen Bonifacii constitutionem, *de salutis necessitate esse, Romano Pontifici subesse*, confirmavit, rejecta tantum opinione ejus de Paparum potestate in Reges, et eorum temporalia, ita tamen, ut temporalis potestas Pontificiae in Spiritualibus obedire teneatur: quod alio conspectu eodem fere recidit. Celeberrimam praeterea celebravit Synodum illam Viennensem a. 1311., in qua, praeter alia, vindicata est memoria Bonifacii, si Villani lib. IX. sit credendum, sed acta Synodi de eo silent, et totum illud negotium jam antea, ut dixi, fuit terminatum, exitio devoti sunt Templarii, etc. de quo postea. Admisit etiam Roberti, Siciliae Regis, et Romanae Ecclesiae fiduciarii, defensionem contra Henricum VII., Germaniae Regem, actis Henrici abrogatis: exegit quoque ab Henrico, qui illud

negavit, juramentum fidelitatis; denique constituit, teneri Reges Germaniae nomen, et jura, Imperii recipere a Papis. Henricus Papam in ordinem redegisset, si diutius fuisset superstes, sed a Dominicano monacho, ab aliis corrupto, est veneno, vino eucharistico inmixto, in ipsa communione praebito, exstinctus. Sed Ptolem. Lucens. in vita Clementis V. refert, ipsum *morte naturali* esse defunctum, et *malevolos aliquos* dixisse, *venenum ipsi fuisse datum in eucharistia.* Ceterum, inter superbiae Papalis specimina alia, illud notetur, quod Franciscum Dandulum, Venetorum procuratorem, et eorum nomine supplicem apud Papam, ferrea catena collo injecta passus sit ad Papae mensam jacere prostratum: ut Sabellicus, et Veneti scriptores, referunt. Denique, diplomata de festo *corporis Christi* celebrando renovavit, et *Clementinas* edidit, sive librum septimum decretalium, in libros quinque divisum, a successore Johanne XXII. promulgatum a. 1317. Defunctus est a. 1314., seseque, inter alia, Templariorum excidio, libidinibus, ac nundinationibus, praestitit infamem. Obviae sunt ejus accusationes apud Dantem Aligerium, Massonum, Villanium, et alios.

§. CCCVII. Successit, postquam sedes, propter Cardinalium dissidia, supra biennium vacasset, Jacobus de Ossa, e patre sutore veteramentario natus, dictus Johannes XXII. qui se ipse Papam nominavit, ut tradit Joh. Villanius. Cum inter Cardinales conveniri non posset, compromissum fecisse narrantur, eum fore Papam, quem Jacobus de Ossa nominaret; quo facto, se ipsum declaravit Papam. Quod utrumque tamen in dubium vocatur. Sunt enim, qui, ipsum ex prisca nobilitate originem habuisse, referunt, Vid. Baluzius not. ad Vitas Paparum Avenion. I. Propriam electionem quidem testantur Villani, et Antoninus in Chronico, sed alii silent, nec ipsi in signum ambitionis objecit Ludovicus Bavarus, ipse quoque, litteris encyclicis, se refert concorditer esse electum a Cardinalibus, ac initio haesitasse, num onus susciperet. Vid. Baluz. l. cit. p. 726., qui viam compromissi primo quidem

dem

dem propositam putat, sed, ea postea dimissa, processum fuisse per viam scrutinii. Nomen nactus est celebre, et famosum, per varias lites, quibus exercitus est, et dominium Papale, ac errorem, ipsi inputatum, de statu animarum. De quibus distinctius erit tractandum. Gravissima fuit ejus concertatio cum Ludovico Bavaro, quam ex Protestantibus enarravit Buddeus in Parergis histor. Theolog., et ex Catholico-Romanis Natalis Alexander hist. Eccles. hujus seculi: ne aliorum faciam mentionem.

§. CCCVIII. Henrico Lucenburgensi defuncto, ut rem summatim breviter tradam, cum Electores, secum divisi, alii comitiis legitimis, et pluribus suffragiis, elegissent Ludovicum, Bavariae Ducem, alii in conventiculo schismatico, paucioribus suffragiis, Fredericum Austriacum; uterque sese legitime electum gessit, sed Ludovicus Aquisgrani, secundum antiquam consuetudinem, ab Archi-praesule Moguntino, coronatus est, uterque, litteris ad Papam datis, petiit coronam Inperii, interea duo illi Principes de corona contendebant, sed superior fuit Ludovicus Bavarus. Quo in rerum statu Papa, edita constitutione a. 1317., declaravit publice 1. Regis Romanorum electionem non esse ratam, nisi Papa confirmaverit 2. coronam Inperialem a solo concedi Papa 3. adeoque juramentum fidelitatis praestari debere Papae et Ecclesiae Romanae 4. vacantis Inperii administrationem esse penes Papam 5. utramque potestatem, secularem et Ecclesiasticam, Papam suo arbitratu moderari 6. Inperii vicarios, sive praefectos, ab Henrico VII. in Italiae civitatibus, inperio obnoxiis, constitutos, exautoravit, et Robertum, Siciliae regem, in Italia Vicarium Inperii declaravit, donec Inperator inaugураretur. Denique 7. Ludovico diem dixit et Frederico, ut se coram Papa sistant, juraque sua instrumentis et rationibus, coram Papae tribunali, adstruant, sed Ludovicus, his spretis, Fredericum adgressus in potestatem suam brevi redegit, Gibellinos, cum Guelfis in Italia dimicantes, defendit, eorumque vires confirmavit a. 1323.,

non obstante, quod Papa Matthaeum Vice-comitem, Gibellinae factionis ducem, anathemate devinxerit, et haeresios, et pertinaciae, in retinendo inperii Vicariatu apud Mediolanenses, causa. Papa, hisce exacerbatus, monitorio ad Ludovicum misso, apud Raynaldum a. 1323., ei inperii administrationem, Gibellinorum defensionem, ac subditis obedientiam prohibuit, sub poena anathematis, donec electio Ludovici discussa, et a Papa confirmata, esset, addito trium mensium termino. Cui declarationi Ludovicus duas opposuit protestationes de consilio Principum, Episcoporum, et Doctorum, quibus legitimam quidem obedientiam Papae, et fidei orthodoxae strenuam defensionem promisit, sed simul declaravit, se, legitime electum, non indigere Papae confirmatione, nec sibi constare, Vice-comitem, et alios, quos in clientelam susceperat, haeresios esse condemnatos, aut in Ecclesiam perduelles. Ad quae, ipsum omni jure, ex electione orto, privatum declaravit Papa, eique alias poenas, nisi mandatis obediret, intentavit. Quod accidit a. 1324.

§. CCCIX. Secuta mox est anathematis sententia in Ludovicum, et publica inter eos divisio: Ludovicus enim sese Papae, et scriptis et factis, palam opposuit. Acerrimam utique eo tempore in publicum misit epistolam contra Papam, qua eum haeresios et multorum criminum egit reum, simul ad generale concilium provocavit. Prostat in Pap. Avenion. vit. Baluzii tom. II. c. 75. Exorti etiam varii sunt docti, qui Inperii jura contra tyrannidem, et usurpationem, Papalem strenue sunt tuiti, uti Dantes Aligerius, Florentinus Wilhelmus Ockam, de quibus supra, Johannes Jandunus, Paulinus, Marsilius de Padua, vel Patavinus. Quorum scripta apud Goldastum de Monarchia exstant, et in *Fasciculo rerum fugiendarum* et *expetendarum*: sed quibus notam inussit, et anathema infixit, Papa. Praeterea Ludovicus in Italiam a. 1327. profectus, Tridentino indicto conventu, Johannem ob haeresin, in specie ob editas constitutiones contra paupertatem Christi, aliaque ob capita, indignum pronunciavit Pontificatu,

catu, et abdicavit, unde Mediolanum progreſſus Inperator corona ferrea pro more coronatus eſt. Sed vices ei rependit Papa, ultimamque ac depoſitionis ſententiam in Inperatorem tulit, omnibuſque et obedientiam et converſationem cum eo interdixit; apud Raynaldum a. 1327. Quo facto Romam tetendit Inperator a. 1328., ibique in Baſilica S. Petri a Sciarra Columna coronatus eſt altera vice, et ab Alberto, Venetiarum Epiſcopo, inunctus, ſententiam quoque depoſitionis in Johannem tulit, tanquam qui Romanam Eccleſiam deſeruerat, pecuniam per iniquas decimationes, praetextu belli ſacri, coacervaverat, Simoniam exercuerat, ſanam quoque doctrinam de temporali dominio Inperatorum, et paupertate Chriſti, corruperat, aliaque patraverat crimina. Exſtat in Annal. Caeſenat. apud Muratorium ſcript. Ital. tom. XIV. et apud Baluzium vit. Paparum Avenion. tom. II. c. 77. Subſtituit denique novum Papam Petrum Corbarium, Ordinis Minorum Profeſſorem, adpellavitque Nicolaum V.; ſed quem Johannes mox anathemate confixit. Ceterum accidit tunc, ut narratur, quo novus Papa ludibrio eſt expoſitus, ut uxor ejus, ab ipſo, cum Ordinem Minoritarum adoptavit, relicta, ipſum nunc repetierit, Johanni, Reatino Epiſcopo, libello porrecto, qui, cauſa cognita, conjugium injuſte eſſe diſſolutum, declaravit. Sed videtur vel uxor, quae poſt quadraginta annos deſertionis maritum reclamavit, a Papa concitata, vel potius tota illa res fabulam ſapere, ad novum Papam proſtituendum, muliere hac ſubornata ad ſe uxorem fingendam. Nemo utique ante Bernardum, in vita Johannis Papae, aequalium hujus rei meminit, et Odericus Vitalis Nicolaum omni parte laudat: miſit vero haec omnia Johannes Papa ad Principes Catholicos. Interea res Ludovici per Roberti, Siciliae Regis, et Johannis Urſini, Cardinalis, oppoſitiones, prolapſae ſunt in Italia, novus Papa deſertus eſt, et animi ad Johannem rurſus inclinati ſunt: quare Ludovicus Italiam deſeruit, Nicolaus ſeſe Johanni ſubmiſit, errores et acta abjuravit, veniam, quam ſupplex

petiit, quoque consecutus est, sed custodiae est mancipatus. Haec summa est dissidii Papae cum Ludovico, de quo vid. Alvarus Pelagius de *planctu Ecclesiae*, Aventinus in Annal. praeter alios bene multos.

§. CCCX. Praeter hoc exercuit Johannem aliud negotium, per factiones in Ordine Minoritarum excitatas, circa regulam Francisci de omnimoda paupertate, quam historiam infra tradam. Alia quoque egit multa, ad dissidia Principum compescenda, et euangelium inter Infideles propagandum: de quo etiam suo loco. Subjungam itaque nonnulla de hoc Papa observata. 1. Dominium Papale ad summum evexit gradum. De quo, praeter dissidium cum Ludovico Bavaro, abunde testantur *Extravagantes* ejus. Quo nomine constitutiones ejus in corpore Canonico veniunt. Adseritur in illis Papae summum jus in Inperium, Regna, et beneficia, ita ut de iis pro arbitrio possit disponere: praefertur quoque Inperatori, ut Sol Lunae. Edictum Ludovici Bavari comitiorum Reginoburgensium consensu vulgatum habet, inter alia, de Johanne, ipsum *sibi Satanae sumere Spiritum*, *se similem Altissimo facere*, *se adorari permittere*, *quod Angelus sibi a Johanne prohibuit* in Apocalypsi. 2. Avaritia ejus in congerenda pecunia nullum novit modum. Johannes Villanius refert, ipsum *viginti quinque milliones argenti* reliquisse. Quod et Paulus Sarpius Venetus non neglexit observare, in utilissimo tractatu *de beneficiis* cap. 38 *Thesauros pecuniarum*, *quos de diversis mundi partibus exigit*, *et exegit*, *et exigi facit in praesulum subsidium* (terrae sanctae hostibus eripiendae, ad quod destinatae erant) *non convertit*, *imo in effusionem inpiam et crudelem sanguinis Christiani* etc., verba sunt Inperatoris Ludovici in epist. invectiva contra Papam, apud Baluz l. cit. 3. Quo scopo primus introduxit *Annatas*, seu reditus unius anni cujusvis vacantis beneficii, persolvendos Pontifici; ut tradi solet. Sed Johannes hoc tributum beneficiis non electivis tantum inposuit ad triennium; ut ex ejus constitutione, *cum nonnullae*, patet. Postea vero Bonifacius IX. omnibus

inpo-

inpoſuit beneficiis, ita ut, qui beneficium conſequeretur, *dimidium proventus annui* fiſco Apoſtolico perſolvat. Cenſentur praeterea Johannis eſſe *taxae* beneficiorum, ſeu certa pecuniae ſumma, pro gratiis et beneficiis ſolvenda. Vid. *taxa Cancellariae Apoſtolicae*, etiam a Laurentio Bank edita. Unde Simonia ſedis Apoſtolicae demonſtrari ſolet. Originem etiam ab ipſo habent *regulae Cancellariae*, norma judicii Romani in judicando, quae per vitam Pontificis tantum valent. Vid. Maſtricht hiſt. Jur. Eccleſ. 3. In ſanctis canonizandis, et haereticis per inquiſitionem perſequendis, aliorum veſtigia ſedulo preſſit. Sanctis adſcripſit Tomam, Herfordienſem in Anglia Epiſcopum, quod lacrymas in miſſa multas effundere ſoleret, Pſalmos poenitentiales, litanias, et officium defunctorum quotidie recitaret, et ob ſimilia alia devotionis, tunc uſitatae, ſigna. Inter quae expreſſe memoratur, quod *camiſam cilicinam ad carnem veſtiebat, Zona etiam cilicina nodoſa et aſpera, latitudinis duarum palmarum, et quandoque ferrea, carnem cingebat occulte.* Vid. Baluzius in Papis Avenion. tom. II. cap. 54. Canonizavit etiam Tomam Aquinatem, et alios. De inquiſitione, quam urſit, luculentum exſtat teſtimonium vitae Johannis, a Veneto aliquo conſcriptae, ſubjunctum, apud Baluzium ibid. tom. I. *iſte Venetus adulator nihil dicit de tyrannide geſta per Papam iſtum, de trucidatione Chriſtianorum facta, ſuo juſſu* etc. Cujus ſpecimina dedit in *fratribus Spiritualibus* inter Franciſcanos, de quo poſtea, perſequendis. Denique inſtituit, ut feſtum *S. Trinitatis*, jam antea hic illic uſitatum, ubique celebraretur ſolenniter. Vid. Martene de antiqua *Eccleſiae Diſciplina* c. 28.

§. CCCXI. 4. Peculiarem meretur animadverſionem error ipſi inputatus de animabus ſanctorum, ad viſionem Dei non admittendis, ante judicium ultimum. Quaeſtione jam ante agitata, dein in aula Pontificia a. 1333. mota de animarum beatitate, num ſanctorum animae, etiam purgatae, in coelum reciperentur, et ad beatificam Dei viſionem admitterentur, ſalvo diſcrimine gloriae animarum, et hominis poſt

ultimum judicium, an, contra, non nisi post resurrectionem eo pervenirent, licet ante pace et beatitate gavisae? Johannes enim, qui posterius tenuit, et in concionibus jam antea proposuerat a. 1329., ut tradit Nicolaus Minorita apud Baluz. not. ad vitas Paparum Avenion. t. I. p. 788 neutiquam statuit, quod nonnulli opinantur, animas *dormire* Prius passim ex Ordine Praedicatorum, cum tota Academia Parisiense, censuerunt, posterius vero minister Generalis Minorum, aliique ex eo Ordine: quod ipsum non tantum admisit, et praedicari permisit Johannes, sed et, cum Tomas Valen, Anglus, Ordinis Dominicani Doctor, coram Papa illam opinionem valide refutaret, mandato Papae in carcerem Inquisitionis conjectus, multaque passus est, indeque aegre ad Philippi Regis instantiam ereptus, ut refert Gobelinus Persona in *Casmodromio.* Vid. et Paulus Langius in Chronico Citizensi, et Albertus Krantzius hist. Wandal. l. VIII. Sparsa vero Johannis opinione per Ecclesias, Philippus Valesius convocavit Episcopos, Abbates, et Theologos Parisienses in unum, in saltu *Vincennarum*, de quo vid. Launoius Epist. 7. part. III., a quibus Papae sententia est damnata, tanquam fidei contraria, adeoque haeretica, ut Nangii continuator refert in Spicilegio Dacheriano. Imo vehementissimas scripsit Rex litteras ad Papam, intentans quoque rogum, nisi haeresin revocaret: ut testatur Petrus de Alliaco in oratione de *schismate tollendo*, a. 1406. coram Rege Carolo habita. Rescripsit Papa, se nihil extra Scripturae S., et Doctorum testimonia adseruisse, nec suam opinionem alicui obtrudere, sed velle a Doctoribus discussam: tandem tamen sub vitae finem revocasse, traditur ab ejus successore Benedicto XII. in diplomate apud Raynaldum a. 1334. Quae historia cum Papae infallibilitatem infringat, Pontificii excipiunt, Johannem vel non *adseruisse*, sed tantum inclinasse ad eam opinionem, et ad examinandum proposuisse, sicut ipse Johannes postea in epist. ad Regem praetendit, vel non *ex cathedra*, seu accedente Ecclesiae consensu, hac de re pronunciasse, sed tan-

quam

quam privatum, adeoque errare potuisse. Sed Gerson Parisiensis Cancellarius in sermone de *festo Paschatis*, et Hadrianus VI. in IV. Sententiarum, Papam haereticis adnumerare non dubitarunt. Certum quoque est ex autoribus, modo citatis, Johannem eam fovisse opinionem, quam et sub vitae finem revocavit. Vid. etiam Petrus de Herentals in *vita Papae* apud Baluzium in *vitis* Paparum Avenion. tom. I., qui litteras Papae, quibus mentem suam exposuit, et opinionem revocavit, recensuit. Ubi et hoc notatu est dignum, quod *omnia* submittat *determinationi Ecclesiae, ac successorum suorum*. Ceterum pro sententia Catholica contra Papam scripsit Durandus de S. Porciano, edito commentario: de quo supra egi.

§. CCCXII. *Benedictus* XII., qui ab a. 1334. ad 1342. sedem tenuit, humili loco ex Patre molitore natus, et antea dictus Jacobus de Furno, in eo quidem a Decessore dissensit, quod Catholicam de animarum statu fidem confirmaverit, tractatibus antea non tantum editis, sed et nunc diplomate, quo sub poena *anathematis ac incursionis haeresis*, verba sunt autoris *primae* ejus vitae apud Baluzium, *mandavit, ne quis contra hujusmodi terminationem suam dogmatizaret, aut crederet*. Ipsum diploma exstat apud Herentals, autorem *septimae* ejus *vitae* apud Baluzium lib. cit. Verum in reliquis vestigia ejus presse calcavit. Visus in initio quidem fuit reconciliationem cum Ludovico Bavaro quaerere, ut Albert. Argentinensis, in ejus vita apud Baluzium, et alii, referunt, ut Philippi Galliae Regis postulatis obviam iret: petiit enim, praeter regnum Arelatense, Vicariatum Italiae, et multos thesauros; misit quoque Papa legatos ad Ludovicum, qui ipsum ad pacem cum Ecclesia cohortarentur, nec alienum se demonstravit Ludovicus: verum haud una vice missis legatis ad Papam, ad petendam absolutionem, is subterfugia semper quaesivit, modo minas Regis Galliae, modo aliud, praetendens, ut quod Cardinales resisterent Qua dilatione Inperator exacerbatus comitia cum Electoribus et Principibus habuit Rensae a. 1338., in quibus, post acta Johannis Papae

 annulla-

annullata, decretum est factum, eum esse Inperatorem, qui ab Electoribus fuerit electus, licet a Papa non unctus et coronatus, eosque, qui contrariam teneant, criminis laesae Majestatis esse reos. Exstat decretum apud Goldastum tom. III. Quae mox eodem anno renovata et corroborrata sunt in comitiis Francosurtensibus, addito singulari decreto, quod ibidem reperitur, de *jure et excellentia Inperii*, ac potestate electi Romanorum Regis; simul Papae intimata sunt per Electorum litteras, apud Goldastum *stat. et rescript.* Inperii tom. II., imo ipse Inperator se edito apologetico strenue defendit, ibid., et in *catalogo testium* Flacii. Quid ad haec Papa? *multis* et *horrendis bullis fulminavit*, ut Mutius l. XXIV. habet, Inperii quoque, acsi vacaret, instituit Vicarios, contendens, vacante Inperio, etiam per interdicta Pontificum, omnem ejus potestatem ad Papam esse revolutam, tanquam *unicum Christi, superni Regis, vicarium in terris*, ut loquitur Platina, adserens porro, Inperialem dignitatem et potestatem esse a Papa.

§. CCCXIII. Praeter haec, alia adhuc publicavit decreta, uti pro taxandis certo pretio bullis, ac brevibus poenitentiariae Apostolicae, pro beneficiis vacantibus in Curia reservandis dispositioni Papae, pro exstirpandis haereticis, qui, Sacramentum adorandum, aut Papae obediendum, esse, negant. Fuit, teste autore *vitae* ejus *primae*, apud Baluzium, *maximus Zelator fidei, ac in omni statu suo fervidus haereticorum expugnator, ac rigidus persecutor.* Concrematus etiam est ipso sedente Franciscus de Pistorio, quod decisioni Johannis XXII., contra paupertatem Christi, contradixisset. Sed et meliora ac utilia promulgavit decreta, ad reformanda Monasteria, aliosque tollendos abusus. In specie *dedit operam*, inquit autor citatus, *efficacem, ut in beneficiis, dignitatibus, et praelaturis, suo tempore vacantibus, ponerentur bonae et honestae personae, providaeque et disertae, ac sufficientes in litteratura, ac maturae in moribus* etc. Addit autor, *propterea*, quia tales reperire non poterat, *multa beneficia, dignita-*

*tes*

*tes, et praelaturas quamplures, diutius in vacatione permanſiſſe.* Quod idem tradit autor vitae ejus *octavae*, ibid. apud Baluzium, ſed qui Papae minus aequus habetur. Tradit utique, eum fuiſſe *avarum, durum, et tenacem, in conferendis gratiis remiſſum, tardum, negligentem in providendo ſtatum Eccleſiarum, ſupra modum: et in excuſatione duritiae ſuae paucos ad haec dignos, vel ſufficientes, dixiſſe* etc. Addit autor deinceps, ipſum in *propoſitionibus turpibus et inhoneſtis plus quam in virtuoſis habere complacentiam, ex riſibus, et motibus aliis, omnibus notum eſſe: potator vini maximus*, ita pergit, *ab omnibus curialibus dicebatur, adeo ut verſum ſit in proverbium conſuetum dici, bibamus papaliter.* Ipſe Herentals in fine vitae ejus refert, *tale metrum de ipſo* ſcriptum eſſe.

*Iſte fuit Nero, laicis mors, vepera Clero.*
*Devius a vero, cappa repleta mero.*

Ceterum ſcribit Hieronymus Squarzaficus in vita Franciſci Petrarchae, Papam ejus ſororem petiiſſe utendam, promiſſo Galero Cardinalitio, Petrarcham vero recuſaſſe, dicentem, *tam foetidum Galerum capiti ſuo non eſſe inponendum*; poſtea tamen, Papam votorum factum eſſe compotem per Gerardum, Petrarchae fratrem. Cujus veritatem praeſtare non poſſum, cum alii, nullam fuiſſe Petrarchae ſororem, tradant.

§. CCCXIV. Lites cum Ludovico ſucceſſor ejus, *Clemens* VI., antea Petrus Rogerius, Lemovicenſis, et Ordinis Benedictini, ab a. 1342. ad a. 1352. ſtrenue, et tyrannice, perſecutus eſt. Statim ac ſedem capeſſiviſſet, dira Johannis fulmina in Ludovicum renovavit, et Inperatorem publice citavit, ut ad certam diem Deo et Eccleſiae ſatisfaceret, ac ab Inperii adminiſtratione abſtineret. Quo tandem fractus Inperator, miſſis legatis, ſe Papae ſubmiſit, a. 1344., haereſes et errores confeſſus, perſonam, ſtatum, bona, ipſum Inperium, arbitrio Papae relinquens. Exſtat haec indigna ſubmiſſio in Miſcellan. Baluzii tom. II. Relaxavit quidem

dem Papa processus Johannis XXII., sed cum hac restricta remissione, ut Inperator Gulielmum Ockamum, ejusque collegas, traderet Pontifici, decreta contra Johannem rescinderet, denique edicto perpetuo publice sanciret, *Inperium esse beneficium Papae, nec ante Caesarem esse aut vocari, quam Papa fieret autor.* Quibus articulis ad Inperatorem delatis, ipse, comitiis Francofurtensibus habitis a. 1344., eos, tanquam iniquos, et ad inperii destructionem tendentes, reprobavit. Quod idem de iis tulerunt judicium Theologi Parisienses, et Bolonienses, hac de re consulti. Papa vero flecti nescius, de Inperatore exterminando serio ab eo tempore deliberavit, una cum Johanne, Bohemiae Rege, ejusque filio Carolo, et patruo Archiepiscopo Trevirensi. Renovavit itaque processus Johannis XXII., et Inperatorem declaravit haereticum, et jure regni privatum, Electoribus quoque in mandatis dedit, ut intra certum tempus novum eligerent Regem, a. 1346. Quod nisi faciant, ipse de eo cogitaret. Henricus praeterea, Praesul Moguntinus, fautor Ludovici, depositus, eique suffectus est Gerlacus Nassovius, qui Principes evocavit Rensam a. 1346., a quibus Rex Romanorum est electus Carolus, Moraviae Marchio, quem Papa solenniter adprobavit, et Coloniensis Archiepiscopus coronavit. Superior tamen Germania in fide Ludovici maximam partem perstitit, et Ludovicus sese ad juris sui defensionem omnibus adcinxit viribus, sed brevi post mortuus, a. 1347. Cum vero durante excommunicatione fuerit defunctus, male solet audire, sed strenue defensus est a Georgio Herwarto ab Hohenburg, singulari edito scripto.

§. CCCXV. Eduardum, Angliae Regem, ut reliqua Papae gesta strictim recenseam, qui Cardinalium, aliorumque sacerdotum absentium, beneficia occupaverat, et reditus in suos verterat usus, per anathematis comminationem ad saniorem revocavit mentem a 1352. Vid. Raynaldus. Necis Andreae, in Apulia Regis, accusatus est, una cum Andreae uxore, a fratre Andreae Ludovico, Hungariae Rege, procuratae,

curatae, et reus habitus; quod Johannae reginae conjugium cum Pontificis fratre fecit probabile. Vid. Aventinus Annal. l. VII. Papa vero se et Johannam declaravit innocentem, a qua, insigni dato pretio, Avenionem comparavit. Vid. Ezovius a. 1348. Indixit quoque expeditionem in Turcas, quae etiam a Venetis, Genuensibus, Rege Cypri, et Rhodiis, est suscepta, sed cum nullo alio effectu, quam, quod Smyrna sit occupata, a. 1344., et quaedam Turcarum naves sint incensae. Singulare plane est, minusque vulgatum, et nondum revocatum, privilegium, Regi Galliae, ejusque successoribus, concessum, emissa bulla, quo confessionariis eorum data est potestas, eos ab omni juramento absolvendi. Exstat inter Epistolas Clementis apud Dacherium in *Spicilegio* tom. III. *Jubilaeum* ad annum *quinquagesimum* reduxit, et eo nomine adpellavit, extenditque ad peregrinatores et visitatores Ecclesiae Lateranensis. Vid. Bosquetus in vita Clementis apud Baluzium, et Herentals ibid., qui bullam etiam recenset. Bonifacius enim VIII. restrinxerat visitationem ad Basilicas Petri et Pauli, Clemens adjunxit Lateranensem, et Gregorius XI. sanctam Mariam majorem. Vid. Raynald. a. 1373. Denique infamem sese praestitit cum per Nepotismum, ut vocatur, quo agnatos et nepotes honoribus cumulavit et opibus, *ditavit enim*, ut Ptolem. Lucens. in ejus vita tradit, quae *quarta* est apud Baluz. l. cit, *omnes fratres suos cujuscunque conditionis, aut status, essent, tam de beneficiis Ecclesiasticis, quam de thesauris et honoribus, atque officiis et divitiis mundanis*, tum per libidines, quibus, teste Villanio, nobilium uxores violavit. Postremo, autoritatem Papalem in summo posuit culmine; ut Epistolae ejus ad Clerum Armenorum apud Raynaldum demonstrant a. 1351. Papam declaravit eandem potestatis habere plenitudinem, quam Petrus habuit. et ipse Christus in terra, super totum et universum corpus Ecclesiae; Papas de omnibus posse judicare, vel judices dare, ipsos a nemine, nisi a solo Deo, judicari, nec Regali aut Inperiali potestati

 esse

esse subjectos: solos posse condere generales canones, et plenas concedere indulgentias: solos posse controversias fidei decidere, esse autem verum et catholicum, quicquid Papa autoritate clavium, sibi a Christo traditarum, determinat esse verum, quodque determinat esse falsum, aut haereticum, tale esse censendum. Quid? quod in Bulla, qua Jubilaeum instituit, *mandare* se, dixerit, *Angelis Paradisi, quatenus animam illius*, qui in via moritur, *a purgatorio penitus absolutam, in paradisi gloriam introducant*. Exstat in Vita IV*ta* Clementis, autore Herentals, sed spuriam esse disputat, non adeo male, Baluzius ad vitas Paparum Avenion. t. I. p. 916. Hic ipse nihilominus, in signum fallibilitatis suae, morti proximus, revocavit, edito diplomate a. 1351., *si qua in re errasset*. Vid. Raynald. a. 1352.

§. CCCXVI. *Innocentius* VI., antea Stephanus Alberti Gallus, qui ab a. 1352. ad a. 1362. sedit, praeterquam quod inepta instituerit festa, ex. gr. *lanceae* Longini, crucis, clavorum, coronae spineae, cum plenissimis indulgentiis, apud Bzovium a. 1354., festorum Augustini confessoris in Anglia, et Eduardi Regis, institutionem promoverit, de quo epistolae ejus in Conciliorum tomis supersunt, haud unum dedit supremae potestatis in seculares, et tyrannidis Ecclesiasticae, specimen. Carolus IV. inperialem coronam, ad quam accipiendam Romam tetendit, hac conditione ab Hostiensi Cardinale consecutus est, jussu Papae, ut mox Italiam desereret, eamque nunquam, nisi a Papa, Italiae Domino, vocatus, repeteret, praeterea, se Papae voluntati omnibus pariturum viribus promitteret. Vid., praeter Aventinum, Innocentii litterae apud Bzovium et Raynaldum. Johannem, Gallorum Regem, litteris objurgavit, quod, premente licet necessitate, Clero Gallicano decimarum unius anni solutionem inposuisset; ut epistola ejus habet apud Raynaldum, a. 1356. Ludovicum, Siciliae Regem, anathemate, ob neglectam census solutionem, obstrinxit, Duos Minores, opinionem de absoluta paupertate publice tuitos, curiae seculari tradidit

com-

comburendos a. 1354., ut in *prima* et *secunda* Papae vita apud Baluzium traditur. Johannem denique de Rupescissa, Gallice Roquetrillade, ob praedictiones, quas, teste Aventino, se probaturum dixit ex Apocalypsi, de duobus Antichristis, generali conculcatione Cleri, regno millenario etc. carceri mancipavit. Vid., praeter vitam *quartam* Innocentii apud Baluzium, continuator Nangii.

§. CCCXVII. *Urbanus* V., antea Gulielmus Gromoaldus, Gallus, Ordinis Benedictini Professor, et S. Victoris Massiliensis Abbas, statim ac sedem Papalem, quam ad a. 1370. tenuit, capessivit, animum ad sacram expeditionem adjecit, in eam adunatis Johanne Galliae, et Petro Cypri, Regibus; sed, Johanne mortuo, successu caruit. Expugnata quidem est Alexandria, AEgypti regia; sed mox sine praelio omissa, Anglis et Aquitanis Regem Cypri deserentibus. Vid. Petri Tomasii, legati Apostolici in ea expeditione, litterae apud Bollandum Mens. Januar. Laudabilius est, quod Petrarcha epist. 1. lib. VII. etiam in ipso celebravit, quod disciplinae Ecclesiasticae incubuerit instaurandae, Academias, Viennensem et Cracoviensem, rogantibus Principibus, erexerit, et Bononiensem privilegiis mactaverit. Notatu maxime dignum est, quod sedem Papalem in animo habuerit Romam transferre. Profectus quoque eo est a. 1367. et missam in altari S. Petri solenniter celebravit, urbi quoque instaurandae et ornandae operam dedit, sed recessit Avenionem, et brevi mortuus est. Notari quoque meretur, Papam Romae ab Ecclesia Lateranense ad palatium tetendisse recta, et non obliqua, via, ut nonnulli Decessorum fecerant, viam vitantes, *occasione fatuae mulieris*, inquit autor *primae* vitae Urbani a Bosqueto editae, apud Baluz. l. cit., *quae aliquando Papatum dicitur occupasse, et in eadem via abortum faciendo peperisse refertur.* Ex quo colligi potest, historiolam illam jam ante fuisse divulgatam, sed et nunc in dubium vocatam. Sed longe pejus est, quod, *dum Romae fuit, Fratricellos vocatos nonnullos, a fide Catholica diverten-*

*tes, igne fecit concremari in Roma;* ut autor *quartae* vitae ejus ibid. refert. Ceterum iter ejus Romam exſtat apud Baluz. Pap. Aven. t. II. c. 173. In agone mortis quoque profeſſus eſt, quae ſingularis ejus eſt modeſtia, ſe *omnia ſua dicta ſubjicere Eccleſiae correctioni, et, ſi Eccleſiae ſint contraria, revocare,* ut autor *primae* ejus vitae, apud Baluzium refert: autor vero *ſecundae* vitae ibid. tradit: *vix Eccleſiam eſſe in mundo, in locis ſolennibus, quin ſit imago ejus depicta, et cum vigiliis ac oblationibus honorata.*

§. CCCXVIII. Quod animo, ut modo dixi, volvit Urbanus, de ſede Romae reſtituenda, perfecit ejus ſucceſſor *Gregorius* XI., antea Petrus Rogerius, Lemovicenſis, Clementis VI. ex fratre nepos, qui ab a. 1370. ſedit ad a. 1378. Tranſtulit enim ſedem Romam, quam incredibili faſtu intravit a. 1377. Requirebat quidem Papae praeſentiam generalis rebellio Bononienſium, Florentinorum, aliarumque civitatum per Italiam, contra Papam, erecto vexillo, in quo erat *Libertas;* ſed compulit in primis Papam devotio erga devotiſſimas foeminas, Catharinam Senenſem, et Brigittam, quae revelationes praetendebant, *Dominum velle, ut curia Papalis Romam reduceretur.* Cujus rei poenitentia ductum, ſub finem vitae omnes admonuiſſe, ut ab ejuſmodi foeminis ſibi caverent, tradit Gerſon. de *examine doctrinarum* p. II. oper. tom. I. ubi vid. du Pin; neſcio quam vere: contradicit utique, non ſine ratione, Natalis Alexander. Fuit quoque ad ſuperſtitionem uſque devotus erga foeminas ſanctas, et totus ab ore Catharinae ac Brigittae pependit. Florentinos non tantum graviſſima ſententia feriit a. 1376. Magiſtratus et vexilliferos anathemate percuſſit, civitati interdictum impoſuit, et civium bona direptioni tradidit, ſed et legationem demandavit Catharinae Senenſi, ut Florentinos ſedi Romanae conciliaret; quod poſt varia certamina tandem ſucceſſit, ſed non niſi mortuo Papa conſummatum. Vigiliam cum jejunio inſtituit ad feſtum *inventionis et exaltationis S. crucis*, ut et in feſtum *nativi-*

*tatis*

*tatis* Mariae Deiparae, una cum officio proprio. Novum etiam introduxit festum *praesentationis* Mariae Virginis, quando praesentata erat in Templo trimula, et Carolo V. Galliae Regi injunxit, ut per totum regnum curaret celebrari. Officium vero integrum, prout in Oriente canebatur, ab ipso transumtum est. Sed aliud erat in Oriente festum *praesentationis Mariae*, Filii scilicet praesentati in Templo, et purificationis Mariae. Vid. Martene de antiq. Eccles. *disciplina* cap. 34. Denique, quod pejus est, Antichristum sese praebuit haereticis. Albertum Halberstatensem Episcopum, qui merita bonorum operum negabat, et sanctorum invocationi se opponebat, et Johannem Wiclefum, de quo postea, oppugnavit, Mallaesium, Pragensium concionatorem, ac praecursorem Johannis Hussi, poenis haereticorum plecti jussit. Ceterum notabilis est ejus confessio, in testamento expressa, apud Dacherium Spicileg. tom. III. de fallibilitate sua; revocat enim quicquid forte sive in consistorio, sive in conciliis, sive alibi, et alio modo, dixerit contra fidem Catholicam.

§. CCCXIX. Horrenda post ejus mortem confusio corripuit Ecclesiam Occidentalem, per schisma Papale, in ea ortum, quod plusquam quinquaginta annos duravit, adeo ut duo, vel tres, fuerint Pontifices, et Ecclesiae terribiliter scissae, aliis hunc, aliis illum, nonnullis nullum agnoscentibus. Quod schisma enarrarunt Theodoricus Niem, Gobelinus Persona, Antoninus, Nicolaus de Clemangis, aliique vitarum Paparum Avenionensium scriptores, omnes seculi sequentis, et ex Recentioribus, praeter alios, in primis L'Enfant in *historia concilii Pisani.* Dabo ejus historiam, quantum pote, brevibus. Causa et occasio fuit tumultuaria, et nihil minus quam libera, novi Papae electio. Cum Cardinales diffiderent, dum alii Gallum vellent, alii Italum, populus Romanus vero a seditione prope abesset, et, nisi Romanus vel Italus eligeretur, Cardinales minaretur in frusta concidere, illi, de eo, cum in eo essent, ut electio-

nem facerent, per ipsum populum certiores facti, elegerunt Bartholemaeum Prignanum, Archiepiscopum Parensem, patria Neapolitanum, dictum *Urbanum* VI. Cujus electionis circumstantias licet varie narrent scriptores laudati, elucescit tamen ex omnibus, tumultuariam fuisse eam, et coactam, nec nisi *provisionalem*, et ludicram, ut tumultus sedaretur, et liberae electionis daretur occasio. Cardinales Romae in litteris ad Cardinales, qui Avenione manserant, significarunt quidem, electionem fuisse *seriam et unanimem*, sine ullis populi clamoribus, aut tumultu peractam, sed illud partim omnibus historicis aequalibus, etiam praesentibus, adversatur, partim ab ipsis, qui litteris subscripierunt, saltem tredecim, est retractatum, cum libertate gavisi sunt. Gallicani utique Cardinales, cum sese Avenionem recepissent, scripserunt, et ad Urbanum ipsum, et ad omnes Principes, ac Praelatos, litteras, quibus violentam et illegitimam fuisse electionem declararunt, simul Urbanum, quia thronum ea ratione occupatum tenebat, pro intruso, excommunicato, imo Antichristo, et destructore Ecclesiae, habent. Quo intempestiva Urbani superbia, et severitas, quoque multum contulit, mox in initio demonstrata, qua Gallicanorum non tantum, sed et nonnullorum Italorum, animos a se abalienavit; imo Johannam quoque, Siciliae Reginam, et Ottonem Brunsvicensem, maritum ejus, bene erga ipsum adfectos, exacerbavit, et in se irritavit. Quibus omnibus factum est, ut Cardinales Gallicani, cum paucis Italis conspirantes, sese Fundos, Neapolitani regni civitatem, sub tutela Johannae, receperint, novumque elegerint Papam, majore quidem libertate, sed simul fraude usi, qua Italos circumvenerunt. Electus est Robertus Gibennensis, vel Genevensis, ita adpellatus, quod frater vel nepos esset Comitis Genevensis, dictus *Clemens* VII., qui mox, majoris securitatis ergo, tetendit Avenionem, ibique sedes fixit. Habitus est vir sapiens, et magni animi, cui multae familiae illustres et potentes erant necessitudine conjunctae, praeterea

praeterea nec Gallus, nec Italus, adeoque prudenter electus.

§. CCCXX. Duo hi Papae, a. 1378. electi, totam brevi diviserunt Europam, maxime cum, fulminibus mutuis in se invicem vibratis, omnes fere Ecclesias ad partes eligendas coegerint. Tota fere Europa adhaerebat in initio Urbano, exceptis nonnullis Neapolitani et Siciliae regni locis, nisi quod Gallia et Hispania sese extra partes tenuerint. Galli autem sese brevi post, instituto examine, pro Clemente declararunt, quos Hispani secuti sunt, et alii, ut Castellae et Navarrae Reges, etiam Sabaudia, Lotharingia, et aliae regiones: reliquae Europae partes in Urbani obedientia, ut loqui solebant, manserunt, uti Italia, Germania tota, Anglia, Hungaria, etiam Lusitania. Urbani partes etiam tuita est Catharina Senensis, famosissima illa foemina, sed Clementis Petrus de Luxenburgo, juvenis septendecim annorum, miraculis, ut fertur, et visionibus clarus. De quo vid. autor *primae* vitae Clem. VII. apud Baluz. Pap. Avenion. t. I. ad a. 1387. quo Petrus est defunctus. Nec tamen deerant, qui neutram volebant partem, viri non tantum singulares, sed et ipsa Academia Parisiensis, testibus litteris ejus ad Carolum VI. a. 1394. in spicilegio Dacheriano tom. I., et ad universos fideles a. 1395. in adpendice ad *fasciculum rerum expetend.* et *fugiendarum*. Quae divisio non tantum, ut dixi, mutua produxit anathemata, sed et bella, persecutiones, ac multiplicia mala, per omnes Ecclesias.

§. CCCXXI. Uterque Papa sese in regimine gessit pessime. Clemens, licet a Gallis passim laudetur, sese magnum praestitit Principum adulatorem, et Gallicanae libertatis oppressorem, qui etiam ex beneficiis Ecclesiae ingentem pecuniae summam coacervavit ad Cardinales suos ditandos. Vid. Nicolaus de Clemangis de *corrupto Ecclesiae statu*, cap. 27. et Monachus S. Dionysii in vita Caroli VI. lib. I. Wenceslaum Imperatorem, et Ludovicum Regem Hungariae, vehementer a se abalienavit, quod legatos eorum, ad ipsum permoven-

 dum,

dum, ut Urbanum agnoſceret, miſſos, crudeliter tractaverit, et diu in carcere detinuerit. Vid. Theodoricus Niem de *ſchiſmate* lib. I. Qua ſimili de ratione ſibi adverſarium fecit Urbanus Johannem, Caſtellae Regem, ſententia quoque excommunicationis, et exautorationis, in ipſum lata, tanquam laeſae majeſtatis Pontificiae reum, ipſa ſacra militia contra ipſum conſcripta a. 1382. Devinxit tamen ſibi Florentinos, ope Catharinae Senenſis reconciliatos ſedi Romanae, et a Papa abſolutos.

§. CCCXXII Bello inter Carolum Dyrrachinum, Gravinae comitem, cui Urbanus regnum Siciliae, Johannae ereptum, donaverat, et Ludovicum Andegavenſem, qui tunc regnum Galliae adminiſtrabat, in quem Johanna jus ſuum tranſtulerat, quod Clemens Papa confirmaverat, orto, Urbanus, cum Ludovici partes viderentur ſuperiores, iter, invitis Cardinalibus, in regnum Neapolitanum ſuſcepit, eo praetextu, ut res Caroli firmaret, ſed vere, ut nepoti ſuo, viro ſceleſtiſſimo et libidinoſiſſimo, Capuanum principatum acquireret, factus quidem eſt votorum compos, ſed Carolo viciſſim, quicquid volebat, concedere debuit, quippe a quo, ſub ſpecie officii, in cuſtodia eouſque fuit detentus. Contigit illud a. 1383. Ludovico dein brevi defuncto, et exercitu ejus dilapſo, cum Carolus nihil amplius haberet metuendum, nova, et funeſtiſſima, inter ipſum et Urbanum orta eſt diſcordia, quacum Papae cum nonnullis Cardinalibus diſſidium fuit conjunctum. Carolo aegre erat, quod Papa, ſe invito, ingreſſus eſſet regnum ſuum, illudque reliquiſſet; ſed Papae, quod in cuſtodiam fuiſſet a Carolo datus. Juſſit itaque, ut ad ſe rediret Papa, de rebus alicujus momenti cum ipſo tractaturus. Reſpondit Papa, propterea exacerbatus, ſe non recipere, ſed dare juſſa, Regum quoque et Principum eſſe ad ſuos pedes devote accedere: adjecit, Carolum, ſi amicitiam ſuam velit, tributa, regno feudatario Eccleſiae inpoſita, abolere debere; a quo tempore Carolus de Papa perdendo cepit conſilium. Interea, quod Papam vehementius irritavit,

irritavit, quaeſtiones motae ſunt, et propoſitae, liceatne Papae, ſi ſine Cardinalium judicio omnia agat, et Eccleſiam perturbet, dare *Curatorem*, ſine quo nihil agat? Ad quod cum adfirmative paſſim eſſet a Jure-Conſultis reſponſum, et Curator ipſi deſtinatus eſſet Carolus, illud cum Margareta Regina omni ope promovit. De quo certior factus Papa, primum ſex Cardinales praecipuos adprehendi, et in teterrimum carcerem duci, juſſit, eoſque conjurationis in Papam accuſavit, torturae quoque ſaeviſſimae ſubjecit; ut narrat Theodoricus Niem, qui adfuit, et Papae omni modo diſſuaſit, ſine ullo effectu. Dein eos excommunicavit, anathema quoque dixit Carolo, ejuſque uxori, depoſitionis addita ſententia, et interdicto inpoſito regno. Qua occaſione arrepta, Carolus interdictum non tantum ſprevit, et Papae adhaerentes vexavit, ſed et, coacto exercitu, Luceriam, ubi Papa erat, obſedit, expugnavit, et incendit, excepta munitiſſima arce, in qua Papa concluſus, gravique laborans penuria, ſe conſolatus eſt maledictionibus, quas ter ſingulis diebus in exercitum Caroli vibravit, donec Clementinorum factione, ut Carolo aegre facerent, inde liberatus, et Genuenſium triremibus Genuam evaſerit, ſecum Cardinales illos captivos ducens: quos, uno excepto, miſere trucidavit, ſive ſaccis inſutos, et in mare conjectos, ſive in carcere ſtrangulatos, et ſtabulo equorum inhumatos, ſive ſecuri percuſſos: non enim convenit inter autores. Quae inhumana ſaevitia produxit, ut Papa fuerit a multis deſertus. Hoc in ſtatu res manſerunt uſque ad mortem Urbani a. 1384. Ceterum ipſi novi feſti, *viſitationis* ſcilicet Mariae virginis, inſtitutio tribuitur, et Jubilaeum ab ipſo traditur redactum ad annum 33*tium*. Ob motus vero ab ipſo concitatos ei nomen *Turbani* fuiſſe datum, ſcribit Oldoinus in additament. ad Ciacconium. Teſtimonia ſcriptorum de ejus crudelitate, et inmanitate, qui velit, adeat Baluz. ad vitas Paparum Avenion. tom. I. p. 1269.

§. CCCXXIII. Morte Urbani tantum abeſt, ut finis fuerit,

rit schismati inpositus, ut multo funestius sit factum per novi Papae, in ejus locum, electionem. Successit ipsi *Bonifacius* IX., antea Petrus Thomacellus, Neapolitanus, qui Ladislao, Caroli Siciliae regis filio, regnum paternum mox, post Patris obitum, confirmavit, et Ludovicum II. Andegavensem confixit anathemate. Unde bellum Ecclesiasticum non tantum, sed et civile, denuo renovatum est, Ludovico et Ladislao de regno decertantibus, in quo bello cum victoria penes Ladislaum manserit, partes Bonifacii firmatae sunt: praeterea Clemente VII. defuncto, a. 1394., ei mox quoque suffectus est *Benedictus* XIII., antea Petrus de Luna dictus. Reliqua ad hanc historiam pertinentia persequar, ne hic sim prolixior, ad seculum sequens.

§. CCCXXIV. Quo usque autoritatem extulerint Papae, superque omnes potestates Ecclesiasticas et seculares elevarint, cum ex historia Paparum sponte in oculos incurrat, hic nihil habeo quod addam, nisi hoc unum, Apostolicam sedem censitam fuisse habere *innatum, quod vel sanctum inveniat hominem, vel sanctificet jam inventum* etc., uti satis inepte L. Colutius de Stignano, Florentinorum Cancellarius in epist. ad Franc. Bruni. in Miscellan. Baluzii lib. IV. loquitur. Infallibilitatem tamen nondum ipsis fuisse datam, aut ipso facto ab ipsis praestitam, ex superiore etiam clare constat historia. Quam fortiter praeterea Reges et Principes usurpationibus Paparum restiterint cum superiora etiam edoceant, hic nonnullos tantum subjungam autores, praeter notos haereticos, qui jura Principum contra Papas vindicarunt, aliqui etiam tyrannidem Papalem notarunt, et horrendam corruptionem. Litterae Eduardi III., Angliae Regis, de communi consilio regni, seu Parliamenti, scriptae ad Clementem VI. a. 1343., inter alia, habent, *Vineae progeniem degenerasse in labruscas, singulares feras eam depascere inpositionibus et provisionibus sedis Apostolicae, animarum curam negligi, ac mercenarios solummodo temporalia quaerere bona* etc. Vid. Chronographi Angli, et apud Goldastum

Constit.

Conſtit. Inper. tom. III. Inter viros ſingulares eminuerunt hac parte Dantes Aligerius, Florentinus, Fr. Petrarcha, Gulielmus Ockam, Nicolaus Oreſmius, Johannes de Rupeſciſſa, de quibus ſupra egi, Arnoldus Villanovanus, a Jacobo, Arragoniae Rege, miſſus ad Clementem V., de quo poſtea, ubi de haereticis, aliique. Vid. Mornaeus hiſt. Paparum, et *Catalogus teſtium veritatis*, ne alios memorem.

§. CCCXXV. Sed unum alterumve non poſſum quin addam. Circa finem ſeculi floruit Matthaeus de Chracovia, ſive arce Chrachove, in Pomerania, qui ſermonem habuit in Synodo Pragenſi a. 1384., de *emendatione morum et Cleri*, librum quoque conſcripſit de *ſqualore curiae Romanae*, in *faſciculo rerum expet.* et *fug.* tom. II., in quo, Papam eſſe fallibilem, et *hominem defectuoſum*, contendit: vitia vero Curiae et Cleri acerrime perſtringit. Idem de Papae fallibilitate, ac Concilii Generalis ſuperioritate, urſit Henricus de Haſſia cognomento de Langenſtein, Vice-cancellarius Pariſienſis, dein ſacerdos et Canonicus Wormatienſis, denique Theologiae Doctor *Viennae* ab a. 1384., qui, inter multa alia, conpoſuit *conſilium pacis*, ſive de *unione* et *reformatione Eccleſiae*, in Synodo Univerſali quaerenda. Exſtat in adpendice operum Gerſon. edit. du Pin., nec non in actis Concilii Conſtantienſis Hardtii. Denique Conradus de Geilenhuſen, nominatus ad Epiſcopatum Wormatienſem, ſcripſit tractatum de *congregando concilio* tempore *ſchiſmatis*, quem publicavit Martene, in theſauro Anecdotorum tom. II., ubi evincit, concilium eo in caſu eſſe congregandum, cum nec ad Papam, nec ad Patres purpuratos, recurri queat, quippe erroribus, et mortalibus peccatis, obnoxios.

§. CCCXXVI. De reliquo Clero nihil habeo, quod, praeter ſupra dicta, obſervem, niſi hoc unum, levioris etiam momenti, inſtitutam fuiſſe hoc ſeculo *congregationem fratrum vitae communis:* quae Daventriae incepit, et inde per Germaniam inferiorem late propagata eſt, praecipue ſec. ſequente, quo congregatio ſtabilita eſt, et adprobata a

concilio Constantiense; quando variae erectae sunt scholae, unde viri egregii sunt orti, inter quos Erasmus fuit. Fratres non erant canonici regulares, sed Clerici, nullo voto obligati, bona in commune deferebant, et, si, quod licebat, congregationi renunciarent, bona relinquere debebant. Occupati autem erant Patrum scriptis describendis, et juventute instituenda in litteris humanioribus, et vitae Christianae praeceptis: unde et *fratres bonae voluntatis* adpellati sunt. Ceterum autor congregationis fuit Gerardus Magnus, alias Grot, Daventria oriundus, Doctor, Theologus Parisiensis, et Canonicus Ultrajectensis ac Aquisgranensis, mortuus a. 1384. Varia condidit opera, maximam partem inedita. Nonnulla opuscula edi solent cum operibus Tomae a Kempis: qui Gerardi, et aliorum quorundam insignium congregationis virorum, vitas conscripsit. Vid. de hac congregatione Pennotus hist. tripartitae l. II., et Miraeus in Chron. ad a. 1384.

## DISCIPLINA ET SYNODI.

§. CCCXXVII. De disciplina cum seculum nostrum nihil suppeditet, notatu dignum, praeter illud unum, quod in urgenda Inquisitione perrexerint Papae, et Inquisitores, ut in haereticorum historia videbimus, conati quoque sint hoc tribunal in locis, ubi nondum erat, erigere, sicut ex. gr. in Poloniam introductum est per Johannem XXII. a. 1327., qui litteras hac de re dedit ad Regem et Praelatos Poloniae. Confirmavit dein, seculo sequente, a. 1436. Uladislaus Iagello, Rex Poloniae, etiam amplificavit. Vid. Bzovius a. 1327. de Synodis nonnulla observabo. Habita est Synodus Generalis *Viennensis*, ordine Oecumenica *decima quinta*, paucis describenda. Particulares enim, pro Papis, et contra eos, aliasque ob causas, celebratas recensere longum, et inutile, foret. Indicta est a Clemente V. a. 1307., ut biennio post haberetur, sed non nisi quadriennio post celebrata est,

a. 1311.

a. 1311. Viennae Allobrogum, ad fluvium Rhodanum, et non ad Danubium, quae Vindebonensis proprie adpellatur. Causae fuerunt variae, in diplomate convocationis expressae, sed aliae accessoriae, aliae principales, 1. discussio et condemnatio Templariorum: eorumque exstirpatio. 2. Subsidium terrae sanctae, ejusque recuperatio. 3. Fidei Catholicae confirmatio contra Fratricellos, Dulcinistas, Beguardos et Beguinas 4. Morum et disciplinae reformatio. Ut autem collapsa disciplina eo rectius instauraretur, jussit Papa, ut, quae reformatione indigebant, ea ad Synodum a prudentibus viris deferrentur. Unde Gulielmi Durandi celebris iste tractatus, *de modo generalis Synodi celebrandae*, natus est. Fuit iste viri cognominis, de quo seculo superiore dixi, nepos, et in Mimatensi Episcopatu successor ab a. 1296. Quo in tractatu, qui cum aliis, uti Nicolai Clemangis, *de corrupto Ecclesiae statu* etc., prodiit Parisiis a. 1671., Romanae curiae, Cleri, et Monachorum vitia vivis depinguntur coloribus. Recensitus quoque est liber iste in *Catalogo test. Verit.* lib. XVI. Synodo praesedit Clemens V., adfuerunt, secundum *continuatorem* Chronici Nangiaci, 114 Episcopi et Abbates, sed secundum Villani et Antoninum 300. Interfuerunt etiam Patriarchae Alexandrinus et Antiochenus, ritus Latini. Absoluta est tribus sessionibus, et septem menses duravit. Decreta denique sunt sequentia. 1. Templariorum excidium, bonis eorum dispositioni Papae pro parte relictis: de quo postea. 2. Expeditio cruciata in terram sanctam: quam promisit Philippus, Galliae Rex, cui eum in finem sacrae decimae in sexennium sunt adsignatae: sed in vanum cecidit. Vid. Krantzius Saxoniae lib. IX. 3. Johannis Olivi tres erroneae opiniones damnatae sunt. Vid. Clementina prima *de fide Catholica*. Sunt autem, ut supra monui, Christi adhuc viventis latus lancea esse perfossum, animam rationalem non esse per se et essentialiter formam corporis, denique habitum fidei et virtutis non infundi parvulis in baptismo. 4. Proscripti etiam sunt

Beguardorum et Beguinarum errores; ut ex Clementina *ad noſtrum*, tit. de haereticis, conſtat. 5. Denique variae conſtitutiones Clementinae, ad diſciplinam ſpectantes, non quidem in concilio ſunt editae, licet Papa, ſe eas *ſacro concilio adprobante* publicare, dicat, ſed a Clemente, cui illud commiſerat Synodus; teſte *continuatore* Nangii. 6. Poſtremo, ut paſſim putatur, Bonifacii VIII. memoria vindicata eſt, ipſeque ordini Catholicorum Pontificum inſertus, licet acta ejus in Philippum, et alios, ſint reſciſſa. Sed de quo in vita Clementis V. egi.

## VITA ET MORES.

§. CCCXXVIII. In Monaſtici Ordinis hiſtoria noſtram ante omnia meretur adtentionem ſtupendum illud *Templariorum* excidium, cum Ordinis totali abolitione; cujus ſingularis caſus tradenda eſt paulo adcuratior notitia. Tragoediam hanc a Philippo Pulchro, Galliae Rege, incepiſſe, ejuſque juſſu et opera, uno eodemque die, imo quaſi *ſub ejuſdem horae momento* a. 1307., die Veneris, tertio Idus Octobris, omnes per totam Franciam Templarios fuiſſe captos, et in carceres conjectos, ut narrat continuator Nangii, omnes quidem teſtantur hiſtorici, ſed de occaſione et cauſa tam inauditi caſus inter eos non convenit. Sunt, ut Johannes Villani, Antoninus, et autor Chronici Hirſaugienſis, ex Bibliotheca S. Galli vulgati, qui cauſam a duobus Ordinis viris, ob ſcelera in vincula conjectis, repetunt: illi enim, ut Regis gratiam aucuparentur, et libertati redderentur, horrenda de Ordine crimina Regi ſignificaſſent: quorum alter memoratur Prior Montisfalconis in agro Toloſano, ab ipſo Ordinis Magiſtro perpetuo carceri ob ſcelera mancipatus, alter Noffus, patria Florentinus, ſive ab eodem Magiſtro, ut Chronicon citatum habet, ſive, ut alii, a Praetore Pariſienſi in carcerem ob ſcelera truſus. Sed *continuator* Nangii in genere tradit, *dudum ad Regis*

*aures*

*aures perveniſſe ex teſtimoniis plurium, et relatu, quorum quidam Ordinem ipſum profeſſi fuerant, tam Ordinem, quam Ordinis profeſſores, deteſtandis criminibus fuiſſe infectos.* Inputata vero ſequentia ipſis ſunt crimina, 1. abnegatio Chriſti, et Chriſtianae religionis, ſtatim ac Ordinem ingrederentur, ab iis ſolenniter facta. 2. Quod ter imaginem Chriſti conſpuerent, cum ſuſcipiebantur, licet nonnulli juxta ſpuerent: ipſam porro crucem pedibus conculcari mandarent. 3. Quod in receptionibus ſeſe oſcularentur in pudendis. 4. Sanctos, imagineſque, ſpernebant, et verba conſecrationis in celebrando ſacramento omittebant. 5. Cranium quoddam deauratum, et prolixa barba ornatum, adorabant, tanquam idolum ſuum. 6. Sodomitica ſe conſpurcarent libidine, 7. denique, quod ad haec crimina, omnes ſub diro anathemate, et metu poenae, eſſent obligati, et ſilentii juramento adſtricti. Quae omnia ex continuatore Nangii, et in primis ex actis Inquiſitionis apud Petrum Puteanum in *hiſtoria condemnationis Templariorum*, conſtant. Addit alia crimina Robertus Gaguinus hiſt. l. VII. de potu cinerum, ex ſociorum corporibus in cineres redactis, de puero toſto ex virgine ſuſcepto, et unctione ſimulacri ex ejus pinguedine etc. Sed quorum nec in actis, nec alibi apud antiquiores, occurrit mentio.

§. CCCXXIX. Templariis ea ratione per Gallias captis, multifariam per Eccleſiaſticos faciendam inquiſitionem decrevit Rex, quae etiam a Gulielmo de Pariſiis, Inquiſitore Generali per Gallias, ejuſque deputatos, eſt inſtituta; cujus acta ſuperſunt, a Puteano publicata. Patet ex illis, eos longe maximam partem confeſſos eſſe crimina, alios ſponte, alios promiſſis, alios tormentis, eo compulſos. Inter quos fuerunt ipſe Magiſter Templi Jacobus Mola, Burgundus, et Guido, Delphini Viennenſis frater, Magiſter Normanniae; ſed qui poſtea conſtantiſſime revocarunt confeſſionem, et revocationem morte obſignarunt, de ſua et Ordinis innocentia publice proteſtati, cum hoſtium et accu-

ſatorum, nominatim Philippi et Clementis V., illius intra annum, hujus intra 40 dies, citatione ad tribunal Dei. Vid., praeter continuatorem, et Chronicon Hirſaugienſe, Mariana hiſt. Hiſpaniae l. XV. *ex fide dignis*, ut ait, *autoribus*. In hoc cum eſſet Philippus, Clemens V. illud aegre tulit, vel ſe ferre finxit, quod Templarii ſine ſua autoritate capi et inquiri juſſiſſet Rex, contendens et exigens, cauſam ad ſuum tribunal eſſe deferendam. Philippus, quamvis initio fuerit de Papae poſtulato conqueſtus, jura Epiſcoporum regni ſui eo violari contendens, conceſſit tamen mox in vota Papae, multoſque miſit ad Papam, ab eo examinandos. Vix itaque dubium eſt, quin haec Regis et Papae contentio, fuerit ſcenica, et pura puta colluſio. Examine vero coram Papa facto, eorundem criminum confeſſionem, ſed et eodem modo, ediderunt. Quare mox generalis eſt nomine Papae decreta, et inſtituta, Inquiſitio. Habitum etiam eſt concilium Provinciae Senonenſis a. 1310. a Philippo Archiepiſcopo Pariſiis, in cauſa Templariorum, quorum alii, poenitentia injuncta, ſunt abſoluti, alii in arctam dati cuſtodiam, alii quamplures ad perpetuam muri incluſionem damnati, alii curiae ſeculari traditi, et publice combuſti, ad quinquaginta uſque uno die. Quo eodem anno celebratum eſt Rhemenſis Provinciae concilium Silvanecti, in quo aliquot etiam, criminis convicti, brachio ſeculari traditi ſunt, et combuſti. Vid. idem continuator Nangius. Eſt quoque ejuſdem anni Synodus Ravennenſis, autoritate Apoſtolica, convocata; a qua, cum nonnulli ſeſe conſtanter declararent innocentes, decretum eſt, innocentes eſſe abſolvendos, reliquos ex lege puniendos, ſed pro innocentibus etiam habendos, qui, metu vel vi tormentorum confeſſi, poſtea revocaverint, et de innocentia conſtaret. Vid. Rubeus hiſt. Ravenn. ad a. 1310. Denique per Longobardiam et Thuſciam facta quoque eſt inquiſitio, ac horrendorum criminum rei ſunt deprehenſi Templarii. Vid. Bzovius a. 1308.

§. CCCXXX. Intra Gallias enim non mansit inquisitio, sed sese per omnes fere alias regiones longe lateque porrexit. Eodem quo in Francia capti sunt anno 1307., nuncii a Philippo ad omnes Principes Christianos missi sunt, qui eos contra hunc Ordinem concitarunt. Jacobus Arragoniae Rex eos mox in regno suo capi jussit, eorumque bona proscribi. Multi in custodiam sunt dati, alii sese ad loca sua munita receperunt, ut se defenderent, ne indicta causa damnarentur: sed oppugnati sunt et devicti. Quo eodem modo res in Catalonia est peracta. Quaestio etiam mox, regia et Apostolica autoritate, in eos est habita. Quod idem iis evenit in Castella, sub Rege Ferdinando, a quo bona eorum, post Ordinem abolitum, quoque sunt occupata, cum omnibus oppidis. Nec meliorem sortem nacti sunt in Anglia, sub Eduardo II., cujus jussu omnes per totum regnum sunt comprehensi uno die a. 1308. et anno sequente concilium Londinense, autoritate Papali, in ea causa celebratum est; cujus acta non supersunt. Vid. Walsingham in hist. Angliae. Imo, jubente Papa, ubique terrarum Synodi hanc in rem indictae sunt, et celebratae, et inquisitiones institutae, donec Viennensis oecumenica, cujus modo memini, finem huic rei inposuerit a. 1311., totius Ordinis exstirpatione decreta. Notandum vero est, Ordinem non fuisse per modum definitivae sententiae, processu juris observato, abolitum, sed per viam *provisionis*, seu ordinationis Apostolicae; cujus ratio fuit, quod universus Ordo non fuerit citatus, nec, ut Papa praetendebat, commode poterat, quodque nonnullis in Provinciis Ordo fuerit absolutus. Decretum porro est, universa Ordinis bona reservanda esse ordinationi et dispositioni Papali; unde partim Ordini Hospitaliariorum sunt adtributa, partim a Regibus et Principibus ea, quae in regnis eorum erant, occupata. De quo mox.

§. CCCXXXI. Hoc edicto vulgato, et quaquaversum misso, manus ubique in Templariorum bona injectae sunt,

et in eorum personas varie, et crudeliter, est saevitum. Omnes enim ubique per Europam, ubi tunc versabantur, capti sunt, et, per tormenta quoque, examinati, quorum plures sunt flammis traditi, aliqui extra patriam proscripti, vel alia ingressi coenobia, teste Chronico Hirsaugiense. Integri autem septem anni sunt iis exstirpandis insumti. Inter eos, qui triste hoc fatum subierunt, ipse est Magister militum Jacobus Mola, cum Guidone, Magistro Normanniae: quorum notabilis est historia. Spe veniae delusi criminum dederunt confessionem, sed quam, cum se perpetuo muro esse includendos viderent, animis resumtis constanter revocarunt, eam quoque sacrilegii et inpietatis accusantes: quare lento igni tosti, et combusti sunt, summa tamen cum constantia, nihil magis damnantes, quam quod temeraria sua confessione Ordinem innocentem adgravassent. Citarunt praeterea, ut fama fert, non enim de eo aliquid certi constat, Philippum et Clementem ad tribunal Dei, illum intra annum, hunc intra quadraginta dies. Quo de quicquid sit, duo illi eo fere tempore exstincti sunt.

§. CCCXXXII. Singularis et stupendus cum hic sit casus, diversa hominum de ejus justitia, verisque rationibus, quae Philippum et Clementem concitarunt, si rationes habuerint politicas, fuisse judicia, mirum non est. Nec recentiores tantum, sed et antiquiores, et ejus fere temporis viri, hanc circa rem fuerunt, suntque, divisi. Inter hos, qui Templarios non fuisse injuste damnatos contendunt, fuerunt Henricus Stero in Annalibus, Continuator Nangii, Guido in chronico Romanorum Pontificum, Albertinus Mussatus, Tomas Walsingham in historia Angliae, Flavius Blondus, qui tempore Pii II. vixit, Vollateranus, tempore Julii II., Albertus Krantzius, alii: ex recentioribus vero Puteanus, supra citatus, Natalis Alexander dissert. X., ne alios memorem, qui causam Regis et Papae strenue egerunt. Quo etiam inclinat Mariana in hist. Hispaniae. Nec tamen ab altera defuerunt parte, qui crimina inpacta censuerunt

fuerunt esse maximam partem ficta, et Templariorum exstirpationem rationibus politicis adscripserunt. Inter quos sunt Johannes Villani, Antoninus in Chronico, Trithemius Chron. Hirsaugiense, Wilhelmus Heda in historia Ultrajectinorum Episcoporum, alii; et ex recentioribus inter Catholico-Romanos Papir. Massonus annal. l. III., inter Protestantes Hildebrandus hist. Conciliorum, Tomasius in Dissert. Academ., inter Reformatos Spanhemius in hist. Eccles., alii. Nec desunt ab utraque parte rationes, quarum praecipuas exhibebo.

§. CCCXXXIII. Pro Templariorum innocentia non sine specie sequentes pugnant rationes. 1. Originem totius scenae dederunt duo viri scelerati, ab ipso Ordine damnati et expulsi, Prior Montisfalconis, et Noffus Florentinus; ut supra notavi. Sed illud per omnia non est veritati consentaneum, cum alia accesserint; ut supra etiam observavi. Cum tamen hominum eorum delatio, et fama, nondum satis probata, Regem ad Templarios comprehendendos tantum excitaverit, Regem nimis praecipitanter egisse, nec justitiae regulam tenuisse, negari nequit. Unde tamen de Ordinis innocentia nondum liquet. 2. Majoris est, criminum confessionem fuisse tormentis, minis, ac promissis extortam, nec defuisse, qui revocaverint ad mortem usque. Sed illud de omnibus adfirmari nequit: cum multi spontaneam dederint confessionem, si omnis non sit denegenda fides tum actis Inquisitionis apud Puteanum, tum Papae diplomatibus, quorum alterum est ad Regem Galliae, *regnans in coelis*, apud Labbeum in Concil., alterum apud Raynaldum a. 1307. Nec tamen nihili est, quod multi fuerint per tormenta coacti fateri, multi de innocentia protestati sint: notabile inprimis est Magistri Ordinis, de quo supra, exemplum. Ipse Bernardus Guido in vita Clementis V. apud Baluzium vit. Pap. Aven. t. II. dicit, *unum esse mirandum, quod omnes et singuli*, a. 1310. in concilio Senon. damnati, *suas confessiones, tanquam vi aut metu*

*tormentorum factas, retractarint, dicentes, ſe falſa confeſſos.* 3. Pontifex quidem in ſententia publicata fatetur, ſe Ordinem non abolere per definitivam ſententiam de jure, ſed per viam proviſionis, ſeu ordinationis Apoſtolicae, quia totus ordo non fuit in judicium vocatus: verum inde Ordinis innocentia colligi nequit, cum ſingulorum inquiſitio fuerit inſtituta, et de ipſius Ordinis abrogatione, non de ſingulorum ſupplicio, ibi agatur, tantum inde eluceſcit, rem non ſecundum legitimum juris proceſſum, ſed pro autoritate Papali fuiſſe geſtam in Ordine abolendo. Quae poteſtas negari nequit Papis, ſecundum hujus temporis principia. Sicut enim Ordinem confirmarunt, ita eum abolere poterant. Num autem ſat rationis habuerit Papa ita agendi, cum tot alii Ordines fuerint corrupti, alia eſt quaeſtio, quae ad innocentiam Templariorum nihil facit. Ceterum legi merentur, quae continuator Nangii, et Walſingham, ad hanc concilii ſententiam obſervarunt.

§. CCCXXXIV. 4. Animadverſionem quoque meretur, Templarios in duobus conciliis, Salmanticenſi in Hiſpania, et Moguntino in Germania, a. 1310. fuiſſe abſolutos, ut Mariana l. XV. et Serarius rerum Moguntin. l. V. referunt. Sed, licet hinc recte colligatur, inter eos non defuiſſe, vel a criminibus puros, vel qui convinci non potuerunt, praeterea, ſi majore aequitate ac prudentia uſi fuiſſent Inquiſitores, plures forte fuiſſe abſolutos; neutiquam tamen patet, omnes, vel maximam partem, fuiſſe innocentes, aut ob ficta crimina eſſe paſſos; repugnant etiam documenta alia, quibus fides plane negari nequit. 5. Urgeri quoque cum ſpecie poteſt, Philippum et Clementem alias habuiſſe rationes, quibus in Templarios incitati ſunt, uti avaritiam, qua bonis Ordinis, quae inmenſa erant, inhiabant, nimiam Ordinis potentiam, quae Regibus et Principibus gravis erat, et Philippo ſacram expeditionem meditanti, et regnum Hieroſolymitanum pro Filio expetenti, in ſpecie obſtabat. Acceſſit, ſeditionem nuper a Tem-

plariis

plariis in Gallia fuiſſe motam, ob monetam, ex debili in fortem a Rege mutatam. Inficias quidem non iverim, fuiſſe inter rationes illas unam alteramve, quae perſecutionem Ordinis promoverit, et ſine qua fortaſſe nec Reges nec Papa, Ordinis criminibus non obſtantibus, ad eum exſtirpandum veniſſent, quod ex hiſtoricis, qui id obſervarunt, confirmatur, et ex ſumma opum copia ac potentia Ordinis robur acquirit: attamen, innocentem Ordinem eos ob has rationes voluiſſe deletum, minus eſt credibile, nec acta Inquiſitionis, aliaque monumenta, credere permittunt, eos fuiſſe innocentes plane. Addi poſſet, rationem de regno Hieroſolymitano unius Walſinghami niti teſtimonio, nec eſſe probabilem, cum Templarii jam eſſent Palaeſtina expulſi, nec aliquid ibi haberent virium. Solas autem Ordinis divitias Regem non incitaſſe inde colligi ſolet, quod opes jam ante Ordinis abolitionem fuerint diſpoſitioni Papae conceſſae, aut ad Hoſpitalarios tranſlatae. Cum tamen ab altera parte conſtet, bona mobilia maximam partem Regi ceſſiſſe, et inmobilia, jam a Regibus occupata, debuiſſe magno aere redimi ab Hoſpitalariis, quocunque nomine id factum ſit, Reges negari nequit juſtiſſimam praebuiſſe ſuſpicionem in ſiniſtram partem de ſe cogitandi, eorum ad minimum animos fuiſſe ad Ordinis abolitionem proniores.

§. CCCXXXV. 6. Denique, ſi cui incredibile videatur, totum Ordinem adeo ab ipſa religione Chriſtiana defeciſſe, et ad talia fuiſſe crimina prolapſum, is non advertit, α. quid divitiae valeant et luxus. β. quanta per omnes regnaverit Ordines corruptio. γ. Vitia et crimina libidinis, ipſa etiam Sodomitica, inter Clericos, et voto continentiae adſtrictos, ſatis eſſe vulgata, et fuiſſe per multa ſecula. δ. Ordinem poſſe dici corruptum, licet non omnes in eo fuerint eorum criminum rei; de quo ipſa hiſtoria ejus excidii ſatis teſtatur. Quibus addi poteſt, nonnulla crimina ab uno alterove hiſtorico memorari ipſis inpacta, quae in

actis Inquisitionis non reperiuntur. Esse quoque potest, ut crucis et imaginum contemtus, et formulae consecrationis eucharistiae omissio, ansam Christianae fidei abnegationem ipsis inputandi dederit. Qua de re quicquid sit, fidem fere ab altera parte quoque superat, Reges cum Papa in Ordinis persecutionem, et exterminium, potuisse conspirare, simul reliquorum Praelatorum consensum inpetrare, eamque rem effectui dare, si nihil veri subsit accusationibus tam enormibus, aut pessima non laboraverint ubique fama Templarii.

§. CCCXXXVI. Nostrae rationes, ut mentem paucis exponam, habent 1. dubitari vix posse, quin ab altera parte gravissima crimina Ordinem, quoad maximam partem, corruperint, imo nonnullas res, eo tempore sacras, ut cruces et imagines, ludibrio habuerint, ab altera etiam, Reges cum Papa Ordinem habuisse odio, et occasionem eum exstirpandi, quam crimina praebebant, avide adripuisse. De quo utroque ex complexu historiae facile constat, 2. et illud mihi plusquam probabile videtur, crimina vera a falsis, innocentes a nocentibus, non satis fuisse distinctos. Quid autem veri, quid falsi, in accusationibus fuerit, qui rei, qui innocentes, nunc definiri nequit, nec temere quid hac de re adfirmandum esse censuerim, cum Trithemio in Chron. Hirsaugiens. ad a. 1307., cujus haec sunt verba: *inpingebatur iis, quod in professione sua Christum abnegarint. Quod sitne verum an falsum? non est nostrum judicare.* Interea 3. adfirmare non vereor, legitimum in processu judicii modum non fuisse observatum, cum quod sine sufficiente ratione omnes subito capti sint, tum inquisitio in eos instituta sit, tum quod defensionis locus Ordini non fuerit concessus: ut ex superioribus facile constat. Hac ratione famosissimus Ordo est exstinctus, postquam annos 187 stetisset, ab a. 1118. ad a. 1407. vel annos 194, si ad annum 1314., quo perfecta est abolitio, referas.

§. CCCXXXVII. Quemadmodum summa Templariorum depra-

depravata conditio Ordinem vel exſtirpavit, vel ejus rei anſam praebuit, ſic inanes quaeſtiones, inter Franciſcanos ortae, ſchiſma inter ipſos produxerunt, et Eccleſiam adeo turbarunt, ut nonnulli et eum Ordinem eodem modo eſſe delendum cenſuerint. Quod tamen non eſt factum, licet haud pauci iſtius Ordinis multum propterea paſſi ſint. Quam notabilem hiſtoriam multa luce nuper perfudit Moshemius in hiſt. Eccleſ. ſec. XIII. XIV. et XV., cum hac noſtra tractatione, diu ante facta, conferendus. Prima inter eos nata eſt controverſia circa *regulae* Franciſci obſervantiam, cum quoad formam, et colorem, veſtitus et habitus, tum paupertatis reſpectu. Quae lis duplicis generis produxit Franciſcanos, alios *ſpirituales*, *et fratres* ſtrictioris obſervantiae, alios *conventuales*, ſeu fratres communitatis, adpellatos. Quorum illi habitus curtos, ſtrictos, inuſitatos, et ſqualidos ſumſerunt, et conventualium ſuperfluum, et irregularem, condemnarunt. Praeterea Spirituales illi paupertatem in communi et ſpeciali omnimodam requiſiverunt, ita ut nihil proprietatis, imo nihil juris in rem, ne quidem in cibum ac potum, aliaque neceſſaria vitae ſubſidia, relinquatur, ſed ſolus concedatur uſus, non juris, ſed facti tantum, ita ut alimentis quidem veſcerentur, ſed ſine ullo ſuo jure proprio. Conventuales autem laxiorem hac parte profitebantur paupertatem, quae aliquid proprii habere permittebat, ut frumentum et vinum in granariis, licet eleemoſynis quaeſitum.

§. CCCXXVIII. Papae has quaeſtiones, ad ſe delatas, varie definiverunt quoad paupertatem, habitus et caputii deciſione relicta paſſim Ordinis Praefectis. Nicolaus III. celebri decretali, *exiit qui ſeminat*, judicavit, *abdicationem proprietatis omnium, tam in communi quam ſpeciali, propter Deum, meritoriam eſſe et ſanctam*, eamque perfectionem Chriſtum et *verbis* docuiſſe, et *exemplo* monſtraſſe, primoſque fidei fundatores tenuiſſe; adeoque Minoritis ſolum uſum eſſe conceſſum, ſine ulla proprietate aut jure, bonis eorum omni-

omnibus, ipsis donatis, sedi Apostolicae reservatis. Quam in eandem fere rationem caussam definivit Clemens V. in Synodo Viennensi, edita constitutione, *exivi de Paradiso*, nisi quod in consistorio fuerit decretum, modum vivendi conventualium, et communitatis Ordinis esse licitum, simul regulae Francisci observandae sufficere: ut Waddingus observat. Ab his vero definitionibus, quae Spiritualibus magis favebant, discessit Johannes XXII., qui, edita decretali, *ad conditorem*, inter ejus *Extravagantes*, declaravit, Minoritis non simplicem usum facti in rebus concessis, sed et jus, proprie dictum, competere, quia sine eo usus foret illegitimus; praeterea dominium earum rerum sedi Romanae negavit, et Ordini transcripsit. Quae decretorum diversitas nimia est, quam ut cum autoritate Papali conciliari queat. In quo frustra laborarunt Catholico-Romani, seu Pontificii.

§. CCCXXXIX. Praeter Spirituales, ut sectae historiam persequar, adpellati quoque sunt, quod ante omnia observandum est, per Italiam et Galliam, *fratricelli*; quo nomine eos, per contemtum, insignivit omnium primus Johannes XXII., quasi dicas *fraterculos*, ut habetur in diplomate Ludovici IV. a. 1324., in eorum favorem contra Johannem, apud Goldastum Constit. Inper. p. II., per Germaniam vero et Belgium, aliasque regiones, *Beguardi et Beguini*, ab antiqua voce Germanica *beggen*, *beggeren*, hodie *begheren*, seu studiose petere. Quibus nominibus viri et foeminae veniunt, tum pauperes mendicantes, tum ardenter precantes, et devoti in genere. Quo etiam *Bizochorum* nomen pertinet, quo *peram*, Gallice *besace*, instar mendicantium gestantes, insigniuntur. In specie autem Beguinae dictae sunt foeminae ejus sectae, unde pro virginibus, Deo sacratis, usurpatur. Ipsi denique sese nuncuparunt *fratres pauperes de tertio Ordine Francisci*, unde suam repetierunt originem. Separatae autem a Minoritis sectae initia derivantur a Petro de Macerata, et Petro Forosempronio, qui a Papa Caelestino

no V. inpetrarunt, ut Francifci regulam ftricte, et ad litteram, obfervent. In quam fectam jam invalefcentem Papa Bonifacius VIII. inquifitionem inftitui juffit. Vid. Raynald. a. 1297. Praecipuus fectae promotor celebratur Petrus Olivi, de quo feculo fuperiore egi. Clemens vero V. fegreges Minoritas conatus quidem eft ad unitatem Ordinis reducere, declaratione de regula Francifci data, quam modo memoravi; fed tantum abeft, ut ei obediverint, ut in Papae autoritatem publice infurrexerint. In quo praecipuas habuit partes Ubertinus de Cafali, Minorita, Petri Olivi veftigiis infiftens, ut ex articulis contra eum productis liquet, in Mifcellan. Baluzii tom. I.

§. CCCXL. Quae Spiritualium, et adverfariorum, contentio longe vehementior facta eft fub Johanne XXII., qui illorum opinionem de paupertate non tantum damnavit, fed et haerefios notam iis inuffit, eofque tribunali Inquifitionis objecit, cum in pertinacia, qua papalem autoritatem fpernebant, perfeverarint, edita contra eos conftitutione a. 1318. *gloriofam Ecclefiam*, in Extravagantibus, in qua fequentes errores ipfis inputantur. 1. Duas effe Ecclefias, unam carnalem et corruptam, cui Papae et Praelati praefident, alteram Spiritualem, pauperem et puram, quae fuae eft fectae. 2. Penes Praelatos Ecclefiae carnalis, ficut nulla eft fanctitas, ita nullam effe auctoritatem, nullam poteftatem res ordinandi, aut facramenta adminiftrandi, adeoque iis non effe praeftandam obedientiam. 3. Juramentum effe illicitum, quin peccatum mortale. 4. Euangelium Chrifti hucufque abjectum et exftinctum in fe folis compleri. 5. Multa alia contra conjugii Sacramentum, de curfu temporum, et fine feculi, de Antichrifti inftante adventu, eos fomniare. 6. Denique tribuitur ipfis opinio de omnimoda paupertate, et Chrifti ac Apoftolorum, et regulae Francifci, nec non de caputio et veftitu ftricto, quae primae feparationis fuit origo, infuper de Papali autoritate nulla circa regulam Francifci, adeoque Papae praeceptis non

esse obediendum. Haec omnia in tractatu contra Beguinos et Spirituales Minoritas reperiuntur, in Miscellan. Baluzii tom. I. Johannes XXII. in epist., ad Johannem Episcopum Argentoratensem apud Baluz. Pap. Avenion. tom. II. c. 66. Beguinas dicit de *summa Trinitate de sacramentis, de articulis fidei, et obedientia Ecclesiae, in injuriam suam, et in scandalum Ecclesiae, et vacillationem animarum simplicium, temere disputare, praesumere, contemnere. Praelatorum suorum obedientiae subjacere, nominantes se pueros vel sorores liberi Spiritus, et voluntariae paupertatis.*

§. CCCXLI. Alios adhuc errores memorat, et condemnat, sub Beguardorum nomine, Clemens V., et concilium Viennense; qui cap. ad *nostrum* de *haereticis* recensentur. 1. Hominem in hac vita eum adsequi posse perfectionis gradum, ut sit inpeccabilis, et amplius in gratia proficere nequeat. 2. Eum, qui eousque provectus est, nec jejunare, nec orare, amplius oportere. 3. nec esse humanae obedientiae subjectum, aut ad aliqua praecepta Ecclesiae obligari. 4. Intellectualem quamlibet naturam in se ipsa naturaliter esse beatam, nec indigere lumine gloriae, ad Deum videndum elevante. 5. In actibus virtutum se exercere esse hominis inperfecti etc. 6. In corporis Christi elevatione non licere adsurgere, aut ei reverentiam exhibere; altitudinem quoque contemplationis non admittere cogitationes de passionibus Christi. Denique additur, mulieris osculum, cum natura ad illud non inclinet, esse mortale peccatum, sed rem cum ea habere propterea non esse peccatum, praeterea gravia ab ipsis committi crimina non nominanda. Imo inputatur Begardis dogma de licentia peccandi, et quidvis patrandi, modo quis habeat charitatem: sed sine fundamento. Vid. etiam Beausobre de *Adamitis*, ad calcem *belli Hussitici* Lenfantii.

§. CCCXLII. Recenset non tantum eosdem fere errores Alvarus Pelagius, autor aequalis, Silvensis Episcopus, in libro de *planctu Ecclesiae* l. II., sed et caput sectae Beguardorum

ardorum refert esse *Dulcinum*, Geraldi Sagarelli discipulum. De quorum erroribus exposuit Antoninus in Chronico, Eymericus in directorio Inquisit., et Franciscus Pegna. Sagarellus in manus Inquisitorum incidit, a quibus damnatus et Magistratui ad comburendum traditus est, et flammis absumtus a. 1300. In Dulcinum vero, qui Novariensis Dioecesis dicitur fuisse, et filius sacerdotis spurius, ejusque adseclas, qui ad aliqua millia numerantur, in Alpibus se detinentes, Inquisitores primum, dein exercitus Cruciati, sunt incitati; et Dulcinus, cum multis aliis, post varia virtutis heroicae, et prudentiae, data specimina, captus quoque est, et flammis traditus a. 1307. Ceterum Dulcini, ejusque dogmatum, et stupendorum facinorum in bello cum Catholicis, palam gesto, denique mortis etc. historia, ab aequali autore conscripta, exstat apud Muratorium Script. Ital. tom. IX. Ex recentioribus id luculenter, ut solet, praestitit Cl. Moshem. in peculiari libello. Fidem quidem Catholicam, ut ibi traditur, praetulit, licet Ptolemaeus Lucensis in vita Clementis V. tradat, ipsum in *sacramentum etiam peccasse*, silentibus aliis, sed omnimodam paupertatem et continentiam suasit, Praelatos cum eorum Ecclesiis damnavit, denique spiritum praetendit propheticum, et Prophetarum ac Apocalypsios effata adplicuit ad sua tempora, Fredericum, regem Siciliae, filium Petri, Regis Arragonum, Papam esse debellaturum a. 1305., et tunc suam sectam esse dominaturam statuit. Est itaque Apostolicorum secta, cujus conspectum dedi seculo XIII., renovata, cum aliqua mutatione. Inputatur quoque ei promiscuus concubitus, et licita sectae abnegatio ad pericula vitanda: quae si ea ratione averti nequeant, confessionem esse intrepide edendam. Singulare est, quod prophetaverit, Antichristum esse venturum post tres annos, quibus Fredericus dominium teneret; tunc autem ipse cum suis latitaret, in paradisum translatus; Henochum autem et Eliam eo tempore in terram esse mittendos, ad Antichristum refutandum. Sed ab eo esse occidendos,

donec ipse Antichristus e medio tollatur, quando Dulcinus cum suis in terram rediret, etc.

§. CCCXLIII. Haud levem Fratricelli quoque subierunt persecutionem sub Johanne XXII.; quorum nonnulli ab Inquisitore damnati, ab Episcopo Massiliensi degradati, et Massiliae combusti sunt, cum quod et habitum, et paupertatem, tenerent secundum suam regulae Francisci interpretationem, tum praeceptis Papae hac parte negarent obedientiam. Acta supersunt in Miscellan. Baluzii tom. I. Praeterea Petri Johannis Olivi libri sunt, jussu Papae, examinati et proscripti, ipsius ossa exhumata et combusta: ut Franciscus Pegna narrat. Sententia vero a Magistris Theologiae in eos libros lata exstat apud Baluzium l. cit. Sed ne sic cessavit persecutio, et plures alii eos ob errores, et quod Olivum, ac Massilienses combustos, defenderent, eandem subierunt poenam Narbonae, et in ejus Provincia: Vid. apud Baluzium l. cit. Ceterum praecipui errores eorum fuerunt, quod regulae Francisci stricte adhaererent, et Papalem spernerent autoritatem, ritusque varios ac instituta Ecclesiae Catholicae damnarent. De reliquis erroribus, ipsis inputatis, nihil certi adfirmari potest, licet non sit inprobabile, eos praelusisse Pietistis, sic postea dictis. Quales Beguardos depingit Gerson de *consolatione Theologiae* lib. IV. Denique adnumerandus et ipsis est Arnaldus Montanerii, ex Catalonia oriundus, Minorum Professor, ab Inquisitoribus damnatus, et jussu Gregorii XI. captus, ob hos errores. 1. Christum et Apostolos nihil habuisse proprii 2. nullum, habitu Francisci indutum, damnari posse 3. Franciscum semel quotannis descendere in purgatorium, indeque sui Ordinis viros extrahere. 4. Ordinem Francisci duraturum in perpetuum. Vid. Eymericus in *directorio Inquisitionis*.

§. CCCXLIV. Superior de omnimoda paupertate secundum regulam Francisci controversia peperit aliam, quae Franciscanos et secum et cum aliis commisit, de *paupertate* scilicet

licet *Christi et Apostolorum.* Cujus originem maxime praebuisse fertur Beguinus quidam, sive Bizochus, jussu Narbonensis Archiepiscopi, et Johannis Pelvae, Ordinis Praedicatorum, Inquisitoris, captus Narbonae: qui inter alia adseruit, Christum et Apostolos, viam perfectionis sequentes, nihil habuisse jure proprietatis, et dominii, nec in speciali, nec in communi. Qua super thesi cum Inquisitor viros Doctos consuluisset, Berengarius Taloni, ex Minoritis Theologus, eam declaravit orthodoxam, et a Nicolao III. Papa jam definitam. Re ad Papam Johannem XXII. dein delata, is inter alios in consilium adhibuit Ubertinum de Casalis, de Minorita factum Benedictinum per dispensationem Papalem, qui a. 1322., nonnullis adhibitis distinctionibus, explicuit, qua ratione vera, et qua falsa, sit habenda: quod responsum edidit Baluzius l. cit. Antequam vero litem dirimeret Papa, cui responsum placuit, Minores generalem Ordinis conventum celebrarunt Perusii, missisque quaquaversum litteris encyclicis declararunt, se Nicolai III. decisioni insistere, thesinque illam pro sua et orthodoxa admittere, contraria, tanquam haeretica, rejecta. Quibus litteris subscripsit Michael Cesenas, minister Generalis, cum aliis provinciarum ministris. Qua Minoritarum praesumtione, qui ante Papalem definitionem tale quid fuerunt ausi, exacerbatus Johannes, edita constitutione, *ad conditorem Canonum*, declaravit, Nicolai decretalem *exiit* non esse intelligendam de rebus, quae usu consumuntur, quarum rerum usum non tantum, sed et dominium, antea sedi Pontificiae transcriptum, reddidit Minoritis, praeterea per definitivam sententiam, emissa constitutione, *cum inter nonnullos*, a. 1323. propositionem, *Christus et Apostoli in speciali non habuerunt aliquid, nec in communi*, ejusque defensionem, declaravit erroneam et haereticam. Quae definitio valde irritavit Minoritas, ingentesque motus et turbas concitavit. Michael Cesenas, cujus declaratio exstat in Annal. Cesenat. apud Muratorium Script. Ital. Tom. XIV., Ockamus, aliique,

ſeſe adeo fortiter Papali autoritati oppoſuerunt, ut totius Ordinis abolitionem nonnulli ſuaſerint Papae, ad exemplum Templariorum: ſed illud inpeditum eſt, in primis quod major Minorum pars ſeſe Papali conſtitutioni ſubmiſerit. Vid. Antoninus in Chron., et ex recentioribus Wadding. in Annal. Minoritarum. Inter eos, qui Papalem autoritatem inpugnarunt, celebrem ſeſe praeſtitit Johannes Vitoduranus, ab oppido natali Helvetiae ſic dictus: cujus ſupereſt hiſtoria ab a. 1215. ad a. 1348. in corpore hiſtor. Eckardi tom. I. Nec vices Minoritis rependere deſtitit Johannes, eos excommunicando, multiſque modis vexando, ad mortem et vivicomburium uſque. In quo opem ipſi ſtrenue tulerunt Dominicani, quorum furor eouſque proceſſit, ut, in Minorum contumeliam, Chriſtum depinxerint, una manu cruci adfixum, et altera denarios tractantem, et burſis in cingulo ſuo pendentibus inferentem: ut refert Vitoduranus. Paſſi deinceps ſunt Franciſcani ejus ſectae in Germania multiplicem perſecutionem, mortuo Ludovico Bavaro, eorum patrono, ſub Carolo IV., ab anno 1347., qui manus per omnia praebuit Papis. Quo factum eſt, ut ſeſe per Helvetiam, Brabantiam, et Hollandiam, diſperſerint. Vid. Raynald. Annal. ad a. 1372.

§. CCCXLV. Supereſt, ut praecipuos aliquos novos Ordines, hoc ſeculo natos, verbo recenſeam. *Congregatio S. Mariae montis Oliveti*, ſeu Ordo Olivetanorum, a monte Oliveti, ſeu colle Senis in Italia, ſic dictus, originem ſuam debet Bernardo Ptolemaeo a. 1313, cum ſociis Patricio, et Ambroſio, et adprobationem Johanni XXII., qui regulam Benedicti illis praeſcripſit, ut eam, pene collapſam in Italia, inſtaurarent. Cui congregationi adjuncta eſt ſeculo XVI. illa *Monachorum corporis Chriſti*, hoc ſeculo etiam nata. Feſto nimirum corporis Chriſti ab Urbano IV. inſtituto, et a Clemente V. in Synodo Viennenſi confirmato, viri quidam religioſi ſeſe adorationi ſacramenti, et officio a Toma Aquinate conſcripto, ejuſque recitationi, adſtrinxerunt,

runt, inde dicti *Monachi albi corporis Christi*, *et fratres de officio* corporis Christi; professi sunt regulam Benedictinam. Vid. Lancelottus in historia Olivetana, et de origine Ordinis Olivetani vita Franciscae in Actis Sanctorum Mart. Ordo *Eremitarum S. Pauli*, qui primus fuit Eremita, institutus est ab Eusebio Strigonensi in Hungaria a. 1215., sed hoc demum seculo a Clemente V. confirmatus a. 1308., rursus a Johanne XXII. a. 1328., regula Augustini praescripta. Ordo *Jesuatorum*, eo insignitus nomine, quod nomen Jesu frequenter haberent in ore, originem repetiit a Johanne Columbino, nobili Senensi, et confirmationem ab Urbano V., sub regula Augustini a. 1367., sed exstinctus est a Clemente IX. a. 1668. Victum sibi comparabant hi Monachi, non mendicando, sed opere manuario, secularibus negotiis se non inmiscebant, Orationem Dominicam, et salutationem Virginis, recitabant quotidie 165 vicibus. Vid. praeter Sabellicum, et Polydorum Virgilium, Sylvester Maurolycus, in mari *Oceano religionum*. Ordo *Hieronymitarum* in Castella institutus est a Petro de Guadaffinaria, aliisque nobilibus, partim Italis, partim Hispanis, confirmatus vero, sub regula Augustini, a Gregorio XI., qui et habitum dedit, et certis constitutionibus robur addidit. Vid. Mariana hist. Hispan. l. XVII. Transiit quoque Ordo in Italiam a. 1380., ubi eremitae S. Hieronymi dicti sunt. Vid. Sabellicus ennead. IX. et Polydorus Virgilius. Denique Ordo *S. Ambrosii*, qui diu antea exstitit, nunc sub regula Augustini corroboratus est a Gregorio XI., cum potestate recitandi officium Ambrosianum, praedicandi verbum Dei, confessiones audiendi, et mortuos sepeliendi, sed sine praejudicio parochialis Ecclesiae, dato diplomate a. 1375. in Bullario Romano tom. I.

§. CCCXLVI. Denique cum duo Ordines nomen habuerint, a duabus famosissimis foeminis, unus a Catharina Senensi, ad ejus vitae normam institutus sec. XV. sub Nicolao V., alter a Brigitta Sueca, hoc ipso seculo, de illis

foeminis quaedam, ſed ſtrictim, ſunt proferenda. *Catharina*, cujus vitam, ſeu legendam, compoſuit Raymundus de Vinea, Capuanus, Ordinis Praedicatorum Magiſter, et Catharinae confeſſionarius, in Actis Sanctorum, quocum conferendus eſt Antoninus in *ſumma hiſtorica*, Catharina, inquam, fuit Senenſis, ex ignobili domo, virgo Ordinis tertii Dominicani, de *poenitentia* dicti, multis modis famigeratiſſima, per jactatas revelationes, exſtaſes, apparitiones, etiam Chriſti, Mariae, Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum, imo per familiariſſimum cum Chriſto commercium, vario modo demonſtratum. Chriſtus utique eam fertur, ad Mariae petitionem, ſibi ſolenni ritu deſponſaſſe, annulo aureo ejus digito in viſione inpoſito, qui ei ſemper adhaeſit: praeterea, cum novum poſtulaſſet a Chriſto cor, ipſe ei ſe manifeſtans, latere ſiniſtro aperto, cor carneum ſuſtulit, et in ejus locum indidit rubicundum, ſuum id eſſe adfirmans, et in ejus teſtimonium relinquens cicatricem in ſiniſtro latere. Vidit quoque, ut nugantur, Chriſtum crucifixum ſuper ſe ingente cum lumine deſcendere, et ex quinque vulnerum ejus cicatricibus ſanguinem in ſe defluere, ac ad cor ſuum penetrare. Qualium nugarum pleniſſima eſt haec legenda. In carnis autem mortificatione praeripuit omnibus palmam, ſed et ſibi ſuccum vitalem, cum ipſa vita; mortua eſt anno aetatis 33*tio*, a. 1380. Maceravit enim corpus inedia, pane ac crudis herbis tantum uſa, cum aqua frigida, ſaepe longum tempus jejunans, ſolo pane euchariſtico vivens, dein Vigiliis, ita ut intra duos dies dimidiam tantum horam dormiret: pro ſtrato habebat tabulas ligneas, catenam autem ferream cuti inmediate adhaerentem, eamque ſtringentem, geſtabat, ſibique catena ferrea diſciplinas quotidie ſevere inferebat, unam pro ſe, aliam pro defunctis, tertiam pro vivis. Haec talis tam devota, vel ſuperſtitioſa, foemina ſummae fuit exiſtimationis, et autoritatis, quae Gregorio XI. ſedis reſtitutionem Romae perſuaſit, ejuſque, et Urbani VI., functa eſt legationibus,

ut

ut ſupra narravi. Ordini Sanctorum inſcripta a Pio II. a. 1461. Scripſit, praeter Epiſtolas, quae Italice et Gallice exſtant, et alia, *librum dialogorum*, a Raymundo in linguam Latinam tranſlatum, et *divinam doctrinam*, datam per *perſonam aeterni Patris intellectui loquentis.*

§. CCCXLVII. *Brigitta*, ſeu rectius Bergitta, Sueca, filia Bergeri, Regis Uplandiae, conjux Ulfonis, Principis Nericiae, octo ex ipſo liberorum mater, marito inter Ciſtercienſes Monachos defuncto a. 1344., vidua, celeberrimum nacta eſt nomen per revelationes divinas, a concilio Baſilienſi ſec. XV., varioſque Papas, adprobatas, perque varias ſuſceptas peregrinationes ad loca ſancta, ut Compoſtellam, Romam, Hieroſolymam, denique per novi Ordinis, et regulae, inſtitutionem, ab ipſo Domino et Salvatore, ut praetendit in ipſa regula, dictatam; quae et inde adpellata eſt *regula Salvatoris*, ſicut et Ordo ipſe *Salvatoris*, praeſcripta viris et foeminis in honorem Mariae, matris Domini, quae quotidie tanquam regina mundi et Angelorum erat invocanda. Quam confirmavit Urbanus V. a. 1363. Ipſam autem Brigittam canonizavit Bonifacius IX. a. 1391., Johannes XXIII. in concilio Conſtantienſi, dein Martinus V. a. 1419. Vid. etiam L'Enfant, in hiſt. concilii Conſtantienſ., ubi etiam icon Brigittae viſitur. Sed illud negligendum non eſt, eam Biblia ſibi curaſſe verti Suecice a Matthia Lincopenſi Canonico, vid. vita Brigittae, ipſamque inmaculatae conceptioni Mariae faviſſe, ſecus ac Catharina Senenſis, quae adſeruit, ſibi revelatum eſſe, Mariam in peccato originali eſſe conceptam. Vid. Antoninus in *ſumma* p. I. tit. de *peccato originali*, ſermonem Angelicum de *excellentia* Mariae, et orationes ejuſdem argumenti. Compoſuit etiam *officium Mariae*, quod e Latino verſum Anglice prodiit. Vid. Warthon in *auctario* ad Uſſerium de *ſcript. Vernaculis* etc. Ordinem vero ſecundum regulam ejus inſtitutum deſcripſit Tomas Walſingham in hiſt. Anglicana.

§. CCCXLVIII. De *vita* et *moribus* Ecclesiae Latinae paucis defungi potero, cum omnium una fuerit vox, eam, si res in genere consideretur, fuisse in Capite et Membris corruptissimam, per omnes Ordines et status, adeoque reformationem hac parte esse necessariam, nec longe abesse posse. Qua de re legendus omnino est Durantius Mimatensis junior, ab alio cognomine, speculatore dicto, Mimatensi quoque Episcopo, qui seculo superiore floruit, probe distinguendus, fuit enim ejus nepos, et in Episcopatu successor. Interfuit concilio Viennensi sub Papa Clemente V., ibique publice recitavit tractatum suum de *modo celebrandi concilii Generalis*, jussu Clementis compositum, in quo singulorum Ordinum vitia, in primis Monachorum et Sacerdotum ignaviam, libidinem, et luxuriam, vivis depingit coloribus, et acerbe perstringit. Tractatus est varie editus, ejusque summam exhibet *Catalogus testium veritatis* lib. XVI. Testatur quoque de eadem depravatione libellus de *aetatibus Ecclesiae*, ibid. recensitus, lib. XVIII., nec non colloquium inter Fredericum, Siciliae Regem, et Arnaldum de Villa Nova ibid., quod eo tendit, ut Frederico eximatur dubitatio de veritate religionis Christianae, inde orta, quod nulli non Ordines essent infectissimi, ac nimium difformes Euangelio. Calamum quoque acriter strinxit in Ordines mendicantes. Conquestus quoque ipse Papa Benedictus XII. est in epist. ad Capitulum Narbonense apud Baluzium Miscell. l. II. de Cleri Narbonensis corruptione, sicut et Clemens VI., Monachorum mendicantium causam agens, in Cleri vitia invectus est, dicens inter alia, *si tacerent mendicantes, quinam praedicarent populo? si de humilitate praedicaveritis*, ad Clericos sermonem vertens, inquit, *vos estis, super omnes status mundi, magni, superbi, et elati, et pomposi: si de paupertate, vos estis magis tenaces et cupidi, unde non vobis sufficiunt omnes praebendae, et beneficia mundi, si praedicatis de castitate, de hoc tacemus, quia Deus scit, qualiter quilibet agit* etc. Vid. continuator Nangii in spicileg. Dacherii.

cherii. Addatur Alvarus Pelagius, Johannis Scoti discipulus, Minorita, et Johannis XXII. poenitentiarius summus, qui *summam* de *planctu Ecclesiae* scripsit, eoque in libro deplorabilem Clericorum et secularium statum multis descripsit. Quo eodem pede incesserunt Dantes Aligerius, Petrarcha, et alii. De quibus supra dixi. Plura qui velit, adeat Hottingerum hist. Eccles. hujus seculi.

## HAERETICI.

§. CCCXLIX. Fuerunt quidem hoc seculo magno numero, praeter Fratricellos et Beguardos, de quibus modo disserui, qui ob pravas opiniones damnati, vel et flammis traditi sunt, vel eas revocarunt, sed quos recensere longum foret et taediosum. Mitto itaque ex. gr. Cecconem Asculanum, Eccardum Theologum Germanum, ex ordine Praedicatorum, cujus opiniones, ad mysticismum tendentes, a Joh. XXII. a. 1329. damnatae sunt, exstant apud Raynaldum, Marsilium Patavinum, et Jandunum, qui duo Inperatorum et Regum jura tuiti sunt contra Papas et Clerum, eo etiam usque, ut Petro, adeoque et Papis, nullam datam fuisse prae reliquis praerogativam statuerint, Clericorum porro differentiam a Principum autoritate pendere, nec illis jurisdictionem coactivam competere, nequidem excommunicationem sine Principis voluntate, Johannem de Mercuria, Nicolaum de Ultricuria, aliosque multos, qui partim Mysticorum Kabbalistarum errores tenuerunt, partim Philosophicis subtilitatibus se inplicuerunt, partim alia, quae tanti non sunt, male sana urserunt: illas tantum memorabo haereses, sic dictas, quae dominanti religioni, vel superstitioni, fuerunt oppositae, et aliquos fecerunt progressus. *Arnoldo Villanovano* inter alia, apud Eymericum in *directorio Inquisitionis*, inputatur. 1. Naturam Christi humanam, cum divina unitam, aequalem esse Deo in omnibus. 2. Apostasiam a planta pedis usque ad verticem regnare in toto

Christi corpore, et doctrinam per Monachos et Philosophos adulterari. 3 Opera charitatis et misericordiae esse fundationibus capellarum, aut praebendarum, aut Missa ipsa, Deo gratiora, imo in Missa Deum ore, non opere, laudari, et passionem Christi magis in eleemosyna, quam in Missa, repraesentari. 4. AEternam damnationem Deum non esse comminatum tam peccantibus, quam malum exemplum praebentibus. 5. Revelationem Cyrillo factam esse Scriptura S. pretiosiorem, et Mundum a. 1335. esse periturum.

§. CCCL. *Lollardorum* sectae, per Germaniam, Austriam, et Bohemiam, ortum dedisse fertur Lolhardus Walterus, vel Gualterus Lolhardus. Sed nomen esse derivandum ab antiquo Germanico verbo *lollen*, *lullen*, quod est voce submissa canere, et nota terminatione *hard*, adeoque denotare homines devotos, ac Deum carmine celebrantes, occupatum jam est. Vid. Cl. Moshemius hist. Eccles. sec. XIV., qui etiam recte observavit, nomen hoc non fuisse alicui sectae proprium, sed in genere iis datum, qui sub specie majoris devotionis sese Deo et Ecclesiae visi sunt opponere. Waltherus vero a Trithemio quidem *Lolhardus* adpellatur, sed pro autore sectae non habetur; epitheton autem illud tulit, quod Lollardis adhaereret; quorum primarius fuit minister, et sectae promotor, in ditionibus Germaniae ad Rhenum. Inputantur autem huic sectae sequentes errores, circa a. 1315 spargi coepti. 1. Sacramenta Ecclesiae, baptismum, missam, poenitentiam, matrimonium, extremam unctionem, ut et jejunia, festa, intercessiones sanctorum, nihili esse facienda. 2. Romanam Ecclesiam non esse Christi, sed gentium potius infidelium, ejusque statuta, cum ipsis Praelatis, nullius esse pretii. 3. Mariam, dum Christum peperit, non mansisse Virginem. 4. Daemones esse servandos, et Michaelem, ac bonos Angelos, esse damnandos. 5. Deum nec scire, nec punire, mala quae sub terra fiunt: quare in subterraneis locis quaevis foeda patrasse narrantur. Quae capita recenset Trithemius in *Chron. Hirsaugiense*; additque, sectam

per

per eas regiones adeo fuiſſe propagatam, ut pluſquam octoginta millia nomina ſua ei dederint, multos eorum fuiſſe combuſtos ſumma cum fiducia et laetitia. Ipſe autem Lolhardus, eodem teſte, eandem poenam ſubiit Coloniae a. 1322. Ceterum quae de Angelis bonis, et Deo ſubterranea facinora ignorante, ipſis adſcribuntur, fabulam ſapiunt.

§. CCCLI. Ejuſdem generis et ſectae homines fuerunt *Turrelupini*, utrique Waldenſium propagines. Auctor de excidio Waldenſium et Albigenſium, apud Camerarium in *hiſtoria Eccleſiae Bohemorum*, dicit, *in regione Lugdunenſi pauperes de Lugduno adpellati ſunt, in extremis Sarmatiae Livoniaeque partibus Lollardi ſunt nominati, in Flandria et Arteſia, a loco deſerto et lupis expoſito, Turrelupini.* ſed aliam nominis rationem ad ſec. XII., ubi de Waldenſibus, dedi. Eſſe autem eos ipſiſſimos Waldenſes, qui primum in Flandria et Francia reſederunt, dein, cum ibi vexarentur, ſeceſſerunt ad fratres ſuos in Delphinatu et Sabaudia, ubi hoc nomen tulerunt, uberius demonſtravit Beauſobre de *Adamitis*, ad calcem *belli Huſſitici* L'Enfant. Graviſſimam autem ibi ſuſtinuerunt perſecutionem a Carolo V., Franciae Rege, et Amedeo, Principe Sabaudiae, incitatus a Gregorio XI. Papa a. 1371. et 1372., magno numero flammis abſumti. Vid. Bzovius. Ceterum illis in regionibus etiam dicti ſunt *Bougres*, ſeu Bulgares, quia confundebantur cum Manichaeis, qui ex Bulgaria venerunt in Italiam, indeque in Franciam. Vid. Uſſerius *ſucceſſ. Eccleſiae* etc. cap. 8., quibus etiam eaedem obſcoenitates, publice exercitae, licet falſo, fuerunt inputatae. 1. Voce non eſſe orandum ſed corde, eaque Spiritus libertate, quae nullis eſt ſubjecta legibus. 2. Neminem pudere debere pudendorum, quae a natura accepimus. 3. Cui opinioni convenienter, narrantur ſine pudore inceſſiſſe nudi, et libidinem more canum expleviſſe: unde Cynicorum nomen ipſis adhaeſit. Quam puram putam fuiſſe calumniam, multis probavit Beauſobre l. cit. Reliqua cum Begardis, vel potius Waldenſibus, habuerunt communia.

§. CCCLII. In ditione Salzburgensi vivicomburii poena adfectus est *Rudolphus* Presbyter, quia tenuit, Judaeum et Paganum sine baptismo posse salvari, verum Christi corpus non esse in altari, Daemones posse ad pristinam redire dignitatem, quia solo cogitatu peccarunt: uti Anonymus Lobiensis, Ordinis Praedicat., refert in Chronico ad a. 1340. citante Hansizco in Germania Sacra tom. II. In Anglia errores narrantur, incertis autoribus, disseminati, praecipue in Cantuariensi Provincia, a Simone Langham, conventu doctorum habito, ad examen revocati, et damnati a. 1368., quos recenset Natalis Alexander triginta numero; quorum praecipui sunt. 1. neminem ob peccatum originale, aut baptismi defectum, damnari. 2. infideles, tam adultos quam infantes, ante mortem gaudere visione Dei, cui si obediant servari, nec nisi propter inobedientiam eam damnari, imo posse de communi lege salvari, qui fide carent, esseque in natura sufficiens ad beatitatem consequendam medium. 3. omnes beatos, aeque Angelos ac homines, esse peccabiles et damnabiles, damnatos quoque reparabiles, et beatificabiles. 4. Deum non posse aliquid annihilare, nec aliquem immediate punire, cum tortor esse nequeat, nec rationalem creaturam posse facere, quae peccare nequeat. 5. Malum esse per se, et non quia prohibitum est. 6. Deum nihil agere, nisi habeat causam quare agat. 7. denique, Patrem et Filium in divinis esse finitum, solum Spiritum S. esse infinitum.

§. CCCLIII. Longe majores motus et progressus fecit Wiclefianismus, in Anglia natus, et longe lateque per alias quoque oras disseminatus, haud uno nomine dignus, qui adcuratius describatur, et enarretur. *Johannes Wiclefus*, ejus autor, vel Johannes de Wiclef, a loco nativitatis in provincia Eboracense ita dictus, ut observat Johannes Lewys, qui ejus vitam novissime, et omnium optime, conscripsit; quocum conferendus est L'Enfant hist. concilii Constantiensis lib. II., natus est a. 1324., et Oxonii in collegio Mertonensi educatus, ibique in scientiis Theologicis, Philoso-

losophicis et Canonicis, ingentes fecit progressus, adeo ut titulum Doctoris euangelici meruerit. Primam vero occasionem, quae ipsum reddidit celebrem, praebuerunt Monachi mendicantes a. 1360. Cum enim illi, praetextu privilegiorum suorum et exemtionum, violarent statuta Academiae Oxoniensis, et a Papa contra Universitatem, ipsum quoque Regem, defenderentur, inter eos, qui se iis opposuerunt, eminuit Wiclefus, qui, ea arrepta ansa, in hypocrisin, superbiam, et corruptionem, Monachorum coepit declamare. Accessit mox aliud, quo fortius est incitatus. Collegio Cantuariensi fundato Oxonii praefecerat quidem Monachum aliquem Simon Islepius, Archiepiscopus Cantuariensis, eique, ob turbulentum animum deposito, suffecerat Wiclefum, a. 1365., sed mortuo Islepio a. 1366., successor ejus, Simon Langham Monachus, causam Monachorum eo in colllegio tuitus, Wiclefum voluit dejectum, et Monachum restitutum. Cui cum resisteret, una cum sociis, Wiclefus, ad Papam Urbanum V. provocans, Papa secundum Monachos pronunciavit, seculares collegio ejecit, et solos in eo posuit Monachos. Erat enim Papa in Wiclefum, praeter alia, exacerbatus, quod praetensum Papae jus in Angliam animose oppugnaverat. Lite enim inter Wiclefum et Monachos pendente, Urbanus V. Regi Eduardo III. intimavit, ut, nisi tributum sedi Romanae, cui Johannes sine terra regnum subjecerat, penderet, sese coram tribunali suo sistat; cui Rex respondit, Johanni hoc sine Parlamenti consensu non licuisse, et, si Papa vi uteretur, totum regnum ipsi repugnaturum. Displicuit hoc responsum Monachis, qui Papae causam publice tuebantur, sed ad Wiclefi fuit delatum, qui occasionem inde adripuit, jura Regis et regni defendendi. Quo Papae quidem in odium incurrit, sed favorem Regis, et protectionem Ducis Lancastriae sibi conciliavit.

§. CCCLIV. Quo in rerum statu munus Professoris Theologiae, seu sacrae paginae, Oxonii adeptus a. 1372. tanto

cum adplausu illud obiit, tantamque sibi adquisivit autoritatem, ut dicta ejus, tanquam oracula, fuerint excepta. Nullam itaque praetermisit Monachos mendicantes perstringendi occasionem, quibus varios haud exiguo numero imputavit errores, sed nec pepercit Papis, maxime postquam unus Legatorum, ad lites inter Regem et Papam componendas, a. 1374. incepisset artes et tyrannidem curiae Papalis Romae propius cognoscere. Utique ab hac legatione redux, in Papam, tanquam Antichristum etc., non fuit veritus declamare: quo ingentem fautorum et adseclarum numerum sibi comparavit. Habuit enim, praeter Eduardum, Ducem Lancastriae, Richardum II., filium Eduardi, sibi faventes optimates quosque regni, Academiae quoque Oxoniensis viros Principes, et plebem fere totam, ipsius etiam Cleri tertiam partem. Vid. Warton in *auctario* Script. Eccles. Cavei, Rex praeterea ipsum novo auxit honore Ecclesiam de Lutterworth in Provincia Licestriensi ipsi committens. Interea Monachi, vehementius irritati, in eo fuerunt toti, ut eum deturbarent. Novendecim mox articulos, ex sermonibus et lectionibus ejus excerptos, circa Papae ac Regis potestatem, et limites excommunicationis, ad Papam miserunt, a. 1376. aut 1377., quos recenset Natalis Alexander. Quibus acceptis Papa eos misit cum litteris ad Regem, ad Simonem Subduriensem, Episcopum Londinensem, ad Universitatem Oxoniensem, et alios, jussitque, ut in errores Wiclefi inquirerent, imo ipsum in custodiam darent, una cum adseclis. Quo jussu excitati Praelati concilium quidem indixerunt eo ipso anno Londini, et mox alterum a. 1378., sed nihil in ipsum ausi sunt decernere, ob summorum virorum patrocinium, quo Wiclefus gaudebat. Tantum vero abest, ut, quod nonnulli referunt, uti habet Walsingham, explicationem articulorum obtulisset, eosque emolliisset, ut Papam diserte adpellaverit Antichristum, eo in primis fundamento, quod clero avaro et superbo inperet; teste responso Wiclefi, sub titulo, *aliqualis responsio*

*ad*

*ad bullam*, quod ex Mſſ. Seldeni produxit Joh. Lewys. Nihil itaque in eum hoc tempore actum eſt; cujus et haec fuit ratio, quod Gregorius XI. fuerit defunctus, et ſedes Papalis per ſchiſma varie diſtracta: ut in hiſtoria Paparum narravi.

§. CCCLV. Wiclefus vero, pace per eas turbas Papales gaviſus, ſeſe magis magiſque in ſtudio Scripturae S. exercuit non tantum, ſed et edito tractatu de utilitate verſionis Scripturae in linguas vernaculas, manum a. 1380. admovit ad novam tranſlationem Bibliorum ex Latina lingua in Anglicanam: qualem ante ſe nemo ſuſcepit, ut in praefatione dicit, poſt ipſum vero eodem ſeculo praeſtitit Johannes Treviſa, ſacerdos Cornubienſes a. 1387. Uterque autor acerbas effudit querelas de tyrannide Cleri, tranſlationem in linguas vernaculas prohibentis, et Laicos a lectione Scripturae S. arcentis; imo poſterior teſtatur, neminem Theologiam aut Scripturam diſcere, niſi curſum ſuum in artibus peregerit, et per duos exin annos fuerit Regens; ita ut decem ſint exigendi anni poſt Grammaticae ſtudium, antequam ad Scripturam pateat aditus. Vid. Warton l. cit. Addatur, libros, judicio Proteſtantium Apocryphos, Canonicorum catalogo excludi. Quantum vero e lectione Scripturae profecerit Wiclefus, luculento mox ſpecimine declaravit, ſeſe a. 1381. opponendo dogmati Tranſubſtantiationis. Publicavit itaque ſedecim concluſiones, quarum prima habebat, *hoſtiam conſecratum non eſſe Chriſtum, nec partem ejus, ſed ſignum.* Inpedita quidem eſt a Doctoribus Academiae publica ejus defenſio, quam Wiclefus promiſerat, ſed ipſe illud ubique diſſeminare non deſtitit. Quaenam autem ejus de praeſentia Chriſti in euchariſtia fuerit opinio, poſtea exponam.

§. CCCLVI. Sed hinc novi ſunt in eum ſuſcitati motus, qui gravius ipſi adtulerunt damnum. Cum enim hucuſque, quamdiu contra Papale dominium, et Monachorum corruptionem, declamavit, fuiſſet a Rege et Proceribus, aliiſque,

defensus, nunc, cum receptam inciperet oppugnare doctrinam, a plerisque eorum desertus est, uti a Richardo II. Rege, Duce Lancastriae, aliisque. Statim vero ac conclusiones suas evulgasset, eas condemnavit Cancellarius Academiae Gulielmus de Berton, qui ejus opinionem declaravit *haereticam*, addito sub poena excommunicationis interdicto. Provocavit quidem Wiclefus ad Regem, eique libellum obtulit supplicem, quo doctrinam Christi publice profitendi et docendi licentiam petiit, sed nihil profecit. Narratur quidem, Ducem Lancastriae ipsi non silentium tantum, sed et retractationem, persuasisse. Verum retractationis scriptum, a Lewys recensitum, nihil simile praefert, potius contrarium. Nec cessavit doctrinam suam quaquaversum spargere; nactus quoque est fautores et adscelas, ut Nicolaum Herfordum, Philippum Rapingdum, Johannem Aysten, et alios. Synodo porro a Courtenejo, Archiepiscopo Cantuariensi, coacta Londini a. 1382. viginti quatuor propositiones Wiclefi damnatae sunt, decem primae tanquam haereticae, reliquae quatuordecim ut erroneae, et determinationi Ecclesiae contrariae. Quas ex actis Synodi Constantiensis, ubi cum aliis propositionibus damnatae sunt, exhibet L'Enfant in hist. ejus concilii tom. II. et Fasciculus *rerum fugiend.* etc. tom. I. Inter prioris generis sunt, quibus a Wiclefo contradicitur, Transubstantiatio, confessio peccatorum, missa, possessiones temporalium a Clericis, et quibus adseritur, Episcopum, vel sacerdotem, peccati mortalis reum, sacramenta, non rite administrare, Papam, si praestigiator sit, aut malus, omni potestate, a Christo data, excidere, nec post Urbanum VI. aliquem pro Papa agnoscendum, sed vivendum secundum proprias leges. Inter posterioris generis sunt, neminem excommunicandum, nisi ante sit a Deo excommunicatus, nec a praedicatione aut auditione concionis abstinendum esse propter excommunicationem hominum, Diacono vel Presbytero licere praedicare sine autoritate Papae, vel Episcopi, posse Dominos seculares bona temporalia eripere Clericis delin-

delinquentibus, Decimas esse puras eleemosynas, quas Parochiani propter Curatorum peccata inhibere possunt, male agere, qui privatas vivendi regulas instituerunt, et qui eas observant, nec illud convenire religioni Christianae, Fratres teneri labore manuum vivere, nec licere mendicare.

§. CCCLVII. Wiclefus cum, tanquam harum thesium autor, licet non nominatus, intentus tamen fuerit, varios mox scripsit tractatus, quibus partim eas, quae vere erant suae, defendit, quae in perversum raptae sensum, explicuit, partim, quae falso ipsi erant inpactae, negavit: ex. gr. Inter priores propositiones erat, Deum debere obedire Diabolo, quam habuit pro calumnia, ut et indignos ministros non posse conficere corpus Christi; inter posteriores, Dominum secularem, propter peccatum mortale, excidere jure et possessione sua, nec non populum posse Regem et Dominum suum pro arbitrio corrigere, cum ipse dixerit, *secundum leges Regni et legitimo modo observato.* Citatus, auditusque licet non fuerit a Synodo, attamen damnatus, renunciare debuit, jussu Regis, muneri Professoris in Academia Oxoniensi; quando in Ecclesiam suam Lutterworth secessit: ubi labores contra corruptionem dominantem in doctrina et moribus continuavit: praesertim quo tempore, Urbanus VI. expeditionem cruciatam contra Gallos, qui Clementem VII. tuebantur, promulgari fecit in Anglia, cum plenis indulgentiis, ingentemque pecuniae summam eo nomine colligebat. Scripsit tunc tractatum, cui titulus, *explicatio magnae sententiae maledictionis:* quo Papae titulum Antichristi dat, et bella ejusmodi sacra acriter perstringit: a quo tempore nihil non egit Papa ad ipsum perdendum, Romamque eum citavit. Sed Deus praevenit, ipsum ad se transferendo. Mortuus enim est ex paralysi a. 1384. Fuit sine controversia supra aevum suum doctus, praecipue in Scriptura S. versatus, simul laboriosus, et in corruptione Ecclesiae, quam bene perspectam habuit, perstringenda fervidus ac intrepidus, multos quoque edidit libros, quo-

rum aliqui sunt editi, plurimi adhuc latent in Bibliothecis.

§. CCCLVIII. Tantum abest, ut Wiclefianismi historiam ante persequar, quam de ejus capitibus accuratius differam, ut secta illa fuerit cum ejus obitu exstincta, ut magis magisque invaluerit. Testatur quoque Johannes Hus oper. tom. I., a. 1411., libros Wiclefi ab annis triginta legi et teneri in Universitate Oxoniensi. Hostes quoque ejus, quorum praecipui erant Tomas Arundellius, et Chichelejus, Archiep. Cantuar., de novo in ipsum insurrexerunt. Arundellius itaque Synodum a. 1396. celebravit, in qua octodecim propositiones, ex libro Wiclefi, qui Trialogus inscribitur, excerptae, condemnatae sunt. Cum autem illae satis fideliter, teste Lewys, fuerint exstractae, earum summam exhibuisse, operae erit pretium. Exstant in *fasciculo rerum expetend.* etc. tom. I., una cum articulorum eorum refutatione per Willelmum Wodfordum, Franciscanum, qui circa finem seculi floruit. Habent vero inter alia, quae mitto, Scripturam S. esse unicam fidei et vitae normam, substantiam panis et vini manere in eucharistia, duos tantum Ordines Ecclesiasticos esse ab Apostolis institutos, sacerdotum et Diaconorum, duodecim autem hos esse procuratores Antichristi, Papam nimirum, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Praesules, Episcopos, Archidiaconos, Officiales, et Decanos, Monachos, et Canonicos bifurcatos, Pseudofratres introductos jam ultimo, et Quaestores. Haereticum esse, et Antichristum maximum, qui docet, quod licitum est sacerdotibus et Levitis legis gratia dotari cum possessionibus temporalibus, Dominos praeterea temporales non posse tantum, sed debere, bona temporalia ab Ecclesia habitualiter delinquente auferre: ad verum dominium seculare requiri justitiam dominantis, scilicet, non in foro humano, sed Divino, nullum esse unctionis sacramentum, nec infantes, sine baptismo mortuos, damnari propterea; denique omnia, quae eveniunt, necessario evenire.

§. CCCLIX.

§. CCCLIX. Haud diu post hanc Synodum severissimam publicavit ipsum Parlamentum legem contra Wiclefianismum a. 1400., qua ad ignem etiam damnantur, qui legunt, docent, aut favore prosequuntur hanc sectam. Deinde novo in concilio, Oxonii habito a. 1408., idem Archipraesul Arundellius decreta condidit, ad exstirpandam haeresin, libros quoque Wiclefi non tantum legi vetuit, sed et novam versionem Scripturae in linguam vernaculam fieri, sub gravi poena. Quod idem mox fecit Johannes XXIII., in Synodo Romana a. 1423., jussitque, libros hujus haeresios conquiri et concremari, et contra eos, qui habuerint, legerint etc., procedi tanquam haeresios suspectos; denique, qui memoriam Wiclefi defendere velint, jussit, ut intra novem menses Romam veniant. Quo eodem anno Synodum Londini celebravit Tomas Arundel, contra Virum nobilem Johannem Oldecastel, Wiclefianae sectae Professorem, et Patronum fervidum; quem etiam ob negatam Transubstantiationem, auricularis confessionis necessitatem, crucis adorationem, et ob Papae Antichristianismum adsertum, damnavit, ac judicio seculari tradidit puniendum: ut refert Walsingham in histor. Angliae in Henrico V. Vid. etiam, quae ex publicis Angliae actis excerpsit Clericus in Bibl. Ant. et Nov. tom. I. Denique Pragensis Academia eosdem Wiclefi errores transfixit, a. 1408. Ultimam tandem manum huic rei inposuit Concilium illud famosum Constantiense a. 1415, in quo quadraginta quinque propositiones proscriptae sunt, nec non 260, ab Academia Oxoniensi ex libris Wiclefi extractae; libri quoque ejus igni addicti, ipse Wiclefus tanquam manifestus haereticus damnatus est, corpus denique ejus sepulchro educi, et ignibus cremari, decretum est. Quod quoque exsecutioni est mandatum a Richardo Flemyng, Lincolniensi Episcopo a. 1428.

§. CCCLX. Historia Wiclefi, et Wiclefianismi, tradita, hypotheses ejus sunt in lucem protrahendae, cum ex propositionibus, ipsi ab adversariis objectis, quarum modo memini,

tum ex confessionibus ac libris Wiclefi, in primis Trialogo, seu dialogorum libris, qui soli exstant Latine. Vid. etiam J. Lewys, qui doctrinae ejus explicandae utilem navavit operam. Hypotheses ejus, quae ad universum Papatum, et systema Catholico-Romanum, destruendum tendunt, sunt sequentes. 1. Pro unica fidei et religionis norma habetur Scriptura S., rejectis traditionibus, et decretis Paparum ac Synodorum, a Scriptura S. discedentibus. 2. Cultus religiosus Mariae, Sanctorum, reliquiarum, et imaginum plane rejicitur, et inter superstitiosos ac idololatricos refertur ritus. 3. Sacramenta tantum duo admittuntur, baptismus, et Eucharistia, reliquis repudiatis: infantes sine baptismo mortuos propterea damnari negatur. 4. In Eucharistia agnoscitur quidem vere corpus Christi, sed salva natura panis, adeoque panis dicitur figuraliter et typice corpus Christi. Qua parte doctrinam Wiclefi in clariorem protraxit lucem L'Enfant l. cit. 5. Ritus baptismo et eucharistiae additi, in specie chrisma, confirmatio, panis adoratio etc., partim inutiles, partim idololatrici, declarantur. 6. Ordines Ecclesiae, praeter presbyteros et diaconos, pro humano habentur invento, et Antichristi mancipiis. 7. Ordines Monachales, in primis mendicantium, damnantur. 8. Papa Romanus non est Christi vicarius, potius Antichristus, et potestatem accepit a Caesaribus. Antichristianismi signum etiam ponitur in dominio temporali. Ecclesia porro Romana non est universalis, et suprema inter Ecclesias. 9. Proprietas rerum et bonorum a Clericis est aliena, 10. Oblationes pro mortuis, purgatorium, injunctae poenitentiae, confessiones auriculares, Praelatorum excommunicationes, et quae sunt similia alia, rejiciuntur. Verbo, omnia voluit Wiclefus ad simplicem Scripturae doctrinam revocari, et totam Ecclesiam dominantem reformari. Sed notari meretur, eum huc non nisi per gradus venisse, adeoque mirum non esse, nonnulla in ejus scriptis occurrere, quae nonnullis harum propositionum contradicunt; cum, teste

teste vitae ejus historia, sensim profecerit. Adtribuuntur praeterea Wiclefo opiniones, quae, si vere ipsius essent, eum, ne quid gravius dicam, ad Praedestinatianos, sec. V., ut fertur, exortos, pertinere demonstrarent: ex. gr. omnia ex absoluta evenire necessitate, Deum singulas naturas activas necessitare ad actum, infantem praescitum et baptizatum necessario vivere diutius, et peccaturum in Spiritum S., propter quod damnandus sit. Sicut praedestinatus non potest a gratia deficere, ita praescitus in illa manere nequit. Denique, quod majoris est, quamlibet creaturam esse Deum, Deum nihil posse producere, quam quod producit, nec amplificare nec inminuere posse mundum, nec animas nisi ad certum numerum creare, nullam creaturam in nihilum redigere posse, Deum obedire debere Diabolo. Quae, et quorum similia alia, Wiclefo sunt ab ejus adversariis, ut Walsinghamo, Toma Waldensi, Concilio Constantiensi, et aliis, objecta, et ejus nomini inscripta, adeoque fidem non merentur, sive sint ficta, sive in perversum sensum detorta, sive per consequentiam elicita. De quo, prae monumentorum aliorum defectu, nihil certi adfirmari potest.

## PROPAGATIO ECCLESIAE.

Praeterquam quod Equites Teutonici, et crucesignati Christianismum, vi et armis, per Prussiam, et vicinas regiones, paganismi reliquias destruendo, stabilivisse, et disseminasse, censentur, Christianae fidei professio in Lithuaniam est introducta, Duce ejus Jagellone a. 1386. eam adoptante, et baptizato, nomine Uladislai suscepto. Quo haud parum tribuit, quod regnum Poloniae, et regis Ludovici, regis Poloniae, a. 1382. defuncti, filiam, non nisi hac conditione sibi acquirere potuerit. Vid., praeter alios, Solignac. *Histoire de Pologne*, t. III.

## ECCLESIA GRAECA.

§. CCCLXI. Tentata quidem plus una vice est unio Ecclesiae Graecae cum Latina, sed sine successu; adeoque, quod ante omnia est observandum, schisma illud hoc seculo continuavit. *Andronicus* junior, qui solus coepit regnare ab a. 1332., ut Latinorum auxilium contra Turcas inpetraret, legatos misit Barlaamum, Abbatem monasterii salvatoris CPolitani, et Dandulum, ad Papam Benedictum XII., qui unionis negotium promoverent, licet prudentiores Graeci, Latinos esse spernendos, et ab omni cum iis disputatione abstinendum esse, contenderint; ut habet Nicephorus Gregoras lib. X. fin. Proposuerunt vero Legati, 1. ut Latini Graecis ante omnia mox succurrant contra Infideles. 2. Concilium universale a Papa indiceretur, cui quatuor Patriarchae Orientis interessent, ad unionis conditiones definiendas, vel 3. saltem dogma processionis Spiritus S. a viris doctis, ab utraque parte convocatis, retractaretur: denique 4. ut se invicem tolerarent, et Papis, ac Patriarchis, antiqua restituerentur privilegia. Sed nulla harum conditionum placuit Papis et Latinis, qui Graecorum subjectionem in causa fidei et regiminis simpliciter urserunt. Qua ratione totum illud negotium in vanum cecidit. Vid. Raynaldus a. 1339.

§. CCCLXII. Nec meliorem successum haec res habuit sub *Johanne Cantazuzeno*, qui novos misit a. 1346. legatos Georgium Protovestiarium et Sigerum ad Papam Clementem VI., ut pacis ostenderet studium, et auxilium Latinorum inploraret. Excepit quidem eos benigne Papa, et duobus Episcopis in Orientem ablegatis, in Concilium Generale, a Papa loco Graecis commodo convocandum, consensit. Sed nihil est effectum, sive ob Papae mortem, sive aliam ob causam. Vid. Cantacuzenus l. IV. c. 9. De *Johanne Palaeologo* narratur quidem, eum ad Urbanum V. profectum Romam a. 1369., et, edita ac signata confessione, in fidem

dem Latinorum penitus, nullo excepto capite, consensisse, apud Raynaldum, et Leonem Allatium, de consensu etc. l. II. c. 17. Sed silent Byzantini scriptores; nec ullus tunc sedit Paulus, Patriarcha CPolitanus, qui Inperatori traditur tunc adfuisse, verum Philotheus, Latinis infestus, et dein Macarius etc. Vid Chronicon Orientale apud Leunclavium. Habendum itaque illud est pro incerto.

## SCRIPTORES ET STUDIA.

§. CCCLXIII. Schismatis denique continuationem cum scriptores, qui calamum contra Latinos strinxerunt, quoque evincant, ab iis eorum recensionem incipiam. Floruit sub Andronico seniore, ei maxime acceptus, *Maximus Planudes*, Monachus Graecus, vir eruditus, et utraque lingua peritus, qui Graecorum primus censetur usus cifris Indicis, seu Arabicis, in numerando, ut ex Kircherii Arithmologia observavit Papebrochius, in tractatu praeliminari tom. III. Act. Sanct. Maji. Vid. etiam Moyne Var. S. tom. II. p. 797. Inter multa, quae composuit opera, exstat tractatus de *processione Spiritus S.* contra Latinos, apud Petrum Arcudium in *opusculis aureis*. Quo eodem in opere versati sunt duo *Cabasilae*, alter Nilus, alter Nicolaus, prioris ex sorore nepos. *Nilus* Cabasilas, Archiepiscopus Thessalonicensis, a. 1340. celebris, duos scripsit libros de causis divisionum Ecclesiae, et Primatu Papae, a Salmasio editos ad calcem libri de *Primatu Papae*. Alter *Nicolaus*, primum Sacelli curator, dein Archiepiscopus Thessalonicensis in locum Patrui, floruit circa ann. 1350., variorum operum autor, inter quae sunt contra Latinos de *liturgia*, et *processione Spiritus S.* Plura de utroque Cabasila suppeditat Leo Allatius, in *diatriba de Nilis*, recusa a Fabricio Bibl. Gr. vol. V. Floruit eodem tempore *Demetrius ὁ Κυδὼν Cydon*, quod ejus fuit cognomen, Johanni Cantacuzeno familiaris, cum quo etiam ingressus est monasterium; sed Mediolanum postea

 adpul-

adpulsus, teste Volaterrano, linguae Latinae et Theologiae incubuit, tandem Cretae substitit, bonis in pauperes erogatis. Scripsit contra errores Palamae, et de processione Spiritus S., in opusculis aureis Arcudii. Alia ejus opuscula praetereo.

§. CCCLXIV. Praeter hos scriptores, qui in controversiis cum Latinis collocarunt operam, fuerunt alii, qui controversias inter ipsos Graecos tractarunt, historias conscripserunt, et in jure canonico laudem acquisiverunt. Inter *Historicos* celebre nactus est nomen *Nicephorus Callistus*, historiae Ecclesiasticae conditor. Floruit sub Andronico seniore, et deinceps, usque ad Joh. Cantacuzeni tempora; ut ex catalogo Pontificum, ab ipso contexto, liquet. Monachus videtur fuisse in S. Sophiae asceterio; utique in Bibliotheca S. Sophiae testatur ipse, in dedicatione historiae suae, se florem aetatis transegisse. Exstant *historiae Ecclesiasticae* libri XVIII., a nato Christo ad interitum Phocae a. 610., compilati ex superioris temporis historicis, uti Eusebio, Socrate, Sozomeno, Philostorgio, Theodoro Lectore, Euagrio, et aliis. Num ulterius continuaverit historiam, incertum est. Ipse l. I. c. 1. dicit, se eo tempore plures non scripsisse, sed argumenta librorum sequentium, usque ad XXIII., et mortem Leonis Philosophi a. 911., reperiuntur, nec tamen superest continuatio. Novissima editio est Parisiensis, duobus voluminibus in Fol., cum versione Johannis Langi, et Frontonis Ducaei recognitione. Reliquit quidem ex bonis, qui perierunt scriptoribus, haud spernenda, et stylo utitur haud inelegante, sed fabulis historiam nimis commaculavit. Exstat praeterea ejus catalogus Inperatorum et Patriarcharum versibus jambicis, apud Labbeum, in adparatu historiae Byzantinae.

§. CCCLXV. Historiae Universalis conditoribus accenseri solet *Theodorus Metochita*, magnus Logotheta sub Andronico Seniore, ab a. 1314., cui semper mansit fidelis, etiam postquam ab Andronico jun. esset throno deturbatus, quare

et

et ipſe dignitate privatus eſt. Vir fuit, judice Gregora, qui funebri ipſum decoravit ſermone, inſigni eruditione et virtute praeditus. Ejus ſub nomine publicavit Meurſius *hiſtoriam Romanam*, a Julio Caeſare ad Conſtantinum M., ſed alii obſervarunt, eſſe librum tertium Michaelis Glycae. Mitto opera ejus Mſſ., nec non paraphraſin in aliquot Ariſtotelis libros; quae Latine exſtat ex verſione Gentiani Herveti, et ad *Nicephorum Gregoram*, ejus diſcipulum, et familiarem, pergo. Adhaeſit quoque cum magiſtro Andronico ſeniori, idemque fatum in initio ſubiit; ſed poſtea in Andronici junioris aulam revocatus eſt: quem defunctum e roſtris quoque laudavit. Inmixtus praeterea fuit controverſiis, tunc temporis inter Graecos exortis, ſeſeque ſtrenuum praeſtitit Palamitarum adverſarium, quam ob cauſam cum reliquis Acyndiniſtis damnatus eſt in concilio CPolit. a. 1351., et in monaſterio conſenuit. Vitam ejus deſcripſit, variis etiam de ipſo additis judiciis, cum catalogo operum Mſſ., Johannes Boivinus in prolegomenis ad hiſtoriam ejus. Exſtat vero *hiſtoria* ejus *Byzantina*, libris XXIV. comprehenſa: quorum primi XI. a Theodori Laſcaris initio a. 1204. uſque ad obitum Palaeologi jun. a. 1341. verſi et editi ſunt ab Hieronymo Wolfio, reliqui una cum illis a Johanne Boivino, uſque ad a. 1351., in corpore Byzantino. Inſerta vero eſt libro XXII. etc. diſputatio Gregorae cum Nicolao Cabaſila, et anonymo, de Palamae erroribus, cum verſione et notis Claudii Caperonerii. Ceterum non ſpernendus eſt hiſtoricus, ſed a partium ſtudio minime liber. Adjungatur ipſi *Johannes Cantacuzenus*, Palaeologis per matrem adfinis, primum magnus Domeſticus, penes quem ſumma eſt rei, Andronici junioris, cui cariſſimus fuit, dein, eo defuncto, tutor Johannis Palaeologi, filii ejus, denique Inperator, et poſt varias concertationes, etiam bellum inteſtinum cum Johanne, et Anna, vidua Andronici, in quo fuit ſuperior, purpura depoſita, tandem Monachus, adſumto Joaſaphati nomine. Scripſit *hiſtoriam*

*rerum, suo tempore gestarum* ab a. 1320. ad a. 1357.; exstat in Corpore Byzantino. Ceterum adcuratus est historicus, sed nimius sui laudator.

§. CCCLXVI. In Jure Canonico insignem meruit laudem *Matthaeus Blastares*, hieromonachus, seu sacerdos in aliquo monasterio. Ipse a. 1335. *alphabeticum* concinnavit *Syntagma* canonum, ex conciliis, Patribus, et Inperatorum legibus, sub certis titulis, litterarum ordine dispositis: quod a Beveregio in Pandectis canonum est editum, praemissis prolegomenis de eo. Inpendit quidem utilem locis in hoc opere emendandis operam Cotelerius in notis ad monumenta Graeca, sed plura reliquit corrigenda. Ceterum exstat et ibi donatio famosa Constantini M., cum *quaestionibus matrimonialibus*, in Jure Graeco Romano editis. Hujus etiam seculi, et non, quod multis visum, XII*mi*, est *Constantinus Harmenopulus*, de quo vid. Fabricius Bibl. Gr. vol. X., vir in Jure Civili et Canonico peritissimus, qui nomen Antecessoris, non nisi senibus, et bene meritis, concedi solitum, jam accepit annos 28 natus. Fuit etiam multis honoribus illustris, et magna praeditus autoritate, Sebastus et Curopalata sub Johanne Palaeologo, dein Praefectus Thessalonicae et Nomophylax, obiit a. 1380., vel 1383. Praeter alia vero scripsit *epitomen divinorum et sacrorum canonum*, in Leunclavii Jure Graeco Romano, ut et librum de sectis *haereticis*, cum confessione fidei Orthodoxae in Auctario Bibliothecae Patrum Ducaeano, denique, tomum contra Greg. Palamam, apud Leonem Allatium, in Graecia Orthodoxa.

## CONTROVERSIA INTER GRAECOS AGITATA.

§. CCCLXVII. Cum praecipui autores, qui quaestionis de lumine Taboreo, creato, an increato? serram reciprocarunt, fuerint Palamas, Barlaamus, et Acyndinus, de iis ante agam, quam quaestionis intellectum et historiam dem. *Gre-*

*gorius*

*gorius Palamas*, gente Asiaticus, in aula Inperatoria licet educatus, et opibus adfluens, vitam elegit Monasticam, quam primo decennio in monte Atho, altero decennio in Berrhaeae Scete degit. Unde Thessalonicam delatus sese Monachis, qui a Barlaamo infestabantur, ducem praebuit, et controversiae de lumine Taboritico fundamenta jecit, quae ab eo tempore magnis animorum motibus est agitata. Usus est Johanne Cantacuzeno, Inperatore, familiari et patrono; quare causa ejus maxime triumphavit. Bis constitutus Episcopus, neutram sedem potuit obtinere. Priore vice Patriarchae CPol. ab Inperatore designato restiterunt Episcopi, qui Isidorum voluerunt Patriarcham: altera vice consecratus quidem est, jussu Inperatoris ab ipso Isidoro Patriarcha Archiepiscopus Thessalonicensis, sed a praefectis urbis non admissus: quando in Lemnum insulam secessit, lautoque vixit in otio. Unde a Cantacuzeno evocatus interfuit Synodo CPolitanae a. 1351. et contra Barlaamitas, ac Acyndinistas, strenue disputavit, eosque condemnari fecit. Multa conscripsit opuscula, quorum praecipua sunt contra memoratos adversarios, alia contra Latinos, quorum acerrimus fuit adversarius: sed plurima opera sunt inedita. Exstant duae Orationes in *Transfigurationem Domini* in monte, quibus probare nititur, lumen illud fuisse increatum, nec tamen Dei essentiam, apud Combefisium, in *auctario novissimo* tom. II. Duae etiam supersunt contra Latinos *demonstrativae* de Spiritu S., editae Londini; denique refutatio *epigrapharum* Johannis Vecci apud Arcudium in *Opusculis aureis*. Ceterum Palamam fuisse quoque *imaginum* hostem, et imagines sacras Sanctorum a Palamitis in ignem aliquando conjectas, tradit Nicephorus Gregor. hist. l. XIX. l. 3., illorum qui viderunt testimonio nixus: addit, Palamitas, plebis inpetum veritos, id dissimulasse, quin se eas adorare finxisse. Denique Palamam in eucharistia tenuisse, *panem* et *vinum* non esse ipsum corpus et sanguinem Christi, sed τύπον *typum* et figuram, ex eodem Grego-

rio l. XXIV. haud procul a fine patet; absque tamen, ut verum Christi corpus adesse negaverit. Tenuit enim Iconomachorum opinionem sec. VIII.

§. CCCLXVIII. Adjungantur ipsi duo ejus acerrimi adversarii, Barlaamus et Acyndinus unde Barlaamistae et Acyndinistae sunt dicti. *Barlaam* fuit Calaber, ex urbe Seminaria oriundus, tribus adsumtis personis famosus, et per controversiam Palamiticam celeberrimus. Inter Latinos educatus eorum causam egit contra Graecos, dein ad Graecos delatus, sese Latinis opposuit, et ab Imperatore legatus ad Ipsos missus, Synodum generalem fortiter, sed in cassum, ursit: exstant illae Orationes apud *Bzovium* a. 1339. Denique cum Palamitae apud Imperatorem primas tenerent, sese rursus ad Latinos contulit, eorumque causam contra Graecos tuitus est: quare factus est Episcopus Gyracensis, seu Hieracensis, in regno Neapolitano. Quae personae mutatio in causa fuit, quare nonnulli duos distinxerint Barlaamos, sine solido fundamento. Vid. Basnage in Observatione praemissa opusculis Barlaami apud Canisium. Cum vero inter Graecos versaretur, incidit in Monachos Hesychastas, quos, errore eorum intellecto, accusavit apud Johannem Patriarcham CPolit., et oppugnare coepit: quorum causam cum Palamas susceperit tuendam, motus inde orti sunt. Varia scripsit pro Latinis et contra eos, quorum aliqua exstant. Edidit nonnullas Epistolas pro causa Latinorum, et ad unionem spectantes, Canisius Antiq. Lection. tom. IV. Variis vero epistolis, jam Episcopus Gyracensis, demonstrare conatus est, Romanam Ecclesiam esse veram, Graecorum vero schismaticam non tantum, sed et haereticam. Spiritum S. esse ex Patre Filioque multis argumentis subtilibus probat. Librum ejus contra Primatum Papae luci exposuit Salmasius ad calcem libri de *Primatu Papae*. Ceterum varios ei inputavit errores Simeon, Archiepiscopus Thessalonicensis sec. XV., in Opere de *fide. ritibus et mysteriis Ecclesiasticis:* inter quos est, preces lingua ignota

fusas esse efficaciores. Vid. Warthon in auctario Usserii hist. dogmat. etc.

§. CCCLXIX. *Georgius Acyndinus*, alter Palamitarum infestus oppugnator, sed et Latinorum acerrimus adversarius, Monachus Graecus, qui et postea ipsius Barlaami errores refutavit, varia quoque condidit opera. Carmen ejus jambicum de erroribus Palamae exstat in *Graecia Orthodoxa* Leonis Allatii, duo fragmenta apud eundem de *consensu* etc. l. II. c. 16., denique duo libri de *essentia* et *operatione Dei* lucem viderunt cura Gretseri. Praeter hos duos praecipuos memorari merentur duo alii Palamitarum adversarii, *Johannes Cyparissiota*, cognomine sapiens, et *Manuel Caleca*. Prior scripsit *Palamitarum transgressionum* libros quatuor, quorum primum et quartum edidit Combefisius in *auctario novissimo*; superest et aliud ejus opus, quod mysticam simul tradit Theologiam, sed Latine, opera Turriani, et inde in Bibliotheca Patrum. Alter, Manuel Caleca, Graecus quidem fuit, sed Latinorum patronus contra Graecos, et Ordinis Praedicatorum Monachus, hujus, et non superioris, seculi, cum contra Palamitas scripserit. Prostat ejus liber de *essentia* et *operatione* Dei, contra tomum Palamae, nec non de *fide* et *principiis fidei Catholicae*, ibid. apud Combefisium. Fuerunt quidem alii adhuc Palamitarum oppugnatores, sed omnes non licet recensere, nec necesse est. De Nicephoro Gregora, et Demetrio Cydone, supra egi.

§. CCCLXX. Accedamus nunc ad ipsam controversiam, ex his fontibus explicandam. Vid. ex recentioribus Petavius dogmat. Theolog. tom. I., et Leo Allatius de consensu etc. l. II. c. 47. Originem quaestionis praebuerunt *Hesychastae*, ἡσυχασταὶ, Monachi, a quiete et animo inperterrito sic dicti, alias etiam ὀμφαλοψύχοι *umbilicanimi* adpellati a Barlaamo non quod fuerint ventricolae, gastrimargi, ventres pigri, sed a modo, quo preces fundebant; capite scilicet ad pectus et umbilicum firmiter adposito,

 oculis

oculis irretortis, suppressoque spiritu in eum locum intento, donec facultates animae ibi intuerentur, et laetitia ac divino lumine perfunderentur. Cui Monachorum sectae originem dederat sec. XI. Simeon aliquis, praefectus monasterii S. Mamantis in Xylocerio, seu circo ligneo, CPoli: de quo vid. Cangius in *Constantinopoli Christiana* l. I. Hic Simeon a Niceta Stethato, seu Pectorato, ejus discipulo, aliisque Graecis, miris extollitur laudibus, et junior Theologus eximie adpellatur. Vid. Leo Allatius de *Simeonibus*, qui etiam de scriptis ejus, ut orationibus et hymnis, disserit. Sed dum viveret in suspicionem jam incurrit errorum, etiam in carcerem conjectus, et multa passus est. Adseclae vero ejus videntur post ipsum latitasse, seseque apud montem Athon tenuisse quietos, donec a Barlaamo detecti, ac in lucem protracti, hoc seculo, horum motuum ansam praebuerint. Barlaamus enim hos homines offendens, eorumque instituta percipiens, in primis, quae de modo orandi, et luminis circumfusione, tenebant, in eos tanquam inpostores, Massalianos, Omphalopsychos, similisque generis fanaticos, inpetum coepit facere. Monachi vero Thessalonicenses, homines simplices et rudes, ut Barlaami spiritum sedarent, nihil mirum aut absurdum in eo esse contenderunt, quod divinum lumen oculis corporeis conspiciatur, cum lumen, quo in monte Tabor circumfulserunt Apostoli, fuerit increatum, et ipsius essentiae Dei effulgescentia. Unde mox originem repetiit controversia de lumine increato essentiae divinae, et Taboreo creato, an increato? et Monachorum causam suscepit Palamas. Quam historiam antequam enarrem, ipsius quaestionis intellectus pandendus est.

§. CCCLXXI. Quaestio fuit duplex, *una* de essentiae et δυνάμεως καὶ ἐνεργείας potentiae ac operationis, seu efficientiae, distinctione in Deo, *altera* de lumine Taboreo, essentiae divinae efficientia increata, an creata? Monachi memorati et Palamitae operationes et potentias Dei distinxerunt ab ipsa

ipsa essentia et substantia, tanquam ejus effecta, et effluvia naturalia, coaeterna quidem et increata, sed ab essentia diversa, et inferiora, instar radiorum solis, a sole distinctorum, et eo inferiorum. Has vero potentias Dei statuerunt esse effectrices causas rerum, quae creatae sunt, quaeque conservantur et diriguntur, adpellari etiam posse θεότητας *Deitates*. Vid. Nicephorus Gregoras Hist. l. XVI: 5. XIX: 3. et XX: 2. Tenebant porro, quoad alteram quaestionem, lumen, quo cincti sunt in monte Apostoli cum Christo, esse ipsissimum tale essentiae Dei effluvium increatum, quo et beati fruuntur in coelo, et in quo Deum vident, ac participant, cum ipsa essentia Dei nec visibilis sit nec participari possit. Videtur horum hominum hypothesis fuisse, essentiae Divinae quid corporei, vel materialis, inesse: ut Beausobre hist. Manich p. II. p. 470. jam observavit, quae multorum quoque Patrum fuit opinio.

§. CCCLXXII. Quaestione hac inter Palamam, Monachorum patronum, et Barlaamum, eorum accusatorem et adversarium, mota, et per tres annos agitata, Synodus est a Johanne Patriarcha CPol. indicta a. 1341., cui ipse praesedit, et Andronicus Inperator praesens adfuit, sed quid in ea actum et decretum sit, autores dissentiunt. Ipse Patriarcha apud Leonem Allatium l. cit. tradit, Barlaamum fuisse duobus in capitibus damnatum, quoad lumen Taboreum et Orationem: praeterea utrique parti, et Palamae et Barlaamo, silentium inpositum: de ipsis vero dogmatibus controversis nihil actum, aut definitum. Refert vero Niceph. Gregoras l. XI: 10., ad Inperatoris nutum quaestionem tantum esse propositam de *precatione*, quae vero ad mysteria Theologica pertinent, *silentio tegi oportere visum fuisse, tum quod sacra Theologiae mysteria profanis vulgi auribus non ingerenda essent, tum, ne Barlaamo, inepti oris et animi rationes reddente, Palamas etiam blasphemae et inportunae Theologiae reus videretur esse, atque inde non pax et bonus ordo, qualem*

*res flagitarent, sed tumultus et indiscreta confusio oriretur.* Sed Synopsis Synodica apud Petavium l. cit., quae Synodum eam adpellat Oecumenicam nonam, diserte tradit, doctrinam Palamae de essentiae et operationum distinctione, operatione increata, ex Deo emanante, ac lumine Taboreo increato, esse sancitam, contraria damnata. Quod etiam confirmat Synodi quartae, in hac causa habitae, tomus apud Combefisium. Addit Cantacuzenus, sed Palamae patronus, hist. l II. c. 40., Barlaamum cecinisse palinodiam, et in gratiam rediisse cum Palama et Monachis. Post hanc Synodum, Barlaamo in Italiam ad Latinos profecto, continuante controversia inter Palamam et Barlaami discipulos, quorum praecipuus erat Gregorius Acyndinus, alia mox est coacta Synodus, eodem Patriarcha praeside, cum Cantacuzeno, adhuc magno Domestico; in qua, praeter Barlaamum, damnatus est Acyndinus, cum reliquis adseclis, ut Cantacuzenus l. cit. narrat. Conscriptus etiam pro more est tomus unus actorum. Secuta mox tertia est Synodus, praeside Anna Augusta, ejusque filio Johanne Palaeologo; in qua ipse Patriarcha Johannes, quod Barlaami et adseclarum dogmata sequeretur, sede est depositus; ut idem historicus lib. III. narrat. Denique a quarta Synodo, imperante Cantacuzeno, eodemque cum Calixto, novo Patriarcha, praesidente, dogmata Palamae sunt adserta, et Barlaami adseclae damnati, ac depositi: inter quos fuerunt Episcopus Ephesinus, Gani metropolita, Nicephorus Gregoras, Dexius, et alii Exstant acta Synodi in *auctario novissimo* Combefisii Vid. etiam ipse Cantacuzenus l. IV., et David Monachus in sua relatione; denique Niceph. Gregor. l. XVIII. et XIX. Atro admodum carbone membra Synodi notavit Nicephorus Gregor. Hist. lib. XVIII. cap. 3., his notabilibus verbis, quae hic legi merentur, et in multas Synodos ejus naturae conveniunt *Quoniam itaque praeter Thraciam nulla amplius Provincia Romanis* (Graecis) *supererat, solos Thraciae Episcopos statim accersit* (Cantacuzenus,) *nec eos quidem omnes, sed*

*quot*

*quot et quales consilii sui adjutores habiturum se, sperabat. Erant autem non plures quam duo et viginti: atque eorum plerosque constabat intrusos esse in locum virorum sanctissimorum, per injuriam expulsorum, eosdemque Palamae erroribus inpiis propria manu subscripsisse; quorum alii ab aratro et ligone sub vesperam redire solebant, vix prima rerum elementa articulate enunciare edocti, alii non ita pridem sacrilegia admiserant, et se identidem in lupanaribus volutaverant, nec, ut ad eum dignitatis gradum eveherentur, aliud quidquam contulerant, nisi professionem ejus haeresios, quam inpius Palamas instituisset.* Vid. etiam invectiva ejus oratio coram Cantacuzeno Inperatore, ibid. cap. 4., ferventissimo zelota dignior, quam viro modesto et pacifico. Praeter haec Concilia Palamae faverunt, praeter Cantazuzenum Inperatorem, qui ipsum insigni quoque ornavit elogio hist. l. IV. c. 3. Isidorus Patriarcha ab ann. 1347., Cabasilas jam senex, antea ejus adversarius, Josephus Bryennius in Oratione de *transfiguratione Christi*, denique prae reliquis Philotheus, primum praepositus Monachorum in monte Atho, dein Heracleae Episcopus, denique Patriarcha CPolitanus, qui Palamam multis defendit scriptis, quae nondum prodierunt.

## NESTORIANI ET EUTYCHIANI.

§. CCCLXXIII. De *Nestorianis* nihil habeo, quod observari meretur, nisi quod ab a. 1318. sederit Patriarcha Timotheus II., qui librum de sacramentis Ecclesiae edidit, cujus capita recenset Assemannus Bibl. Orient. tom. III., quae nihil singulare habent. *Syro Jacobitarum* Patriarcha Ignatius, qui ab initio seculi sedit, ideo attingendus est, quod nomen Ignatii fuerit ab ipso ad successores, ad haec nostra tempora usque, derivatum, neglecto eorum ordine, qui illud nomen antea gesserant, quodque sub ipso natum

sit inter Jacobitas schisma, usque ad a. 1494., quo inter se divisi sunt Orientales et Occidentales, quorum illi Patriarcham habuerunt Ignatium, hi vero Constantinum, qui Ignatii quoque nomen adoptavit. *Coptorum* denique historia nihil quoque suppeditat memorabile, nisi quod aliquam passi fuerint Christiani persecutionem, initio seculi, sedente Johanne VIII., eorum Patriarcha: sed quae post unum annum sedata est, et in Ecclesiis clausis praecipue sita.

# SECULUM DECIMUM QUINTUM.

## ECCLESIA OCCIDENTALIS.

## SCRIPTORES ET STUDIA.

§. CCCLXXIV. Primum inter *Historicos*, quorum ingens fuit copia, locum meretur *Theodoricus Niemus*, seu de Niem, vir celebris, et corruptae aulae Papalis acerrimus castigator: de cujus laude vid. L'Enfant Concil. Pisan. l. II. Fuit Westphalus Germanus, Clericus Lucensis, Romanorum Pontificum scriba, qui curiaam illam per annos 37 et ultra frequentavit, dein Episcopus Verdensis electus, sed non factus, tandem Cameracensis Episcopus defunctus a. 1417. Scripsit tres libros de schismate Papali, quibus historiam ab a. 1378. ad a. 1418. pertexuit. Accessit liber quartus, dictus, *nemus unionis*, in quo de modis tollendi schismatis adhibitis a Principibus, de fraudibus Gregorii XII. et Benedicti XIII. etc., agit. Exstant multa ex his libris excerpta apud Goldastum de *Monarchia Inperii* tom. II. Ipsi autem libri varie sunt editi. Exaravit etiam vitas Pontificum a Nicolao IV. usque ad Urbanum V., continuatas ab Anonymo ad a. 1418; in corpore Germanico Eckardi tom. I. Est quoque ejus historia vitae Johannis XXIII., apud Meibomium Script. German. tom. I., nec non liber de *necessitate reformationis Ecclesiae in Capite et membris*, ab Hardtio publicatus tom. I.

 concilii

concilii Constantiensis, sub nomine Petri de Alliaco. *Johannes Froissardus*, canonicus et Thesaurarius Chimacensis in dioecesi Leodiensi, composuit historiam Gallice rerum ab a. 1326. ad a. 1400., qua, praeter alias res gestas, narrantur in primis bella Gallorum cum Anglis. Varie prodierunt, sed valde corrupti et castrati. Epitomen utilissimam Latine composuit Johannes Sleidanus, quae cum Philippo Cominaeo, ex ejusdem versione, plus una vice edita est. *Gobelinus Persona*, Westphalus quoque Germanus, ex Officiali Paderbornensi, seu Vicario Episcopi, Decanus Bilefeldensis, contexuit Chronicon a mundo condito ad a. 1418., per sex aetates digestum, luci datum a Meibomio, in cujus *corpore Germanico* quoque reperitur.

§. CCCLXXV. *Leonardus Brunus Aretinus*, ex Italiae urbe Aretia, oriundus, Graece et Latine doctus, studiorum quoque humaniorum instauratoribus adnumerandus, ab Innocentio VII. in aulam adscitus, ei fuit ab Epistolis ab a. 1404., quo munere sub Johanne XXIII. adhuc functus est, dein, a Senatu Florentino in Hetruriam revocatus, munus Cancellarii Reipublicae obiit; mortuus a. 1444, et pro funere laudatus a Poggio, ejus successore. Quae Oratio exstat in Miscellan. Baluzii tom. III. Scripsit *historiae Florentinae* libros duodecim, Latine editos a Sixto Brunone, et *commentarium rerum suo tempore gestarum in Italia*, ab a. 1378. ad a. 1440., varie editum, etiam in *thesauro Italiae*. Alia scripta praetereo, ut Epistolarum libros octo, de bello Italico et Punico, ex Procopio et Polybio, et verbo memoro egregiam Nannis Strozae, Equitis Florentini, laudationem, ab Aretino habitam in Miscellan. Baluzii tom. III., ubi et ipsius Aretini laudatio a Poggio exstat. Successor ejus in munere, et in litteris resuscitandis aemulus, Florentinus et ipse, *Poggius*, ab Epistolis Innocent. VII, et sequentium aliquot Pontificum, dein Cancellarius Florentinus, cujus vitam et laudes multi dederunt, in primis Julius Niger, in *historia scriptorum Florentinorum*; multos autores Latinos veteres in

lucem protraxit, et varia condidit monumenta, ad rem hiſtoricam et Litterariam pertinentia, hic non recenſenda. Suffecerit notaſſe, ipſum octo libros *hiſtoriae Florentinae* compoſuiſſe, a primordiis urbis, in ſpecie ab a. 1350. ad 1455., apud Muratorium in Scriptor. Ital. tom. XX, praemiſſa vita Poggii, praeterea Hieronymi Pragenſis obitum, in faſciculo *rer. expetend.* etc., et inter Huſſi opera, denique varias epiſtolas et orationes, etiam invectivas in L. Vallam. Sed fuit litigioſus, et laſcivi ingenii, qui ob *facetiarum* librum, obſcoenitatibus refertum, paſſim male audit.

§. CCCLXXVI. Habuit et Anglia hiſtoricum non incelebrem, *Tomam Walſinghamum*, Ordinis Benedictini Monachum, qui de rebus Anglicis duplicem conſcripſit hiſtoriam, alteram breviorem ab a 1273. ad a 1422., alteram prolixiorem, ab irruptione Normannorum a. 1066. ad a. 1447., quam utramque in lucem emiſit Cambdenus inter Scriptores Anglicos Normannicos. *Flavius Blondus*, ut in Italiam redeamus, Forolivienſis, nonnullorum Pontificum Secretarius, defunctus a. 1463. ſcripſit, praeter *Romam illuſtratam*, et *Italiam luſtratam*, utilem librum de *origine* et *geſtis Venetorum*, nec non tres decades *hiſtoriae Romanae*, a Roma per Alaricum capta a 410. uſque ad a. 1440., quarum epitomen dedit Pius II. Ad Hiſtoricorum claſſem referri quoque poteſt, qui ad Canoniſtas ceteroquin pertinet, *Antoninus Florentinus*, Ordinis Praedicatorum, et Archiepiſcopus Florentinus, inſignis pietatis laude conſpicuus, quin, ut fertur, multis miraculis clarus, et ſanctis adſcriptus a. 1523. Bulla canonizationis exſtat praemiſſa ſummae ejus hiſtoriali. Vid. etiam Baluzius Miſc. tom. III. Scripſit, praeter alia ad jus Canonicum pertinentia, *ſummam hiſtorialem*, ſeu chronicon tripartitum, a Mundo condito ad a. 1459 Quod opus non quidem eſt contemnendum, ſed ſcatet fabulis. *Matthaeus Palmerius*, et ipſe Florentinus, qui concilio Florentino interfuit, de quo poſtea, et ſummae fuit dignitatis, ora-

ter et historicus egregius. Fertur quidem ob Arianae haeresios suspicionem flammis combustus, sed falso: Vid. *diarii* Eruditorum Italiae autores, et Muratorius Thes. Ital. tom. XIII. Tantum poema ejus, in quo cum Origene de origine animarum visus fuit facere, flammis est datum, sed ipse jam senex in honore defunctus est. Scripsit Chronicon a M. C. ad a. 1449. Quod ab a. 444., quo Prosperi Chronicon desinit, adjunctum est Eusebii et Prosperi Chronicis: Integrum vero nondum lucem adspexit. Scripsit etiam de captivitate Pisarum, a Florentinis expugnatarum, a. 1406.

§. CCCLXXVII. Historicorum catalogum etiam inplet *Petrus de Natalibus*, Venetus, Episcopus Equilinus, provinciae Gradensis, quia *catalogum sanctorum* et *martyrum* confecit, quo vitas, miracula, et passiones, eorum complexus est, absolutum a. 1482. Jacobo de Voragine, et aliis similibus, quidem diligentior, sed ejusdem credulitatis, ac superstitionis. Prodiit primum Vincentiae a. 1493. cum nonnullis sanctorum, nuperrime canonizatorum, gestis, ab Antonio Verle, nobili Vincentino: dein varie. Adjungatur ei celeberrimus Paparum historicus *Bartholomaeus Platina*, a patria Piadena sic dictus, antea proprio nomine *Sacchus*. Est autem verum nomen non, ut aliis videtur, Baptista, sed Bartholomaeus. Vid. Muratorius Script. Ital. tom. XX. ubi historia Mantuae, a Platina conscripta, comparet. Patria fuit Cremonensis, humili loco natus quidem, sed eruditione commendatus Bessarioni Cardinali, inter domesticos ejus adscitus, dein a Pio II. Papa *Abbreviatoris* Apostolici munere honoratus: sed a Paulo II. valde vexatus, carceri mancipatus, et equuleo inpositus, tanquam laesae majestatis, licet falso, reus, et tandem haeresios accusatus, non aliam ob causam, quam quod de inmortalitate animae disputaret, et Philosophorum scripta legeret: denique a Sixto IV. honoribus auctus, et Bibliothecae Vaticanae praepositus: obiit a. 1482. Scripsit, praeter alia, argumenti moralis etc., notissimum

tiſſimum illud opus de *Vitis Pontificum*, a Petro uſque ad Paulum II., ab Onuphrio continuatum uſque ad Pium V. Cujus variae proſtant editiones, et in varias linguas verſiones: hic non recenſendae. Vitae illae, cum aliis Platitinae opuſculis, lucem viderunt Colon. a. 1529.

§. CCCLXXVIII. *Auguſtinus Patricius*, Italus, Canonicus Senenſis, indeque Epiſcopus Pientinus (Pienza) in Hetruria, ſcripſit a. 1480. hiſtoriam conciliorum Baſileenſis et Florentini, in tomis conciliorum obviam, praeterea hiſtoriam conventus Ratiſbonenſis, a. 1471. celebrati, in corpore Germanico Freheri, denique narrationem adventus Frederici III. Inperatoris ad Paulum II., in Muſaeo Ital. Mabillonii tom. I. *Matthaeus Mareſchallus* de *Pappenheim*, illuſtriſſima natus familia, Juris utriuſque Doctor, et Canonicus Auguſtanus, dedit *Chronicon Auſtrale*, ſeu Auſtriae, antiquum, quo totius Europae res ſuccincte refert, ab a. 852. ad a. 1327., quod plenius exſtat in Freheri corpore German. edit. Struvii: ubi etiam ejus chronica, Auguſtanum, Elvangens in circulo Suecico, etc., reperiuntur. *Wernerus Rollwinck du Laer*, Weſtphalus, et Carthuſianus Monachus, utiliſſimum concinnavit opus *faſciculum temporum*, ex antiquis chronicis per ſex aetates digeſtum, ab O. Condito ad ſua uſque tempora, ſeu a. 1480.; inter ſcriptores German. Piſtorii, cum continuatione Lenturii ad a. 1514. *Marcus Antonius Coccius Sabellicus*, Italus, Liberalium artium apud Venetos doctor publicus, inter alia ſcripſit *hiſtoriarum* ab O. C. ad a. 1504. *enneades undecim*, nec non de rebus geſtis Venetorum, ab urbe condita ad a. 1487.; quae opera ejus prodierunt quatuor tom. in Fol. *Donatus Boſſius*, Mediolanenſis, autor eſt Chronici, ſeu *conditionum* et *mutationum humanarum* hiſtoriae, ab O. C. ad a. 1492., nec non Epiſcoporum et Archiepiſcoporum Mediolanenſium ad a. 1489.

§. CCCLXXIX. *Jacobus Wimphelingius*, Germanus, ut in Germanis deſinam, primum Spirenſis Eccleſiaſtes, dein

paedagogus in Gymnasio Heidelbergensi, acris ille ignorantiae et arrogantiae Monachorum castigator, a. 1528. mortuus, *epitomen* dedit Imperatorum, et rerum in Germania gestarum, inter scriptores German. Schardii, et Germaniae nationis *gravamina* contra sedem et curiam Romanam composuit, apud Freherum Script German *Johannes Trithemius*, utilissimus scriptor, qui seculum suum egregie illustravit, nomen traxit a Villa Trittenheim, in dioecesi Trevirensi, ad Mosellam fluvium, fuitque Benedictinus, et primum Abbas Spanhemensis, dioecesis Moguntiae, dein Herbipolensis, priore monasterio propter Monachorum factiones derelicto, mortuus a. 1519. Vir fuit laboriosissimus, et celeberrimus, ad quem undiquaque confluxerunt, qui in monasterio Spanheimensi instructissimam quoque erexit Bibliothecam, et ipse ingentem librorum conscripsit copiam, quorum alios collegit, et edidit, Freherus, duobus in fol. voluminibus, alios Johannes Busaeus in fol. et oct.: sed hi sunt maxime devotionis libri, Frcherianae vero collationis sunt historici: quorum praecipuos recensuisse sufficerit. Sunt, *Catalogus scriptorum Ecclesiasticorum*, a Fabricio in *Bibliotheca* Scriptorum recusus, dein *Illustrium* virorum Germaniae, de viris illustribus *Benedictinis*, Chronica coenobiorum Hirsaugiensis, Spanheimensis, et Herbipolensis, denique Epistolae etc. Famosum vero est ejus opus *Steganographiae*, seu de ratione occulte scribendi, quod varia subiit judicia, dum alii, ut magiae plenum, illud damnent, alii defendant. *Johannes Nauclerus*, alias *Vergenhaus* (*Verge* enim, vel *ferge* est Germanis *nauta*, a verbo *ferien*, seu *fahren*) nobilis Suevus, Juris Canonici Professor, Cancellarius et Rector Academiae Tubingensis, a Duce Wirtembergico Eberhardo, cujus adolescentiae dirigendae fuit praepositus, erectae a. 1477., cum publico communicavit *Chronicon Universale* ab O. C. ad a. 1500., primum Tubingae publicatum, dein a Melanchthone auctum, et cum Baselii, monachi Hirsaugiensis, adpendice ad a. 1514., et ab

alia

alia manu ad a. 1544., denique cum Surii continuatione ab a. 1500. ad a. 1561.

§. CCCLXXX. Sed omittendus non erat adcuratus rerum *Hungaricarum* scriptor, Antonius *Bonfinius*, Italus quidem, sed florente in gratia apud Matthiam Corvinum, Hungariae Regem, cujus hortatu res Hungaricas memoriae prodidit, ab ipsis gentis primordiis usque ad a. 1495. Prodiit liber cum additionibus et emendationibus Johannes Sambuci. Subjungendus denique his omnibus est *Johannes Annius Viterbiensis*, Ordinis Praedicatorum, S. palatii Magister, famosus sua impostura, qua ficta monumenta sub vetustorum autorum nominibus in publicum emisit, uti Berosi, Manethonis, Xenophontis, et aliorum, sicut a Doctis dudum detectum et demonstratum est. Obiit autor tempore Alexandri VI. Papae. Libri autem, quibus haec monumenta sunt comprehensa, sunt XVII libri *Antiquitatum variarum*, varie editi.

§. CCCLXXXI. Historicis succedant *Litteratores*, qui in omni fere litterarum genere fuerunt plures. Latinae litteraturae operam, praeter Aretinum et Poggium, de quibus modo dixi, dederunt sequentes praecipui. *Laurentius Valla*, Patricius Romanus, Theologiae Doctor, et Ecclesiae Johannis Lateranensis Canonicus, insignis litterarum stator, et elegantiarum sectator, nec non ineptiarum et barbariei Theologorum acerrimus reprehensor; in quorum incidit propterea odium, adeo infestum, ut sub Alphonsi V., Arragoniae Regis, ad quem confugit, protectione, vix rogo, cui ab Inquisitoribus erat addictus, fuerit ereptus: crimen tamen scopis in foro caesus eluere debuit. Ita quidem narratur, sed cujus veritatem praestare nolim, maxime cum Romam redux a Papa fuerit honoratus, et publice docuerit. Obiit a. 1465. Varia condidit opera, inter quae sunt, *elegantiarum* linguae Latinae libri VI., Annotationes in Novum Test., de *libero arbitrio*, de ementita Constantini M. *donatione*, quae in *fasciculo rer. expet.* etc. exstat, variae *invectivae* in Poggium, apologia etc.: etiam de ges-

tis Ferdinandi, Castellae et Arragoniae Regis, ab a. 1410. ad 1415. Litterarum scientia et eloquentia celebris, simul varia fortuna jactatus, fuit *Franciscus Philelphus.* De quo vid. Foppius in Miscell. Lips. tom. V. *Angelus Politianus*, a patria, urbe Hetruriae sic dictus, praecipuus Litterarum instaurator, a. 1494. defunctus, variorum opusculorum autor fuit, quae maximam partem sunt epistolae, Critica, Miscellanea, translationes librorum Graecorum etc. Inputatur quidem ipsi contemtus sacrarum Litterarum, sed defenditur in *diario Italico* tom. XVIII. Ejusdem aetatis, utique eodem anno mortui, fuerunt Hermolaus Barbarus, et Johannes Picus. *Hermolaus*, nam de Pico postea agam, sub alio titulo, Patricius Venetus, a Republica Veneta ad Innocentium VIII. a. 1494. legatus, et inscio Senatu Patriarcha Aquilejensis constitutus, bonis est propterea mulctatus, civitate Veneta ejectus, exul Romae pauperem degit vitam. Vir fuit sui aevi doctissimus, optimisque moribus. Varia opera Aristotelis Latine vertit, castigationes Plinianas edidit, varias quoque Epistolas et Praefationes, orationem congratulatoriam ad Fredericum Inperatorem, compendium scientiae naturalis etc. Succedat denique vir egregius, et litterarum stator, *Rudolphus Agricola*, Friso, in pago Baflon, prope Groningam, natus, cognomine *a Siloha*, quod a coenobio Frisiae Orientalis *Silomonniken* repetit Harckenroth Bibl. Brem. class. VII. linguis, Latin., Graec. et Hebr., peritus, aliisque scientiis probe instructus, primum Syndicus Groninganus, dein, per ingratos coactus cives, partim Wormatiae degit, partim Heidelbergae, utrobique litteras docens. Obiit Heidelbergae a. 1485. Opera ejus sunt aliquot translationes, ut Isocratis, Luciani, et aliorum, orationes, Epistolae, notae in aliquas Senecae declamationes, de inventione dialectica, de universalibus etc., Elogium ejus exstat apud L. Vives ad Augustinum de *civitate Dei* l. I. c. 21., et vitam dedit autor *effigiei* et *vitarum* Professorum Groninganorum. Habet etiam nonnulla de ipso H. Alting in hist. Eccles. Palatin.

§. CCCLXXXII.

§. CCCLXXXII. Graecas litteras in Europam hoc ſeculo introduxerunt Graeci aliqui, qui patriae calamitatibus preſſi ad Latinos confugerunt, ſecumque hanc litteraturam inter Latinos adtulerunt: quorum praecipui fuerunt Manuel Chryſoloras, Georgius Trapezuntinus, et Theodorus Gaza. *Manuel Chryſoloras*, ex antiquo Romanorum, qui cum Conſtantino M. in Graeciam venerunt, genere, natus Byzantii circa a. 1389., a Johanne Palaeologo in Occidentem legatus, ut Latinorum auxilium contra Turcas inploraret, omni ope fruſtra adhibita, conſedit in Italia, et linguae Graecae ſtudium, pluſquam ſeptingentis annis ibi neglectum, et ignotum, reſuſcitavit primus, Venetiis, Florentiae, Romae, et tandem Ticini, docens, inſigni cum ſucceſſu, ita etiam ut ex ejus ſchola plures prodierint viri egregii. Conſtantiam denique, Synodi viſendae cauſa, petens, ibi ſtante Synodo eſt defunctus a. 1414. Vid. elogium et epitaphium ejus apud L'Enfant *conſil. Conſtant.* lib. II. et Piſan. p. II., ubi ejus imago quoque exhibetur. Pauca ejus tantum exſtant opuſcula, ſcilicet *erotemata Grammatica*, ſeu artis grammaticae regulae, *comparatio Veteris et novae Romae*, binae *Epiſtolae* ad Johannem et Demetrium Chryſoloras, ad calcem Codini de Antiquit. CPolit. *Georgius*, in Creta licet natus, a paterna tamen origine Trapezunte, Cappadociae urbe, dictus *Trapezuntinus*, Romam quoque profectus, Graecam ibi linguam, et liberales artes, profeſſus eſt, multaque ex Graeca in Latinam tranſtulit. Cum vero Ariſtotelis ſolius numen adoraret, Platonem inſuper maledico dente dilaceraret, multorum, inprimis Beſſarionis, odium ſibi concitavit, et ad miſeram redactus eſt conditionem. Cujus miſertus Rex Alphonſus eum Neapolin evocavit, lautoque ſatis ſtipendio honeſtavit. Ceterum extrema ſenectute repueraſcentem cepit omnium rerum, etiam proprii nominis, oblivio: mortuus eſt nonagenarius a. 1486. Referunt vero nonnulli, neſcio an ſatis ſolido fundamento, eum prae dolore et indignatione in delirium incidiſſe, quod loco inſignis praemii

pro lucubrationibus suis, Papae oblatis, vilissimum acceperit; additur, eum pecuniam a Papa datam projecisse in Tiberin, cum exclamatione, *periere labores, pereat et ingrata merces.* Opera ejus sunt partim translationes Patrum, et Rhetoricorum Aristotelis, partim ab ipso composita, uti de processione Spiritus S. contra Graecos, de dialectica et partibus Orationis, de comparatione Platonis et Aristotelis, etc. Epistola ad Johannem Palaeologum, qua ipsum hortatur, ut in Italiam ad Synodum veniat, exstat ad calcem G. Phranzae protovestiarii. Denique notatu dignum est, ipsum in expositione dicti Christi Joh. XXI. *si volo eum manere donec veniam*, contendere, Johannem Euangelistam nondum esse mortuum. *Theodorus Gaza*, Thessalonicensis, in Italiam a. 1430. adpulsus, utriusque linguae Latinae et Graecae peritus, obtinuit, ope Bessarionis, sacerdotium in magna Graecia; quam tamen sedem non occupavit, nisi postquam expertus didicisset, lucubrationes suas Papae Sixto IV. nimis vili pretio aestimari. Obiit a. 1478. Varia Veterum scripta Latine vertit, Grammaticam concinnavit Graecam, de Mensibus Atticis scripsit, et de Origine Turcarum in Symmictis Leonis Allatii tom. II.

§. CCCLXXXIII. In *Hebraica* litteratura laudes nacti sunt Johannes Reuchlinus, et Aelius Antonius Nebrissensis. *Johannes Reuchlinus*, alias Capnio, natione Germanus, patria Suevus, primus litteras Latinas, Graecas, et Hebraeas resuscitavit in Germania. Studiis feliciter absolutis, ab Eberhardo Comite Wirtenburg. in aulam adscitus, et ad Inperatorem legatus, elementa Hebraea didicit a Judaeo quodam, dein, rebus Wirtenbergicis turbatis, in aulam Comitis Palatini Philippi concessit, et Romam est ablegatus: ubi a Judaeo Abdia eam linguam adcuratius hausit; licet magno suo dispendio, pro singulis enim horis singulos dedit ipsi aureos. Rediit dein, rebus Wirtenberg. compositis, Tubingam, et quatuorviris Provinciae Suevicae Judicibus adscriptus omnem ab eo tempore inpendit operam linguae Hebraeae promovendae,

vendae, ſed ringentibus Monachis et Scholaſticis, qui, Duce Johanne Hocuſtrato, ordin. Praedicatorum, et Academiae Lovanienſis Decano, in eum inpetum fecerunt, eique haereſios inuſſerunt notam, quaſi Judaeorum eſſet et Gentilium fautor. Nec intra hos limites ſacer eorum furor manſit, verum in ipſos Judaeoorum libros ſeſe effudit, quos conburi, et litteraturam Hebraeam e republica Chriſtiana eliminari, voluerunt. Quam rem apud Papam non tantum urſerunt, ſed et ab Inperatore inpetrarunt edictum, ut omnes Judaeorum libri, exceptis Bibliis, flammis traderentur. Oppoſuit vero ſeſe iis Reuchlinus, et cucullatorum inſcitiam, ac malitiam, ſalſe perſtrinxit, ſcriptis *obſcurorum virorum epiſtolis*, quae ab Huttenio ſunt editae: quibus ridiculus Monachorum et Scholaſticorum, Latine ſcribentium, ſtilus vivis depingitur coloribus. Cum autem Monachorum precibus inductus Papa Leo X. epiſtolas illas damnaſſet, aliud ſimile, et alio ſub titulo, volumen publicavit mordacius Reuchlinus. Controverſia de libris Judaicis a Papa demandata judicibus, quos delegavit, ipſi hi ſecundum Reuchlinum pronunciarunt, et Monachi ad Papam adpellarunt. Interea Eraſmus et Huttenus patrocinati ſunt Reuchlino, ipſaque controverſia, gravioribus litibus cum Luthero ſuſcitatis, manſit indeciſa, et Reuchlinus in Hebraeis et Graecis litteris in Academia Ingolſtadienſi docendis perrexit, obiit a. 1521. Scripſit de arte Cabbaliſtica, et varia ad litteraturam Hebraeam pertinentia, aliaque ſimilia: uti in Pſalmos ſeptem poenitentiales, ex Hebr. verſos, dialogum, an Talmud ſit ſupprimendum? denique obſcurorum virorum epiſtolas memoratas. Ceterum de Capnione, ejuſque ſtudiis et litibus, vid. Seckendorf, hiſt. Lutheran. a. 1520., et Alting hiſt. Eccleſ. Palatin. c. 5. Varia vero ſcripta ea de cauſa edita, et recenter publicata, ſunt ab Herm. van der Hart hiſt. litterat. Reformat. p. II.

§. CCCLXXXIV. Trium linguarum, ac ſtudiorum humaniorum, in Hiſpania inſtaurator fuit *Aelius Antonius Nebriſ-*

*ſenſis*, ſeu de Lebrixa, qui Salmanticae ac Compluti docuit, ſub auſpiciis Cardinalis Ximenii, inſignis litterarum et litteratorum fautoris, a quo etiam iis fuit adſociatus, qui Bibliorum Complutenſium editionem procurarunt: unde tres Nebriſſenſis *quinquagenae* ſunt ortae *locorum Scripturae non vulgariter enarratorum*, ſeu criticae reſponſiones ad quaeſtiones Biblicas, quarum tertia quinquagena tantum exſtat, in Bibliis, ſic dictis, Criticis, et ſeorſim. Prima enim et ſecunda eſt per Inquiſitores ſuppreſſa: quid? quod ipſi Antonio haereſios crimen inputarint, quod Hebraicam et Graecam excoleret litteraturam, et ſola *artis Grammaticae fiducia* Scripturam adgrederetur explicare, uti in apologia ad Ximenium refert. Defunctus eſt a. 1522. Scripta ejus licet ad litteraturam praecipue ſpectent, edidit tamen etiam, praeter homilias aliquot, opus hiſtoricum de rebus, a Ferdinando et Elizabetha, Hiſpaniarum regibus, geſtis uſque ad a. 1509., nec non de bello Navarrenſi contra Johannem Navarrae Regem a. 1512.

§. CCCLXXXV. Inter Scripturae S. *commentatores*, de quibus agere incipio, principem obtinet locum *Alphonſus Toſtatus*, Hiſpanus, qui litteras et artes liberales primum docuit Salmanticae, dein Epiſcopus Abulenſis, et Regi a ſecretioribus conſiliis fuit. Vir habetur omni ſcientiarum genere inſtructiſſimus, ſummae diligentiae, et memoriae ſtupendae, cui nihil unquam excidit, Hiſpani ipſum hoc ornarunt elogio.

*Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne.*

Plura ſpatio viginti duorum annorum ſcripſit, quam quis per aetatem legat, vel legere velit. Exſtant commentariorum ejus in Scripturam S. 27 tomi in Fol., una cum indicibus, et opuſculis ejus. Nitore non tantum caret ſtilus, ſed et genus commentandi eſt nimis diffuſum, multiſque quaeſtionibus refertum. Obiit a. 1454. Laudem hac parte meruit

meruit *Paulus Burgensis*, etiam de Carthagena dictus, ortu Judaeus, Salomo Levi nominatus, per Tomae lectionem ad Christianismum conversus, cum tribus filiis a. 1390., inde primo Carthaginiensis in Africa, dein Burgensis, Episcopus, et Archicancellarius regis Castellae et Legionis; scripsit *scrutinium* Scripturae, sive dialogum Sauli et Pauli contra Judaeos, praeterea *additiones* ad N. Lyrae *postillas* ad Scripturam, quibus Judaeorum opiniones saepe refutat, denique *quaestiones duodecim* de nomine tetragrammato, quae ex additionibus ad Exod. III. desumtae sunt, et recusae ad calcem Drusii de hoc nomine, et in Relandi collectione. Adnumerari quoque commentatoribus potest *Dionysius Carthusianus*, qui, praeter multa alia, maximam partem Spiritualia et moralia, commentarios conpilavit in totam Scripturam: de quibus legi meretur R. Simon hist. Crit. N. T. III: 34. Ceterum Dionysius de Leewis, patria Ryckelius, in dioecesi Leodicensi magister artium Coloniensis inter Carthusianos Ruremundae apud Geldros nomen suum professus est, et diem obiit a. 1471., dictus Doctor Ecstaticus, et visionibus, ut putabatur, illustris.

§. CCCLXXXVI. Primus ordine temporis hujus seculi *Theologorum*, quorum praecipui restant recensendi, fuit *Petrus de Alliaco*, Gallus, e tenuissimae sortis parentibus, circa medium superioris seculi, natus, sed ad supremas evectus dignitates. Fuit primo Collegii Navarrei Parisiensis Magister et moderator, dein ipsius Academiae Parisiensis Cancellarius, dein Aniciensis, seu Vellarensis, denique Cameracensis Episcopus, tandem Cardinalis: *aquila Franciae, et aberrantium a veritate malleus indefessus* dictus. Interfuit Synodo Pisanae, et Constantiensi, cujus tertiae sessioni praefuit, et per triennium pars magna fuit. Persuasit quoque Benedict. XIII., ut festum *Trinitatis* decerneret celebrandum ubique terrarum. Defunctus est a. 1425. Inter ejus scripta, bene multa, ut in libros sententiarum, in Hexaemeron, in Psalmos aliquot, ne alia memorem, adtentionem

meretur in primis liber de *emendatione* Ecclesiae, Synodo Constantiensi oblatus, in *fasciculo rer. expetend* etc., et in *memorabilibus* Wolfii, nec non de Ecclesiae et Cardinalium autoritate, inter Gersonis opera, denique de *difficultate reformationis in concilio generali*, apud Hardtium Concil. Constant tom. I., et in Gersonis editione Dupiniana. Eo non minor, quin superior, fuit discipulus ejus *Johannnes Gerson*, a viculo Rhemensis dioecesios, unde erat oriundus, sic dictus, more satis recepto iis, quorum obscuriores erant natales, elogio *Doctoris Christianissimi* ornatus. Fuit gente Gallus, et studia in collegio Navarrensi confecit, cujus etiam factus est Magister a. 1392., inde Cancellarius Parisiensis, adeo praeclare in eo munere versatus est, ut *Cancellarius* soleat eximie adpellari. Praecipua vero ejus negotia fuerunt in schismate Paparum tollendo, et Johannis Parvi adsertione jugulanda. Synodis Pisanae et Constantiensi interfuit, et Ecclesiae ac Synodi Universalis autoritatem supra Papam vehementer ursit, Papas deponi posse contendit, uti in tractatu, *de auferibilitate Papae ab Ecclesia.* Controversia cum Johanne Parvo ex Ludovici Aurelianensis nece, a Johanne Burgundiae Duce procurata, originem habuit, quippe quam tanquam illicitam oppugnavit Gerson, defendit Johannes Parvus, qui contendit, tyrannum ab unoquoque, ubicunque, et quocunque modo, licite trucidari. Quam temerariam adsertionem Gerson non tantum sermonibus et scriptis refutavit, sed et a Facultate Parisiensi fecit condemnari. Vid. L'Enfant concil. Pisan. p. II., ubi Ducis Burgundiae apologia etiam recensetur: historiam vero domuum Aurelianensis et Burgundicae divisionis, indeque ortae necis Aurelianensis, clare et succincte enarravit Varillas hist. haeres. lib II. Incurrit vero Gerson eo ipso in odium Ducis Burgundiae, et Burgundionum, qui causam illam Synodo Constantiensi, quae sess. XV. propositionem, autore non nominatò, in genere damnaverat, denuo decidendam obtulerunt, et triumpharunt. Judices enim, a Synodo ad

eam

eam rem delegati, cenſuram Pariſienſem abrogarunt, et Synodus eorum judicium confirmavit, nequicquam repugnante Gerſone: qui ab eo tempore, Lutetiam, quam Johannes Burgundiae Dux tenebat, reverti, et munus Cancellarii repetere, non auſus, Lugdunum conceſſit, et reliquum vitae tempus, ibi deliteſcens, libris ſcribendis, ac parvulis catechizandis, impendit. mortuus ſubito inter orandum a. 1429. Receptae doctrinae licet adhaeſerit, furioſus etiam zelota fuerit, qui ad Johannis Huſſi condemnationem multum contulit, acerrimum ſeſe nihilominus praeſtitit corruptionis Eccleſiae ſui temporis in Capite et membris caſtigatorem. Taxat ſaepe in Clero ignorantiam, ſuperbiam, ſuperſtitionem, libidinem, luxum, rerumque mundanarum ſtudium. Eccleſiam, inter alia dicit, factam eſſe ſtabulum *porcorum grunnientium*, *vel canum latrantium*, vel *ridicularum ſimiarum*, etc. Vid. excerpta ex ejus libris in *faſciculo rerum fugiend. etc.* tom. II. Flacium Illyricum in *catalogo teſtium*, et Richerium Sorbonicum concil. tom. II. Opera Gerſonis noviſſime et optime ſunt edita quinque vol. in Fol. a Dupinio, additis Gerſonianis, ad exemplum Origenianorum Huetii, nec non aliis ſcriptis adnexis; ingentemque praebent ad ſeculi notitiam uſum.

§. CCCLXXXVII. *Tomas Waldenſis*, a natali etiam ſolo ſic adpellatus, ex vico Walden in agro Eſſexienſi oriundus, Carmelita, conciliis quoque Piſano et Conſtantienſi interfuit, et contra Antipaparum Gregorii et Benedicti partes fortiter diſputavit, ad ſchiſma tollendum: ſed nec minore zelo ſeſe Wicleſiſtis ac Huſſitis oppoſuit, ita ut Henricum V., Angliae Regem, pro concione non erubuerit increpare ob ſocordiam in puniendis haereticis; quam ob cauſſam a ſacris confeſſionibus Regi meruit adhiberi, tanquam unicus fidei pugil. Unde etiam ejus *doctrinale antiquitatum fidei Catholicae*, contra eos haereticos, eſt natum: quod ex innumeris aliis ejus operibus ſolum exſtat impreſſum, obiit a. 1430. Longe melioris animi fuit *Reginaldus Pavo*, Anglice

glice Peacock, Anglus, primum Episcopus Asaphensis, dein a. 1450. Cicestriensis; qui quidem id operam dedit, ut Wiclefistas, vulgo Lollardos, ad unitatem Ecclesiae reduceret, sed ita, ut supplicia capitalia inprobaverit vehementer, ac mitius, et rationali modo, cum iis agi voluerit. Praeterea gravissimos in Ecclesiae regnare errores et superstitiones agnovit, Ecclesiae repraesentativae, sive Papa sit, sive Concilium generale, infallibilitatem, quae tunc maxime venditari coeperat, acriter inpugnavit, aliosque errores et abusus Ecclesiae ingenue notavit. Quare ad Synodum Lambethanam citatus, haeresios accusatus, et ad palinodiam compulsus est, a. 1457. Vid. de ipso, et scriptis ejus, quae Anglice supersunt, Warthon ad Cave Script. Eccles., ubi etiam duo occurrunt excerpta, quibus et apocrypha, Bibliis adnexa, repudiantur, et nuptiae sacerdotum adprobantur.

§. CCCLXXXVIII. Inter eos, qui de seculi corruptione testati sunt, haud infimum meretur locum *Nicolaus de Clemangiis*, Gallus, in vico Clemangi, provinciae Catalaunensis, natus; vir sinceri animi, intrepidus vitiorum censor, simul elegantioris stili, dictus *Doctor Theologus*. Studia confecit in collegio Navarrensi, praeceptore Johanne Gersone usus a. 1393. Rector ab Academia Parisiensi creatus, et scribendis epistolis adhibitus est, unde in curiam Avenionensem Papalem a Benedicto XIII. accitus Papae fuit a secretis. Cum vero Papa Galliae regnum, edicto regio ejus obedientiae subductum, supposuisset interdicto sacro, Clemangius in suspicionem scripti interdicti venit, a qua sese non nisi aegre, et post pericula, purgavit. Postea sese ad Lingonenses conferens, Thesauriatus munus, ipsi antea oblatum, capessivit, sed, quo deinceps abdicato, Ecclesiae Bajocensis, non, ut putatur Archidiaconus, sed Cantor, est constitutus. Obiit a. 1440. Scripta ejus, quae maximam partem junctim edidit, cum analectis et glossario, Joh. Mart. Lydius, Ecclesiae Veteraquaniae pastor, sunt, praeter epistolas,

tolas, varii tractatus, ad ſchiſma exſtirpandum, et Eccleſiarum unionem, tendentes, praeterea de corrupto Eccleſiae ſtatu, de novis feſtis non inſtituendis, de Antichriſto, de Praeſulibus Simoniacis. Praeter haec ſcripta exſtat liber de *ſtudio* Theologiae in ſpicilegio Dacheriano tom. I. et Epiſtolae nonnullae ibid. et in Miſcellan. Baluzii tom. VI.

§. CCCLXXXIX. *Alphonſus Spina*, Hiſpanus, ex Judaeo Chriſtianus, Franciſcanus, Academiae Salmanticenſis Rector, ac fidei inquiſitor, denique, ut putatur, Epiſcopus Orinopolitanus, celebre reddidit nomen ſuum opere, cui titulus, *fortalitium fidei contra Judaeos, Saracenos, et haereticos*: ipſum enim ejus eſſe autorem Mariana de *rebus Hiſpanicis* tradit, nec ratio eſt dubitandi. Prodiit primum Norimbergae a. 1494., dein Lugduni a. 1511.; ſed antiquiorem memorat editionem a. 1487. R. Simon. Liber propterea magni eſt faciendus, quod inde diſci queat, quaenam hoc tempore fuerit Eccleſiae Romanae doctrina, quibus rationibus oppugnari et defendi ſolita, qûae porro dogmata pro fidei articulis habita ſint, qua denique ratione cum haereticis fuerit actum: et quae ſimilia alia ſunt. Summam libri ſatis amplam dedit Warthon ad Cave, ſed ob unoquoque legi meretur.

§. CCCXC. Superſunt duo viri egregii, qui Reformationi praeluſerunt, Johannes de Weſalia, et Johannes Weſſelus Hermanni, familiares etiam amici, et ejuſdem inſtituti, probe tamen a ſe invicem diſtinguendi. Vid. Oudinus ſcript. Eccleſ. tom. III. *Johannes de Weſalia*, qui in Academia Erfordienſi praecipue docuit, nimia in docendo et concionando uſus libertate eſt, quam ut ab Orthodoxis ejus temporis ferri potuerit. Cum Wormatiae concionaretur, quaedam ex ore ejus paradoxa ſunt a Tomiſtis excerpta, quae in *faſciculo rerum fugiend.* etc. tom. I. exſtant, quibus Doctorum infallibilitas, divina feſtorum inſtitutio, et jejuniorum, Romanae quoque peregrinationes, aliaque capita, vel negantur, vel in dubium vocantur. Unde Inquiſitorum nata eſt perſecutio, qui libros ejus accuratius ad examen revocarunt,

runt, et errorum ejus concinnarunt catalogum; inter quos sunt, solam Scripturam S. esse fidei normam, Ecclesiam non esse infallibilem, substantiam panis in eucharistia manere, indulgentiarum nullum esse pretium, Spiritum S. ex Patre magis quam Filio procedere, etc. Coactus fuit, ut ignem evaderet, palinodiam canere. Vid. *fasciculus* citatus. *Johannes* vero *Wesselus*, ob doctrinam et pietatem dictus *Lux mundi*, fuit Groninganus, qui Groningae et Swollae linguam Latinam, sed Coloniae Graecam ac Hebraeam, didicit, dein Parisiis magis excoluit. Heidelbergam ad Cathedram Theologicam vocatus, eo quidem profectus est, sed cum *Theologi* careret titulo, ea non est potitus, quare litteras et Philosophiam ibi professus est, simulque purioris doctrinae semina jecit; vid. Alting hist. Eccles. Palatin., ubi ad ejus calcem nonnulla quoque de ipso notanda profert Clar. Isinck in *brevi historia reformationis Groningae*, aliquos etiam ejus discipulos, et in puriore doctrina sequaces, recenset per regionem Groninganam, unde primordia reformationis petenda sunt. Laurea vero Theologica deinceps ornatus praestitit sese Coloniae concionando celeberrimum, maxime cum puriorem, a multis erroribus et superstitionibus Ecclesiae Pontificiae purgatam, evulgaret doctrinam: cujus summa exhibetur in *effigiebus et vitis Professorum Academiae Groninganae*. Tenuit, ex. gr., unicam fidei et vitae normam esse Scripturam S, traditiones, canones, aut scripta Patrum, ad eam nullo modo pertinere: Christum solum esse mediatorem, non Angelos, aut defunctos: justificari hominem per fidem, non per opera, satisfactionibus propriis rejectis: missam esse eucharistiae profanationem; indulgentias esse simoniacas nundinationes; purgatorium esse commentum; Orationes pro defunctis esse inanes; conjugium Clericorum esse licitum; nullum esse Papae primatum, Papam etiam et Praelatos esse Antichristos, si quid verbo Dei contrarium sanciant: nihil nocentius esse Ecclesiae quam nimias opes, nihil corruptius moribus Clericorum etc. Quae, et quorum simi-

lia

lia, cum inculcaret dogmata, adpellari ab adverſariis et monachis coepit *magiſter contradictionum*, et *Gaenſfortius*, ſeu anſer valde clamoſus; nec Inquiſitorum effugiſſet manus, niſi Epiſcopus Ultrajectinus, cui ſuberat, ipſum fuiſſet tuitus. Obiit itaque in pace, Groningae ſepultus in Choro monaſterii *Spiritualium Virginum* a. 1489. Opuſcula ejus junctim ſunt edita Groningae a. 1614., et Amſtelodami a. 1617. praemiſſa vita ejus, ab Hardenbergio adornata.

§. CCCXCI. Praeluxit itaque Reformationi; ipſe Lutherus de convenientia ſuae et Weſſeli doctrinae teſtatus eſt in epiſtola, Weſſeli epiſtolis praemiſſa. Vid. etiam Iſinck l. cit. Ingenium a ſuperſtitione abhorrens jam cito patefecit Weſſelus. Cum Swollae in *aedibus Fratrum* incumberet litteris, religioſus quidam Monachus, ipſum ad Mariae peculiarem cultum hortatus, retulit hoc reſponſum: *Pater! quare me non potius ad Chriſtum adducis, qui omnes oneratos ad ſe tam benigne vocat.* Ceterum ſingulare quoque eſt, quod, cum Sixtus IV., Papa factus, Weſſelo, quocum familiare ſemper coluerat commercium, diceret, *ut, quicquid vellet, a ſe peteret*, reſponderit ipſi ſe nihil petere, quam ut Papa munere ita fungeretur, ut ſummo ovium Paſtori placeret, dein Papae regerenti, *haec nobis curae erunt, tu pro te aliquid pete*, Weſſelus dixerit, *rogo ergo, ut mihi detis e Bibliotheca Vaticana Hebraea et Graeca Biblia:* uti Hardenberg in ejus vita narrat. Maxime notatu dignum eſt, quod Canonicus Daventrienſis, Johannes Oſtendorpius, adhuc adoleſcens, eum ſenem viſitans, hoc ab ipſo acceperit vaticinium: *ſtudioſe adoleſcens ad eum vives diem, quo doctrina Tomae, et Bonaventurae, et aliorum ejuſdem farinae recentiorum, et contentioſorum, Theologorum, ab omnibus vere Chriſtianis Theologis explodetur.*

§. CCCXCII. Inter illuſtriores *Concionatores*, de quibus, ut et *aſceticis*, agendum ſupereſt, primum ordine temporis locum tenet *Vincentius Ferrerius*, Hiſpanus, Ordinis Dominicani, et Benedicto XIII. a ſacris confeſſionibus, ac S.

palatii Magister: unde se ad concionandi officium contulit, quo triginta annos per Hispaniam, Galliam, Italiam, et Britanniam functus est. Mira de ejus miraculis, et concionum effectu, narrantur: ipsum, ex. gr., 35 millia Judaeorum, octo millia Saracenorum, convertisse, centum vero millia peccatorum ad meliorem mentem revocasse. Interfuit, ut putatur, concilio Constantiensi: adhaesit quidem in principio Papae Benedicto XIII., sed eum postea deseruit, et in concionibus acriter perstrinxit. Obiit a. 1419. a Callixto III. sanctis adscriptus. Exstat, praeter epistolas, et alia opuscula, tractatus ejus de vita *Spirituali*, ut et de *fine mundi*, *et duplici Antichristi adventu*. Vitam ejus concinnanavit Petrus Ranzanus in Act. Sanct. Aprilis. Vid. etiam L'Enfant. Concil. Pisan. p. II. Ejusdem etiam tenoris fuit *Bernardinus Senensis*, cujus vitam prolixe enarrat Waddingus in Annal. Minoritarum, quorum Ordini fuit adscriptus. Praestitit sese concionando quoque celebrem, maxime quod id inprimis intenderit sermonibus suis, ut *nominis Jesu Christi* reverentiam insinuaret auditoribus. Quo fini cum nomen illud in centro solis, circino circumscripti, depictum circumgestare, et auditoribus ostentare, soleret, populum ad nominis adorationem incitans, accusatus est apud Martinum V. Papam haereseos, et, licet crimen diluerit, novo hoc more abstinere jussus est. Deinde *Fratribus de observantia*, quos a. 1412. instituerat, Cis-montanis praefectus, trecenta amplius monasteria vel condidit, vel instauravit. Mortuus a. 1444, sex annis post a Nicolao V. in Sanctorum est relatus catalogum. Scripta ejus quam plurima edita sunt novissime a Johanne de la Haye, quinque tomis in fol., maximam partem moralis et ascetici argumenti.

§. CCCXCIII. *Tomas a Kempis*, cujus celebratissimum est nomen per librum de *imitatione Christi*, ipsi adtributum, a patrio solo Kempen, in ditione Coloniense, sic dictus, cognomento vero *Hamercken*, sive malleolus, studia confecit Daventriae, sub Florentio, fratrum Clericorum praefecto, inde

inde Ordini Canonicorum regularium Augustinianorum adscriptus, Subpriorem et Procuratorem egit S. Agnetis ad Swollam. Diem obiit supremum a. 1471., et multa post se reliquit scripta, maximam partem ascetica; quae variis prodierunt vicibus. Omnium celeberrimum est opusculum utilissimum de *Imitatione Christi*, nemini non notum, cujus innumerae sunt editiones, et in omnes fere linguas translationes, quod ipsi inscribi quidem solet, sed de cujus autore acriter contenditur inter Canonicos regulares, qui Tomae, adstipulantibus Jesuitis, et Benedictinos, qui Johanni Gersenio, alias Gessen de Gessate, Abbati S. Stephani Vercellensis, Ordinis Benedictini ab a. 1230., vindicant. Nec desunt, qui Johannem Gersonem pro autore habent. Historia controversiae contexitur in Oper. Posthumis Mabillon. etc. tom. I., ubi etiam observationes in vindicias Kempenses occurrunt. Prolixus quoque est in hac historiola, et rationibus, quibus singulae sententiae sunt superstructae, Du Pin, in Prolegom. Oper. Gersonis l. III., qui concludit, rem esse incertam. Vid. etiam de hac Kempisiana quaestione Schelhorne in Amoenit. Litter. tom. VIII. qui Tomam esse autorem demonstrat.

§. CCCXCIV. *Hieronymus Savonarola*, omnium hac parte illustrissimus, dignus prae reliquis qui cognoscatur, origine quidem fuit Patavinus, sed patria Ferrariensis, e nobili familia, Ordinis Dominicani. Reddidit sese haud uno nomine celeberrimum. 1. Absolutissimus fuit *concionator*, sive eloquentiae et vis dicendi, sive doctrinae et peritiae, sive pietatis et morum, habeatur ratio. 2. Corruptionis seculi, in primis Paparum, Praelatorum, et Principum, castigator acerrimus ac liberrimus; in seculo suo reformando totus, ei operi unice aptus habitus. 3. Verus itaque censitus hac parte *Prophetarum* imitator; eo etiam magis, quod, ut putatur, dono prophetandi fuerit praeditus: Ecclesiae Dei flagellationem, reformationem, et Infidelium conversionem, praedixisse fertur. Guiccardinus hist. lib. II. tradit, ipsum

apud majorem populi partem sibi nomen et autoritatem vatis vindicasse, pro concione saepenumero praedixisse externorum exercituum in Italiam adventum, et grassationes, denique haec, et *alia multa, quae quotidie praedicebat, neque humana conjectura, neque ex cujusdam scriptoris scientia, sed Dei solius instinctu, atque adflatu, praenunciare*, sed in ultima sua confessione, se ea ex S. Scriptura hausisse, declarat apud Guiccard. l. III. fin. 4. Summae fuit autoritatis, quam eloquentia, et moribus, ac prudentibus datis consiliis, sibi acquisivit, ita ut ab ejus fere ore pependerit Italia, et Florentiae esset anima omnium consiliorum ac operum. Mediceis, tyrannidem exercentibus, expulsis, et populo tumultuante, ipse compescuit motus, libertatem et jura reddidit populo, omnibusque praefuit negotiis. 5. Reformationem strenue ursit, scriptis etiam ad Principes literis, quibus eos hortatus est, ut Ecclesiae collapsae, convocata Synodo Oecumenica, succurrant. Vidit denique abusum, et doctrinae depravationem, in Ecclesia Pontificia. Utique reprobasse traditur operum merita, confessionem auricularem, indulgentiarum nundinationes, communionem sub una specie, et similia alia. Vid. Catalogus *testium veritatis*.

§. CCCXCV. Celebritatem postremo ejus auxit tragica mors. Cum in Alexandri VI., et nonnullorum ex nobilibus Florentinorum, qui mores ejus severos, ac reprehensionem, ferre non possent, odium incidisset, anathema in ipsum est pronunciatum, et inpetus in eum est a Franciscanis factus, cum in Templo esset, ferro et flamma aditum sibi facientibus: qui quidem ab Hieronymianis sunt repulsi, sed cum, data a Senatu fide, ut incolumis reverteretur in coenobium, egressus esset, summa perfidia adprehensus, carceri mancipatus, calumniis obrutus, haeresios, et falso praetensarum revelationum, reus actus, ab Inquisitoribus damnatus, brachio seculari traditus, strangulatus, et dein combustus est in foro Florentino. Traditur quidem revelationum falsarum confessionem aliqualem ipsi per tormenta fuisse extortam;

sed

ſed ſine fundamento. Sed ſingulare eſt, provocatum fuiſſe, cum de propoſitionibus, in primis Propheticis, Savonarolae, veris an falſis? diſceptaretur, inter Dominicanum et Franciſcanum ad ignis judicium; ſed illud, licet omnia eſſent parata, non proceſſiſſe; quia Franciſcanus, Savonarolae adverſarius, omnia quaeſivit ſubterfugia, et permittere noluerit, ut Dominicanus, qui a partibus Savonarolae ſtabat, euchariſtiam ſecum, quod volebat, ſumeret in igne. Exſtant plurima ejus opuſcula, moralia, aſcetica, politica etc. Vitam vero conſcripſit Joh. Picus Mirandula, praeter alios, et ex recentioribus Jac. Quetif., ac alii: ſed conferendi inprimis ſunt hiſtorici integrae fidei, Guiccardinus et Cominaeus. Ceterum varia, et oppoſita, ſunt, fueruntque olim, hominum de hoc viro judicia. Alii enim eum pro inpoſtore habent et tyranno, qui ſub pietatis larva ambitioni unice litavit, et ſummum Florentiae inperium, ejectis Medicaeis, ambivit, et exercuit: alii eum defendunt, et inpenſe laudant: ſed priores numerum non faciunt, nec integrae ſunt fidei, ut Poggius, et ſimiles, poſteriores longe melioris notae ſunt, ut hiſtorici modo laudati. Qua de re, qui plura velit, adeat Buddeum in *Parergis Hiſtorico-Theologicis*.

§. CCCXCVI. Adjungi ipſi meretur, haud abſimilis inſtituti ac fatorum, *Andreas Craynenſis*, Ordinis Praedicatorum, et Craynenſis, ſeu Carenſis, in Carinthia Archiepiſcopus, Romanae etiam Eccleſiae Cardinalis, facundia et ſanctitate celebris, ſed celeberrimus per conatus pro reformanda Eccleſia factus. Corruptionem aulae Pontificiae, et reliquorum Eccleſiaſticorum, in doctrina et vita, cum ferre non poſſet, apud Sixtum Papam, et Cardinales, urſit primum frequentibus monitis et precibus reformationem, ſed ludibrio habitus eſt. Contulit dein ſeſe ad Fredericum Inperatorem, et, ab eo accepta poteſtate, concilium Generale indixit Baſileae a. 1482., *ad fidei Catholicae reformationem, morum correctionem, et pacis Eccleſiae reſtitutionem.* Quo auſu exacerbatus Sixtus juſſit, ut, ſub anathematis poena, Baſileenſes eum

sibi tradant vinctum: qui cum illud, non obstante anathemate pronunciato, detrectarent, Papa Imperatorem volentem nolentem in partes suas traxit; et Basileenses eum in carcerem detrudere coacti sunt a. 1482., ubi haud diu post, clam strangulatus, periit. Opuscula, ad reformationem Ecclesiae spectantia, collegit Petrus Numagen Trevirensis, secretarius Andreae, addita *gestorum ejus brevicula:* quae edita sunt ab Hottingero hist. Eccles. sec. XV*ti*.

§. CCCXCVII. Ursit quoque valde Reformationem, et de superstitione ac corruptione in Ecclesia dominante acerbe conquestus est, ut ex Catalogo *testium veritatis* quoque liquet, vir praeclarus, seculi sui miraculum habitus, Johannes *Picus Mirandula*, Dominus Mirandulae et Concordiae Comes ac Princeps, natus a. 1463., et denatus cum triginta duorum tantum esset annorum, a. 1494. Doctus fuit supra aevi sui viros, omni scientiarum et linguarum, Graecae, Latinae, ac Orientalium genere, propterea *Phoenix* adpellatus. Annos nondum viginti quatuor natus publice ad disputandum proposuit Romae *conclusiones nongentas*, de rebus Dialecticis, Metaphysicis, et Mathematicis, ex Hebraeorum Cabbala, et Philosophorum veterum mysteriis in primis petitas: quas tamen Romanae sedis judicio subjecit. Inter quas nonnullae fuerunt, quae ab aemulis ejus sunt erroris et haeresios accusatae, et a Papa, ad eorum instantiam, damnatae. Quare a spiritu disputandi absterritus se castiori Theologiae, Scripturae S. cum textu originali conferendae, et veritati contra Judaeos et Muhammedanos tuendae, tradidit. Opera, in unum collecta, haud una vice lucem adspexerunt in Fol. Vitam vero ejus conscripsit nepos ejus ex fratre Johannes Franciscus Picus.

§. CCCXCVIII. Duo huic Scriptorum catalogo subjungendi restant, alter Platonicae Philosophiae in Occidente instaurator, alter celebris Scholasticae Theologiae cultor, Prior est *Marsilius Ficinus*, Florentinus, apud Laurentium et Cosmum Medicaeos in gratia, et ab iis canonicatu Flo-

rentiae, annuoque ſtipendio, donatus; defunctus a. 1499. Huic viro variorum ſcriptorum Graecorum, ut Platonis, Plotini, Speuſippi, Xenocratis, et aliorum, verſiones debemus; eſt quoque ejus inſignis libellus de *Religione Chriſtiana*, ne epiſtolas et alia opera, ut de *inmortalitate animarum*, in Epiſt. Pauli ad Romanos, et alia, memorem. De vita, moribus, et ſcriptis, ejus legi meretur Schelhorn amoenit. Litter. tom. I., qui inſignem abuſum Scripturae S. dictorum, quae adulatorie ſaepe ad alios adplicuit, non neglexit notare, ut et ſuperſtitionem ejus circa ſtellas; licet ipſum a Magia pronunciet liberum. Alter, cujus memini, eſt *Gabriel Biel*, Spirenſis: cujus conſilio in Academia Tubingenſi fundanda a. 1477. uſus eſt Eberhardus Comes, et Dux Wurtenburgicus; ubi etiam Theologiam docuit et Philoſophiam, dein Ordini *Fratrum de communi vita*, ſeu Caputianorum, adſcriptus. Obiit a. 1495. De vita et ſcriptis ejus fuſe egit Jac. Moſerus in vitis Profeſſorum Theologiae Tubingenſium. Scripſit in libros ſententiarum, varios ſermones, hiſtoriam paſſionis Chriſti, defenſorium de obedientia ſedis Pontificiae contra aemulos ſuos. Ingens fuit Ariſtotelis admirator, cujus quoque *ethica* aliquando publicis concionibus expoſuit loco Scripturae S.

§. CCCXCIX. Ex dictis facile eluceſcit, ſtudia jam hoc ſeculo incepiſſe felicius excoli, et per Europam ubique inſtaurari. Quo etiam facit Scholarum et Academiarum novarum erectio, ac Bibliothecarum. Conditae autem ſunt Academiae Lipſienſis a. 1409., Roſtochienſis a. 1419., Lovanienſis a. 1427., Gripſwaldenſis a. 1457., Baſileenſis a. 1460., Ingolſtadienſis a. 1472., Tubingenſis a. 1477. Moguntina, et aliae. Nova quoque collegia, ut Salmanticae collegium Bartholomaei, et Oxonii varia ſunt exorta. Bibliothecae quoque fundari coeperunt, et libri colligi, uti Vaticana a Nicolao V. et Archipalatina Heidelbergenſis, quae poſtea, in urbis et Academiae direptione, donata eſt Leoni X. a Duce Bavariae, ac Romam tranſlata. Vid. Hottingerus

 Hiſt.

Hiſt. Ecclеſ. ſec. XV., praeterea Medicaea, et Vindobonenſis. Denique multum contulit ad ſtudia promovenda *ars typographica*, hoc demum ſeculo adinventa, qua, ut verbis Polydori Vergil. *de rerum inventoribus* l. II. utar, *tantum uno die ab uno homine litterarum inprimitur, quantum vix toto anno a pluribus ſcribi poſſet;* praeterea longe facilius per orbem diſſeminantur ſcripta. In uſu quidem aliquot ante ſeculis fuit ſpecies quaedam typographiae apud Chinenſes, ſed ab hac longe diverſa, cum illa non ex typis, ex ſingulis elementis combinatis, conſtaret, ſed ex integra facie ligno inſculpta, ad modum ſcripturae cupro inſculptae. Artem vero typographicam Europaeam ab a. 1440. incepiſſe introduci, eamque uſque ad a. 1457. fuiſſe perfectam, conſtat quidem, ſed de inventore, et inventionis loco, diſputatur. Secundum H. Junium, in *Batavia* S., et Chronographos Belgas, laus illa debetur Harlemo, et *Laurentio Johannis Coſtero*, Harlemenſi, cum genero ejus Toma Pieterſen; a quibus forte fortuna characteres primo in cortice arborum expreſſi ſunt, unde occaſio artis inveniendae fuit nata. a. 1430. Sed ex aliorum opinione inventor fuit *Johannes Guttenberg* Argentinenſis, qui Moguntiam delatus primum ibi erexit praelum, adjuvante et perficiente *Johanne Fauſto*, Moguntino, ut Trithemius refert in Chronico, praeter alios. A quo Fauſti invento derivat Dürrius in epiſtola ad Fükrerum, apud Schelhorn amoenit. Litter. tom. V., fabulam artis magicae, ac diabolicae, quae in legenda Fauſti narratur. Denique Coſterum illum primum inveniſſe figuras, et verba in tabulas ligneas incidendi, chartaeque inprimendi modum, ſed Guttenbergium, inde arrepta anſa, typos ſeparatos, et rationem verae artis typographicae, quae nunc obtinet, ex Uffenbachio docet Schelhorn amoenit. litter. tom. IX. Qua de re quicquid ſit, hujus enim non eſt loci eam rem fuſius et adcuratius diſcutiendi, quod praeclare nuper praeſtitit eruditus Vir Meerman in *Originibus Typographicis*, qui Harlemenſibus primam artis inventionem competere luculenter evicit:

evicit: ſuffecerit notaſſe, artem illam brevi poſt fuiſſe per Conradum et Arnoldum, ſedente Paulo II. Papa, qui ab a. 1464. coepit ſedere, ex Germania Romam tranſlatam. Vid. Mabillon. itin. Ital. p. 64. Plura qui de artis inventione, perfectione, et propagatione per orbem velit, adeat Mich. Mattaire in *annalibus tygographiae.*

§. CCCC. Quod vero ad Theologica adtinet ſtudia, etſi opinionibus receptis paſſim inhaeſerint, ſuaſque doctrinas Eccleſiae Romanae ſubjecerint; fuerunt nihilominus, qui antiquam methodum ex Scriptura S. et Patribus hauriendi dogmata renovarunt, inutilibus quoque ac ſpinoſis quaeſtionibus reſectis. Quales fuerunt Johannes Gerſon, Petrus Alliacus, Nicolaus Clemangis, Johannes de Weſalia, et Weſſelus, alii. Nec defuerunt, qui Reformationi, ſeculo ſequente exortae, praeluſerunt, ejuſque fundamenta jecerunt, ut Weſſelus, Hieronymus Savanorala, alii, ſupra laudati. Platonicam quidem Philoſophiam introducere coepit Marcelius Ficinus, ſed maximam partem incubuerunt Theologiae Scholaſticae, quae primas defert Ariſtoteli, nec non quaeſtiones, tunc agitatas, tractarunt. Viguerunt denique inter Scholaſticos, Nominales et Reales, Scotiſtas et Occamiſtas, acerrimae contentiones, et natae ſunt aliae inter Theologos et Monachos, partim ad cultum, partim ad regimen et diſciplinam pertinentes: de quibus commodius ſuis locis agitur.

## DOCTRINA ET CULTUS.

§. CCCCI. Cum in doctrina nihil ſit innovatum, et quae ejus fuerint capita, quibuſve modis vindicata, et defenſa, facile ex Alphonſi Spirae *fortalitio fidei*, Gerſonis operibus, ac Dupinii *Gerſonianis*, peti poſſit: ad *cultum* religioſum, qui nonnulla offert ſingularia, mox pergo. Honor et cultus Mariae Virginis ingentia cepit incrementa, per inmaculatam ejus conceptionem hoc ſeculo ſolenniter

 defini-

definitam, aliasque superstitiones, et nova festa. Inmaculata conceptio Mariae sine peccato originali definita quidem est in Synodo Basileensi, sed, sicut antea fuerunt, ita postea non cessarunt, circa eam acerrimae lites. Disceptatum de ea fuit seculo praecedente, Johannes Scotus favit, sed meticulose, inmaculatae conceptioni, ut suo loco notavi. Cum vero Johannes de Montesono, Hispanus, Ordinis Dominicani, et Professor Theologiae Parisiensis, ei contradixisset, propositio ejus fuit, una cum aliis ejus thesibus, damnata a Facultate Parisiensi a. 1387., licet, quod nonnulli tradunt, falsum sit, Facultatem jam tunc ab alumnis suis exegisse juramentum, ad inmaculatam conceptionem propugnandam; introductum enim illud demum est post Synodum Basileensem. De quo supra jam monui. Synodus vero illa, sess. *decima tertia*, opinionem de inmaculata conceptione Mariae, absque peccato originali, ejusque inmunitate a peccato actuali, sancivit, tanquam *piam*, et *cultui Ecclesiastico*, *fidei Catholicae*, *rectae rationi*, *et Sacrae Scripturae consonam*, adeoque ab omnibus Catholicis adprobandam et tenendam, addito doctrinae contrariae interdicto. Nec tamen lites inter Franciscanos et Dominicanos cessarunt, sub Sixto IV. praecipue agitatae, quorum illi Virginem de Spiritu esse conceptam tenebant, hi vero, peccati maculam in ejus conceptu urserunt: unde mutuae haeresios et sacrilegii accusationes sunt ortae. Favit quidem Sixtus IV. Franciscanis, quorum Ordini fuerat deditus, sed, neutram sententiam definire aut reprobare autoritate Apostolica ausus, liberam reliquit disputationem, modo ab haeresios accusatione abstineretur. Vetuit enim, edito diplomate *grave nimis* a. 1483., eas accusationes sub excommunicatione. Manserunt itaque disputationes, et Ecclesiae fuerunt divisae. Franciscanis variae accesserunt Academiae, uti Parisiensis, formula quoque sacramenti hanc in rem introducta, Coloniensis, et Tubingensis; totus praeterea fere Clerus cum Praelatis. Imo Avenionense concilium, Praeside Petro de Fuxo, Cardinali,

a. 1457.

a. 1457. eam ſententiam confirmavit, et contrariam ſub gravi cenſura prohibuit doceri. Perſtiterunt nihilominus Domínicani in maculata conceptione defendenda; ſicut Johannes Viridis, concionator apud Rothomagenſes, adhuc fecit a. 1497. Quid? quod ſequente ſeculo nec Synodus Tridentina, nec Papae, ſententiam protulerint definitivam. Ceterum hiſtoriam quaeſtionis de hac inmaculata conceptione per varia ſecula, uſque ad XVII*mum*, fuſe enarravit Heideggerus Diſſert. Select. tom. I., qui etiam omnes Paparum hac ſuper re editas *bullas* recenſuit.

§. CCCCII. Ad Mariae honorem etiam referendum eſt, cum quod Concionatores concioni praemittere coeperint ſalutationem Angelicam *ave Maria*, ut patet ex Vincentio Ferrerio a. 1410. Vid. etiam Ferrarius de *ritu concionum* l. 1., tum concilium Baſileenſe duo confirmaverit feſta, unum *viſitationis* Mariae, cum Eliſabethae domum ingreſſa eſt, alterum *inmaculatae conceptionis*, cum officiis propriis et Octavis, corroborante Sixto IV. Nota quidem antea fuerant haec feſta, ut ſuis locis notavi, ſed non generaliter recepta. Denique huc facit *confraternitas roſarii*, ab Alano de Rupe, Dominicano, in conventu ſuo Swollenſi defuncto a. 1474., inſtituta, cujus ſingularis devotio ſita fuit in frequente repetitione ſalutationis Angelicae, ſingulis fratribus qualibet hebdomade ter recitantibus *roſarium*, quod comprehendebat orationem Dominicam quinquies, et ſalutationem Angelicam, *ave Maria*, quinquagies, ad numerum tot globulorum ex filo, vel chorda, pendentium, repetitam. De quo ad ſuperiora ſecula dixi. Confirmata autem haec mira devotio hoc ſeculo novis fuit, ut fertur, adparitionibus, ſimul renovata, quippe jam antea uſitata. Sixtus IV. praeterea bullis et indulgentiis fraternitatem comprobavit a. 1489. Scripſit denique Johannes de Lanſhem, Wormacienſis Auguſtinianus, librum a. 1495. de *inſtitutione* et *utilitate roſarii* B. Virginis, ſuperſtitionis et fabularum pleniſſimum.

§. CCCCIII. Genium ſeculi manifeſtant quoque lites circa

cultus objecta, et reliquias, magnis animorum motibus agitatae, paucis enarrandae. Quaestio de sanguine Christi, in triduo passionis in terra sparso, num latriae sit objectum nec ne? Dominicanos et Franciscanos exercuit, Ecclesiam in partes scidit, coram Pio II. Papa ab utriusque partis principibus viris ventilata, sed indecisa relicta a Papa, licet ad Dominicanorum sententiam inclinato; tantum silentium utrique parti indixit, diplomate a. 1564. promulgato, quo inter alia declaravit, utriusque partis opinionem tolerandam esse, *donec Christi in hac terra Vicarius tempus et occasionem rem determinandi fuerit nactus*. Quod nondum contigit. Tenebant Dominicani, unionem hypostaticam inter sanguinem fusum in terram, et Christum, manere, adeoque cultu *latriae* esse adorandum: quod utrumque negarunt Franciscani. Quaestionis ansam praebuit Jacobus Marchianus, Minorita, et Professor Theologiae apud Brixienses, qui in sermone ad populum negaverat, illam sanguinis fusi partem cum Christo mansisse unitam, et latriae fuisse objectum. Quod aegerrime tulit haereticae pravitatis Inquisitor, Dominicani Ordinis, et haeresios accusavit. Vid. Bzovius, qui utriusque partis argumenta profert, nostra non digna adtentione. Ex hujus seculi scriptoribus legendus est Gobelinus Persona l. XI.

§. CCCCIV. Ejusdem farinae et aliae sunt lites circa reliquias. Missa quaestione, ex superiorae nata, de *praeputio* Christi, apud Lateranum et alibi adservato, latriae objecto, nec ne? acerrimae memorandae sunt contentiones de corpore Lucae Euangelistae, et annulo pronubo Mariae Virginis. De quibus vid. Hottingerus l. cit. Prior quaestio fuit, essetne *corpus S. Lucae* apud Patavinos, in monasterio S. Justinae reconditum, eo CPoli delatum, an quod nuper Jaieza, Bosniae metropoli, ab Hungariae Rege Matthia Turcis erepta a. 1463. esset Venetias translatum a Franciscanis, et Mauro Duci oblatum? Ingente studio haec controversia fuit inter Venetos et Patavinos agitata, et

utrinque

utrinque multae rationes ſunt in medium adductae, quae fraudes et inpoſturas circa reliquias detegunt. Manſit vero penes Patavinos haec praerogativa, a Pio II. confirmata, et Venetis eſt ſilentium inpoſitum. Vid. Bzovius a. 1463.

§. CCCCV. Altera contentio verſata fuit circa *annulum pronubum* Mariae, quem Joſephus ſponſus ei donaſſet, et Peruſinos et Cluſinos, vel Senenſes ſecum diviſit. Cujus hiſtoriam ex Joh. Bapt. Lauro Peruſino, qui commentarium de hoc annulo ſcripſit, prolixe narrat Rivetus in *Apologia* pro *Maria Virgine* l. II. Annulum, ut ejus ſummam ſtrictim tradam, ſive ex Amethyſto, ſive ex Onyche, tornatum, de quo ipſe Laurus, qui eum vidit, dubitat, cum diu, ſecundum ipſius narrationem, latuerit, uſque ad tempus Gregorii V. a. 998., gemmarius quidam Cluſinus Romae ab alio gemmario, qui Hieroſolyma Romam venerat, dono accepit; et cum eum flocci faceret, Cluſinus ab altero gemmario illo audivit, eo annulo pronubo ſponſum Joſephum Mariae digitum oppignoraſſe, Cluſinus vero gemmarius Rainerius, hoc enim ejus fuit nomen, domum redux annulum occultavit, uſque ad mortem filii decennis: qui, dum funus ejus duceretur, e feretro ſurgens, Patrem contemtae religionis Mariae juſſu increpuit, et annulum oſtentare praecepit. Quod tunc inter ingentes plauſus factum eſt, annulus etiam miraculo eſt celebratus. Sed, poſtquam in poteſtate fuiſſet Cluſinorum per annos 484., furto ablatus eſt ab aliquo Wintero, Franciſcano, venitque ea occaſione, non ſine miraculo, in manus Peruſinorum: et hinc acerrima orta eſt concertatio inter Cluſinos, quibus Senenſes patrocinati ſunt, ac Peruſinos, uſque fere ad bellum; donec Peruſinis fuerit ab aula Pontificia ſub Innocentio VIII. in perpetuam poſſeſſionem adjudicatus.

§. CCCCVI. Succedat controverſia, quae et magnos peperit motus, inter Dominicanos et Franciſcanos de ſtigmatibus crucifixi Chriſti, inpreſſis Catharinae Senenſi, de qua ſupra dixi. Facti veritatem urſerunt Dominicani, Fran-

ciscani vero, ut hanc praerogativam soli Francisco suo vindicarent, inficias iverunt. Fundarunt autem sese Dominicani in Raymundo Capuano, Catharinae confessionario, et historico, nec non Pii II. Papae testimonio, qui eam Sanctis adscripsit. Sed Minoritae a Sixto IV. interdictum de virgine cum stigmatibus pingenda inpetrarunt; quod tamen postea sustulit a. 1483 Dein Clemens VIII. utrique parti indixit a. 1599. silentium. Urbanus vero VIII. Dominicanos defendit, et stigmata illa confirmavit; qua ratione, finis huic superstitiosae liti est, ad incredibile Senensium gaudium, inpositus, uti narrat Franc. Boninsignius, in tractatu Italico: sub hoc titulo: *triumphus stigmatum Catharinae Senensis.* Fuit porro *reliquiarum* studium ferventissimum, sive de novo fuerint inventae, sive alio translatae. De quo consulendi sunt Baronii continuatores. Suffecerit notasse. 1. *titulum* crucis Dominicae fuisse Romae inventum cum inscriptione sub Innocentio VIII. 2. *Ferrum* lanceae, quo Christi latus fuit perfossum, eidem Papae a Bajazethe II. oblatum a. 1492. Quod tamen idem adservatur Noribergae inter Caesarea insignia, imo etiam Parisiis, donatum Ludovico IX. De Sanctorum canonizationibus etiam verbo absolvam. Inter frequentes hoc seculo memorabiles sunt, Bernardini Senensis per Nicolaum V., Catharinae Senensis per Pium II., Vincentii Ferrerii per Calixtum III., Bonaventurae per Sixtum IV., Leopoldi Austriaci per Innocentium VIII. Alia exempla oppido multa lubens praetereo.

§. CCCCVII. Ad *ritus* vero religiosos quod adtinet, notatu digna est *calicis* in eucharistia subtractio Laicis, solenni concilii Constantiensis decreto sess. XIII. cujus summa habet, *sacrorum canonum auctoritatem, et laudabilem ac adprobatam Ecclesiae consuetudinem servare, quod a conficientibus sub utraque specie, et Laicis tantum sub specie panis sumatur, ad evitandum aliqua pericula et scandala:* additur, Christum quidem sub utraque specie instituisse, et antiquam etiam observasse Ecclesiam, sed, hoc non obstante, contrarium

rium eſſe tenendum, cum *firmiſſime credendum ſit, integrum Chriſti corpus et ſanguinem, tam ſub ſpecie panis quam vini contineri.* Quo itaque fundamento famoſum hoc decretum unice innixum eſt. Sicut itaque euchariſtiam a jejunis eſſe ſumendam Eccleſia poſtea inſtituit, licet Chriſtus poſt coenam id fecerit, ita, una tantum ſpecie uti licere, cenſuerunt, cum res ſit aeque indifferens, ac alia de tempore et circumſtantiis euchariſtiae, quia Chriſti totum corpus aeque in ſolo pane, ac in pane et vino ſumitur. Concilium dein Baſileenſe ſeſſ. XXX. declaravit, communicantes *non adſtringi ex praecepto Chriſti ad ſuſcipiendum ſub utraque ſpecie, adeoque Eccleſiae decretis et ordinationibus hac parte ſtandum eſſe.* Exſtat vero Johannis de Raguſio oratio, illo in concilio habita, pro communicatione Laicorum ſub una ſpecie, quae nonnulla habet notabilia, et propterea lectu digna eſt: ex. gr. quae de Scriptura S., et regulis eam interpretandi, profert, quod doctrinam de Tranſubſtantiatione fuſius et clarius exponat, denique rationes, quibus communio ſub una ſpecie ſuperſtructa eſt, exhibeat, phraſes ſcilicet Scripturae, quae ſolius panis faciunt mentionem, traditionem veterum, et Eccleſiae autoritatem; quam, quod notandum, latiſſime extendit, et ſummam eſſe contendit in libris divinis declarandis, fide definienda, et ritibus inſtituendis, ac mutandis etc. Ceterum notari meretur, Innocentium VIII., ſecundum Volaterrani Geogr. l. VII. narrationem, permiſiſſe Norvegis, ut ipſi ſacerdotes ſacrificium Miſſae celebrent *ſine vino;* neſcio quam vere, cum nemo ejus meminerit, Pontificii ipſi, quod notandum, illud et ideo in dubium vocant, vel negant, quod Papa *in eo, quod juris Divini eſt, diſpenſare non poteſt.*

§. CCCCVIII. Praeter feſta *viſitationis*, et inmaculatae *conceptionis* Mariae virginis, quod ad circumſtantias *temporum* cultus religioſi pertinet, ſupra memorata, illudque *Joſephi*, ſponſi Mariae, quod Gerſonis zelo erga eum praecipue tribuitur, de quo vid. L'Enfant concil. Piſan. p. II.

 vul-

vulgo censetur hoc seculo institutum festum *Transfigurationis* Christi in monte: sed illud esse antiquius probavit, praeter Baronium not. ad *martyrologium*, Martene de *antiqua disciplina* c. 33. Sed silentio non est involvendum, de nimia festivitatum copia, et vitiis ea occasione committi solitis, jam conquestos fuisse Nicolaum de Clemangiis, in sermone de *novis festivitatibus non* instituendis, et Johannem Gersonem, sermone habito in Synodo Rhemense a. 1408.

## REGIMEN ECCLESIAE.

§. CCCCIX. Clementi VII. mortuo, ut Paparum historiam, quam ad Benedictum XIII. Avenionensem, Bonifacium IX. Romanum, perduxi, pertexam, suffectus est a. 1394. Petrus de Luna, dictus *Benedictus XIII.*, nobilissimo genere in Arragonia natus, Juris utriusque Doctor, et Professor apud Montempessulanum, indeque Cardinalis Diaconus a Gregorio XI. creatus, qui sex Paparum Romanorum, Bonifacii IX., Innocentii VII., Gregorii XII., Alexandri V., Johannis XXIII., et Martini V., fuit aemulus: vixitque, sive Papa, sive Antipapa, usque ad a. 1424.; quando in regno Valentino obiit fere nonagenarius, nec sine veneni suspicione. Antequam Cardinales ad novum eligendum Papam se adcinxerunt, jurarunt singuli, se, si eligerentur, ursuros esse, usque ad *cessionem*, Ecclesiae unitatem: sed nihil minus praestitit Benedictus XIII., ambiguitate juramenti tegens ambitionem: habebat enim illud, Papam esse munere cessurum, si utilitas Ecclesiae exigeret, et maxima Cardinalium pars id necessarium judicaret. Dedit quidem in principio luculentam spem animi ad unionem inclinati et pacifici, per litteras et colloquia, sed eventus docuit contraria omnia. Inter eos, qui schismati tollendo incubuerunt, celebrem sese praebuit *Johannes de Varcennis*, Doctor Parisiensis, Bonifacii IX. Capellanus, et palatii sacri auditor, cujus hac de re epistolae inter opera Gersonis tom. II. reperiuntur,

tur,

tur, una cum Benedicti responsionibus. Declarat inter alia Johannes, se primum fore, qui eum Paparum, qui se unioni opposuerit, adpellaturus sit *filium satanae*, *Antichristum*, *virum perditionis* etc. cujusque obedientiae sit renunciaturus. In Gallia vero summo adgressi sunt studio exstinguere schisma. In Concilio Nationali, a. 1395. habito Parisiis, jussu Caroli VI., decretum est, post seriam deliberationem, unicum medium esse *cessionem*, ab utroque Papa faciendam: eoque fini missi sunt Legati ad Benedictum, ut ad decreti exsecutionem permoveretur. Sed Papa judicavit, optimum esse unionis medium, ut duo Papae in unum conveniant, eaque de re deliberent; si dissentiant, ut singuli suum jus committant arbitris. Quo responso, editaque eam in rem bulla, dimissis legatis, Duces, universitatis Pariensis membra, Cardinales etiam maximam partem, cessionis decreto inhaerere perrexerunt, Papamque multis instantiis, precibus, et minis, eo compellere conati sunt. Provocarunt, cum apud Papam nihil obtinere possent, ad juramentum, in electione factum, sed Papa primum negavit inpudenter se subscripsisse, dein variis artibus illud elusit. Effundere praeterea in Academiam Parisiensem, cui totum hoc negotium inputavit, coepit indignationem Papalem, sed Academia ad Pontificem ab universali Ecclesia receptum adpellavit, Papa adpellationem declaravit nullam, a se adpellari posse negans; Universitas vero, variis productis rationibus et exemplis, eam defendit. Quo rerum statu Rex Galliarum, missis per Europam legatis, viam cessionis strenue, et cum successu, promovit. Variis enim eo fini habitis conventibus a. 1396., et 1397. ea est admissa et sancita. Inter quos eminet Francofordiensis, ubi quoque ad Bonifacium IX. Romanum decreta est eum in finem legatio, sed qui aeque se alienum demonstravit, ac aemulus ejus.

§. CCCCX. Huc cum res devenisset, regnum Gallicanum, coacto concilio, decretum formavit, quo sese obedientiae Papae totaliter subtraxit a. 1398., exstat apud Dacherium

 in

in Spicileg., et Martene Anecdot. tom. II. Quod concilium et edictum eo notabilius est, quod antiqua Ecclesiae Gallicanae libertas eo fuerit renovata. Secuta hoc exemplum est tota fere Europa, adeo ut utriusque Papae obedientiae sese maximam partem subduxerint Ecclesiae. Ne autem Benedictus evaderet, aut bona consilia redderet irrita, in custodia est, jussu et opera Regis, detentus in aula Avenionensi. Nec tamen defuerunt, quibus obedientiae subtractio displicuit. Inter quos fuit Academia Tolosana, quae hac super re litteras ad Regem dedit, Nicolaus de Clemangiis, qui epist. ad Carolum VI., Francorum Regem, quae XVII. est inter Epistolas a Lydio editas, subtractionem dissuasit, late deducens incommoda, inde Regno et Ecclesiae eventura, et Johannes Gerson, qui tamen decreto, hac de re in Gallia facto, sese submisit, licet medium hoc minus aptum judicaverit tollendo schismati.

§. CCCCXI. Nec meliorem sortem in sua habuit ditione, vel obedientia, *Bonifacius* IX., a 1404. defunctus, qui sese, per Simoniam, tyrannidem, aliaque vitia, reddidit infamem. Beneficiorum nundinationem, quam graphice descripsit Theodoricus Niem, et Gobelinus Persona, non occulte jam, sed palam, exercuit. Primus Annatarum tributum beneficiis sine discrimine inposuit, hac ratione, ut qui beneficium Ecclesiasticum consequeretur dimidium annui proventus persolvere debuerit fisco Apostolico. Quam consuetudinem omnes admiserunt, exceptis Anglis, qui ad Episcopatus restrinxerunt: indulgentiae, eaeque plenariae, ita passim vendebantur, ut jam, narrante Platina, vilesceret clavium et litterarum Apostolicarum autoritas. Jubilaeum ingente quaestu acceleravit, et celebravit a. 1390., repetendum a. 1400. Denique inperium et tyrannidem exercuit in temporalibus et spiritualibus. Magistratus pro nutu creavit in patrimonio Petri, Ludovico Andegavense anathemate percusso, confirmavit Ladislao, Caroli Siciliae regis filio, regnum Neapolitanum. Cum Richardus et Eduardus, Angliae reges,

reges, jus conferendorum beneficiorum ſibi vindicarent, ſe iis fortiter oppoſuit, eorumque leges abrogavit. Columnenſes, qui ipſum, et ditiones ejus, invadebant, et *Benedicti* partes fovebant, acriter perſecutus eſt, declarans, eos, tanquam Majeſtatis reos, puniendos eſſe, omnibus dignitatibus ac bonis privatos. Teſtatur Gobelinus Perſona, nullum fuiſſe Papam, qui tanto uſus eſt in temporalibus dominio. Gaviſus tamen eſt in initio Ruperti Palatini, in locum Wenceſlai depoſiti, in Regem et Inperatorem electi, Papa adprobante, patrocinio; nec voluit propterea Rupertus, qui, ut ſe in throno confirmaret, indigebat ope Papae, conſentire in ſubtractionem, quam Galli urgebant.

§. CCCCXII. Redeamus ad *Benedictum*, quem Avenione in cuſtodia reliquimus detentum. Novo exorto diſſidio inter Principes et Praelatos de ſubtractione obedientiae, et detentione Papae, quam utramque tanquam legitimam defenderunt Dux Burgundiae, Academia Pariſienſis, et Clerus maximam partem, ſed condemnarunt Dux Aurelianenſis, Legati Arragoniae, Academia Toloſana, et alii: nata fuit Papae elabendi occaſio, quam Dux Aurelianenſis praebuit, et praeſtitit Robertus Bracquemontius, nobilis Normannus. Papa liberatus a. 1403. illud mox per litteras ſignificavit Regi Galliae, Principibus, et Academiae, ſimul declaravit, ſe promiſſa, olim facta, ad unionem reſarciendam, eſſe inpleturum. Quando brevi ſecuta eſt reconciliatio Cardinalium et civium Avenionenſium cum Papa, Rex quoque Galliae, et tota Eccleſia obedientiae ejus, redierunt ad obedientiam, ſub his praecipue conditionibus. 1. Scripto declararet Papa, ſe ceſſionem approbaturum, ſi aemulus ſuus idem faciat, aut moriatur, aut ejiciatur. 2. Injuriae ultro citroque factae condonarentur. 3. Confirmaret Papa electiones, conſecrationes, collationes, durante abſtractione factas ab Ordinariis. 4. Intra annum convocaret Synodum totius obedientiae ſuae, ejuſque decreta haberet rata. Quibus acceptis conditionibus, obedientia eſt a Rege et Ec-

clesia Gallicana ipsi restituta, et publice promulgata. Secutus quoque hoc exemplum est Rex Castellae, et omnia videbantur ad pacem spectare: quando infidelitas Benedicti, mors Bonifacii, et novi Papae electio, novam praebuerunt turbarum materiam. Perfidiam mox ostendit, quod tertio articulo contradixerit, absque ut ad meliorem mentem redigi potuerit. Interea animum ab altera parte simulavit pacificum, legatos ad Bonifacium mittendo, qui de pace cum ipso tractarent. Venerunt quidem Legati Romam, a. 1404., et Papae proposuerunt, ut cum Benedicto in unum conveniret locum, de pace acturus: sed aegre id tulit Bonifacius, et, cum Legati duriora adhibuissent verba, adeo exarsit, ut, calculi acerbo accedente dolore, brevi exspiraverit. Nuncii Benedicti non tantum nequicquam petierunt, ut a novi Papae electione abstinerent Cardinales, sed et in custodiam dati sunt. Accesserunt etiam mox, ad novam electionem, praestito prius juramento, ut quisquis eligeretur se sponte abdicaret, si alterius obedientiae Pontifex idem faceret, crearuntque Papam Romanum Cosmatum Melioratum, mox dictum Innocentium VII.

§. CCCCXIII. *Innocentius* fuit Sulmonensis, doctrina, experientia, et vitae integritate clarus: sed statim ac electus esset Roma in horribilem praecipitata est confusionem per Gibellinos, quorum Duces erant Columnenses, et Guelfos, quorum Principes erant Ursini: illis, novae electionis arrepta occasione, populo libertatem et dominium reddere, his vero Papae et Ecclesiae reservare, conantibus. Tumultus concitavit, et fovit, maxime Ladislaus, Rex Neapolitanus, sub spe inperii Romae consequendi. Dici nequit, quantae rapinae et caedes fuerint commissae, quamque omnia per intestinum hoc bellum turbata. Exacerbavit maxime Romanorum animos inmane Ludovici de Meliorati, nepotis Papae, facinus, quo undecim Primorum Romae, e palatio Papae reversos, crudeliter trucidavit propria manu, et nudos ejecit fenestris. Papa vero Roma discedere coactus aufugit

fugit Viterbium, ubi ad a. 1406. delituit, donec pace facta est a Romanis receptus. Romam redux fulmen in Columnenses vibravit, et Ladislaum, quocum tamen, poenitentiam demonstrante, mox est reconciliatus. Vid. Aretinus, et Theodoricus Niem. Ceterum studiorum egit patronum, Romae erexit Academiam, et in quavis arte instituit Professores. Indixit quoque sacras expeditiones adversus Tamerlanem, ad petitionem Emmanuelis, Graecorum Inperatoris; testibus litteris ejus ad ipsum apud Raynaldum a. 1405. Sed brevi post apoplexia est e medio sublatus a. 1406.

§. CCCCXIV. Initio Pontificatus, ut schismatis historiam resumam, ingens pacis studium praetulit Innocentius, magnam ejus concitavit spem; uti ex litteris, quibus electionem suam per Europam publicavit, elucescit, inprimis ex iis, quas ad Universitatem Parisiensem dedit, apud Dacherium in Spicilegio. Sed quam simulate egerit, mox palam fecit, cum quod pacem noluerit, nisi Ladislao Neapolitano regnum Siciliae adjudicetur contra Ludovicum Andegavensem, quam conditionem Regi Galliae displicituram esse probe noverat, tum Legatis Benedicti, de unione cum ipso tractaturis, negaverit salvum conductum. Benedictus scilicet, ut pacis studium praeferret, et mundo inponeret, iter meditatus in Italiam, ut aemulum suum conveniat, decimis quoque eo fini a Clero totius Galliae collectis, venit Genuam, litterisque ad Innocentium missis salvum conductum postulavit pro nunciis, ad ipsum ablegandis. Quod cum negaret Innocentius, fraudem scilicet suspicatus, eum tanquam pacis osorem traduxit Benedictus. Sed se inter alia eo defendit Innocentius, quod sibi, legitimo Papae, vix cum Benedicto, utpote intruso, agere liceat. Quo sibi haud levem inussit notam. Vid. Theodoricus Niem. Novi quoque mox contra Benedictum, qui animum a sincero pacis studio, quicquid praetenderet, alienum omnibus adprobavit, motus exorti sunt, et Gallia sese obedientiae ejus denuo subtraxit. Initium

fecit Academia Parisiensis, quae a Rege postulavit, ut 1. Academiae Tolosanae epistola contra subtractionem, quatuor ab hinc annis scripta, damnaretur, tanquam Regi et Ecclesiae Gallicanae injuriosa. 2. Ecclesia Gallicana ab exactionibus Papae liberetur. 3. Subtractio obedientiae renovaretur. Senatus Parisiensis Curia, ad quam haec causa fuit remissa, cum prima duo capita adprobasset, tertium ad Synodum Nationalem Galliae ablegasset, coactus est Praelatorum conventus, et tota causa per varios Oratores discussa: quando decretum formatum est, ut renunciaretur Benedicti obedientiae, Ecclesia Gallicana interim suis regeretur legibus, et antiquis frueretur libertatibus; denique opus esse concilio Generali ad Ecclesiam in Capite et membris reformandam. Vid. Johannes Juvenalis de Ursinis in historia Caroli VI., et historia Universitatis Parisiensis tom. V. Acciderunt haec a. 1406.

§. CCCCXV. Sedente hoc concilio defunctus est Innocentius, et in ejus locum mox electus est Angelus Corario, nobilis Venetus, Cardinalis Presbyter, adpellatus *Gregorius* XII., qui et ante electionem cum reliquis Cardinalibus juraverat solenniter, se cessurum promte et simpliciter, si vel Antipapa moreretur, aut cederet, et utriusque obedientiae Cardinales se jungerent, porro per omnes significaturum Ecclesias, mox post electionem, se ad cessionem, aut quodvis aliud medium commodum schismatis finiendi, esse paratum. Vid. Niem l. III. Erat autem jam octoginta annorum, simul sanctitatis, lenitatis, ac prudentiae, laude conspicuus: teste Leonardo Aretino, et Antonino. Scriptis mox litteris ad Regem Galliae, ad Benedictum, et Cardinales Avenionenses, se ad unionem, vel cessionem, modo Benedictus idem faceret, et utriusque partis Cardinales in unum convenirent, paratissimum esse professus est: quod idem in litteris responsoriis testatus est ipse Benedictus. Exstant omnes litterae apud Raynald., ubi etiam reperiuntur Regis Christianissimi litterae ad Benedictum, sicut et in Spicilegio

cilegio Dacheriano ad Gregorium et Cardinales, quibus utrumque Papam ſerio eſt ad promiſſa inplenda adhortatus. Sed omnia haec promiſſa fuerunt illuſoria. Omnia quidem fecit Rex ad unionem promovendam, edictum ſubtractionis aliquandiu preſſit, honorificos miſit ad Benedictum Legatos, et dein ad Gregorium; ſed praeter ambigua reſponſa nihil fuit ab ipſis relatum. Imo Benedictus, publicata *conſtitutione* in Spicilegio Dacheriano obvia, omnibus cujuſcunque Ordinis et dignitatis, qui aut a Papa adpellarent, vel ab ejus obedientia recederent, majorem denunciavit excommunicationem et exautorationem. Quo eodem tempore in publicum eſt miſſum Parlamenti Galliae arreſtum, de exactionibus et annatis per Galliam abolendis, ipſum etiam ſubtractionis edictum, huc uſque ſub ſpecie pacis occultatum, conſtitutio denique Benedicti eſt lacerata; adhaerentes Papae partim ſunt in carcerem conjecti, partim publice notati ignominia. Praeterea, concilio Nationali coacto, privatio beneficiorum et dignitatum decreta eſt in quoſcunque fautores et defenſores *Petri de Luna*, velut haeretici, et ab Eccleſia ſeparati. Denique Gregorii quoque Cardinales, cum ſe deludi, et indigne tractari, viderent, tum quod Gregorius novos Cardinales, ſe invitis, contra promiſſum ejus, creaſſet, tum prohibuiſſet, ne abſque ejus conſenſu, Luca exirent, vel inter ſe convenirent, aut cum Rege Galliae, ejuſve Oratoribus, ac Benedicti Legatis, colloquerentur, ſeſe obedientiae Gregorii ſubduxerunt, et Piſas receſſerunt, rationibus ejus facti ſui per litteras encyclicas, quaquaverſum miſſas, datis; denique, ut ſe contra minas Papae redderent tutos, adpellarunt ad concilium Generale, et legitimum Papam. Traduxerunt quoque publico ſcripto, quod Theodoricus Niem conſervavit, Gregorium, tanquam haereticum, ſchiſmaticum, praecurſorem Antichriſti, ſceleratum, perfidum, ebrioſum, ſanguinolentum, et publicae pacis perturbatorem.

§. CCCCXVI. Hac ſubtractione ab utriuſque Papae obe-

 dientia

dientia facta, miſſae ſunt utrinque ad omnes Eccleſias litterae, eo tendentes, ut idem facerent; viam quoque utriusque partis Cardinales, ſecum uniti, et in unum coacti, ſtraverunt ad Concilium Piſanum: quod Piſae a. 1409. celebrandum indixerunt. Utrumque contendentem ſcriptis litteris invitarunt ad concilium, ſi vero adeſſe recuſarent, nihilominus pro genuino concilio Oecumenico eſſe habendum, ejuſque decretis ſtandum, decreverunt. Praeterea quoque ſuae obedientiae Praelatos convocarunt ad Synodum, et Regum ac Principum inplorarunt auxilium. Litterae Cardinalium hanc in rem editae ſunt a Dacherio in Spicilegio. Ceterum, quod notatu dignum eſt, contendunt his in litteris, 1. Eccleſiam per hoc ſchiſma in horrendam eſſe conjectam confuſionem. 2. Papas nullo modo ad pacem ineundam potuiſſe adduci. 3. Utrumque ſe demonſtraſſe ſchiſmaticum, perjurum, haereticum: adeoque 4. hoc in rerum ſtatu jus convocandi Synodum, et in ea praeſidendi, eſſe ad Cardinales devolutum. Denique 5. addiderunt, concilia, ab utroque Papa convocata, ſchiſmati exſtinguendo eſſe inepta, nec pro Generalibus habenda. Indixerunt nimirum Synodos Gregorius et Benedictus, ille in Aquleienſi provincia, hic Perpinianam. Quae poſterior, a. 1408. habita, licet frequens, fuiſſet frequentior, niſi ad eam per Galliam aditus fuiſſet prohibitus, et actu interclusus: celebrata nihilominus eſt adeo ſolenniter, acſi eſſet Oecumenica. Circa medium vero unionis, cum valde ſecum diſſentirent in Synodo, alii enim, ut mox Piſam cum litteris abdicationis mitteretur, volebant, alii procraſtinationem eligebant, dilapſa fere eſt, octodecim tantum Praeſulibus manentibus, qui Benedictum ad viam ceſſionis conati ſunt permovere; ſed Papa, licet ſe ab ea demonſtraverit haud alienum, adſumere nondum voluit. Legatos quidem Piſam miſit Benedictus, ſed qui aegre eo venerunt, in itinere juſſu Regis detenti, donec, interceſſione Regis Arragoniae, fuerint cum ſalvo conductu dimiſſi: interea, Piſis vix a periculo mortis tuti,

tuti, clam se subduxerunt. Vid. Bonifacius Ferrerius Carthusianus, in tractatu pro *defensione Benedicti*, in thesauro Anecdot. Martene, tom. II., sed nimis addictus Papae, quocum historia conciliorum Hispaniae Cardinalis D'Aguiere conferenda est. Gregorius vero nusquam invenire potuit locum pro concilio, tota Italia fere se ei opponente, omniumque in votis existente Pisano concilio.

§. CCCCXVII. Omnibus itaque rebus ad concilium habendum paratis, celebratum est Pisis, loco aptissimo, in Hetruria, a. 1409. Convocatum est a Cardinalibus utriusque obedientiae, consensu Regum et Principum totius fere Europae, excepto Ruperto Inperatore, qui Gregorio adhaerebat. Petiit, missis legatis, ejus dilationem, propositis variis difficultatibus, quae quarta sessione sunt discussae. Interfuerunt, praeter Legatos Regum et Principum, Cardinales viginti duo, Patriarchae quatuor, Archiepiscopi viginti quatuor, Episcopi 182, partim ipsi, partim per deputatos, Abbates magno numero, etiam Academiarum deputati, Doctores, et alii. Praesedit Cardinalis Pictaviensis, utriusque collegii Decanus, et viginti una sessionibus est absoluta; acta integriora luci exposuit D'Acherius in Spicileg. tom. I. Decretum est 1. utrumque Papam, Benedictum et Gregorium, Papatu excidisse, frustra contranitentibus Legatis Ruperti Bavariae, qui Rex Romanorum a multis agnoscebatur; qui contendebant, concilium non esse legitimum, a Papa quippe non coactum, aut adprobatum, judices non esse competentes, quia Papa erant inferiores, et ejus adversarii, qui obedientiae ejus jam ante nuncium miserant. etc. 2. Cardinales, aliosque, qui Paparum partes sectabantur, esse exautorandos. 3. Novum esse eligendum Papam; qui et stante Synodo electus est Alexander. V., de quo mox. 4. Papam electum omnia Synodi acta habiturum rata, quod et fecit, nec dissoluturum Synodum, nisi reformatio Ecclesiae in Capite et membris esset peracta. Quod tamen posterius est a Papa dilatum ad sequentem Synodum, trien-

rio post celebrandam. Sententia vero depositionis Paparum, quod observari meretur, habet, eos esse notorios schismaticos, et haereticos, perjuros, Ecclesiae scandala, multisque criminibus aliis infames, adeoque Papatu prorsus indignos.

§. CCCCXVIII Interea, cum Synodus Pisana ad finem vergeret, conciliabulum aliquod congregavit Gregorius *Austriae* in provincia Aquileiensi a. 1409., adpellavit Oecumenicum concilium, quia a Papa erat indictum, et omnes ad id invitatae Ecclesiae erant. In quo decessorum electiones sunt canonicae, ac legitimae, Benedicti vero et Alexandri nullae, temerariae, injustae, et sacrilegae declaratae; et in Cardinales, qui ab ipso defecerant, lata est exauctorationis sententia. Vid. Raynaldus. Quo facinore nihil aliud effecit, quam quod se risui exposuerit Papa, ac persecutioni; adeo ut sese clam debuerit subducere, nec in sua retinuerit obedientia, praeter pauca Italiae et Germaniae loca. Benedicto autem Hispania, Scotia, et paucae aliae regiones parebant, reliquae Christiani orbis partes agnoverunt *Alexandrum* V., antea Petrum Philargum, vulgo de Candia, oppido Papiensis territorii, ut probabile est: variant enim autores. Fuit autem Minorita, Parisiensis Doctor, et dein Archiepiscopus Mediolanensis, ac Cardinalis: vir probatae virtutis et devotionis, liberalis praeterea ad profusionem usque: ita ut dicere soleret, se *divitem fuisse Episcopum, pauperem Cardinalem, et mendicum Pontificem*. Eos autem, qui per nefas corradebant aurum, adpellavit *raptores*, qui nemini dabant *lucifugas*, qui indignis *lapidatores*. Anathemati subjecit Ladislaum, Regem Neapolitanum, qui Romam tyrannice tenebat, et Ludovico Andegavensi favit. Denique in religiosos mendicantes, edita constitutione, nimia contulit privilegia, quibus uti noluerunt Praedicatores, reclamante etiam Academia Parisiensi, sed quibus superbierunt Minores, nec iis renunciare voluerunt, propterea edicto regio repressi.

§. CCCCXIX. Tantum abest, ut schisma per concilium Pisanum fuerit e medio sublatum, ut gravius fuerit factum, et Ecclesia triceps; nec communem meruit Synodus adplausum, sed disputationum praebuit materiam. Johannes Gerson quidem defendit, scripto tractatu de *auferibilitate Papae ab Ecclesia*: sed alii, haud exiguo numero, se ei opposuerunt. Bonifacius Ferrerius, cujus supra feci mentionem, traduxit quoque tanquam conciliabulum haereticum, profanum, maledictum, et diabolicum: exstat ille tractatus in Anecdot. Martene tom. I. Pro legitimo non agnovit Antoninus in Chron. p. III., nec Theodoricus Urias, autor historiae concilii Constantiensis, qui hoc tempore vixit, nec Nicolaus Clemangis in tractatu super *materia concilii Generalis*. Rationes praecipue fuerunt 1. quod a Papa non fuerit convocata, aut confirmata, Synodus 2. Papa non possit a Synodo judicari 3. Antipapam, adeoque illegitimum, constituerit 4. Schisma non fuerit ablatum, quin auctum. Quae rationes quanti valeant, facile dijudicatur.

§ CCCCXX. Alexandro, ut in historia pergam, post decem menses, nec sine suspicione veneni, a successore ejus procurati, mortuo, succeffit Balthasar Cossa, Neapolitanus, Cardinalis Presbyter, a cujus ore totus pependerat Alexander, dictus *Johannes* XXIII. Electio ejus minime fuit libera, sed Cardinales partim pecunia fuerunt corrupti, partim vi et metu coacti: ut probat L'Enfant *hist. concilii Pisani* p. II. Auctor vero hujus temporis, Philippus Bergomensis, qui *supplementum* dedit *Chronicorum*, refert, Cardinales, secum dissentientes, jus eligendi concessisse Johanni, ipsumque, sumta, et sibi inposita, chlamyde, dixisse: *ego sum Papa*: cui Cardinales contradicere non fuerunt ausi. Vir fuit, judicio historicorum Leon. Aretini, Theodorici Niem, et Antonini, *in temporalibus quidem magnus, sed in Spiritualibus nullus omnino, atque ineptus*. Imo Niem eum depingit: ut *monstrum avaritiae, ambitionis, crudelitatis, injustitiae*, et *horrendae inpudicitatis*. Ruperto Bavaro mortuo,

tuo, commendavit ad inperium Sigismundum, Hungariae Regem, Ludovicum vero Andegavensem et Paulum Ursinum exstimulavit in Regem Ladislaum, Gregorii fautorem. Unde bellum inter eos ortum, initio infaustum Ladislao, magna quippe clade fuso exercitu ejus, dein, cum Ludovicus in Gallias esset reversus, et Ladislaus animos viresque resumsisset, Papa in eum conscripsit exercitum Cruciatum, et anathema vibravit, quo territus pacem petiit, seque Papae subjecit, relicto Gregorio, qui ad incitas tunc redactus aufugit Riminum. Sed mox, in Papam rebellans, Romam, aliasque ditionis Ecclesiasticae urbes, occupavit; Papa vero, fuga sibi consulens, venit Florentiam, et Legatos ad Sigismundum misit, ut auxilium contra Ladislaum inpetraret, simul de concilio, ejusque loco, ageret. Interea, mortuo Ladislao, Papa, ab eo metu liberatus, animum ad concilium, ex Pisanae Synodi decreto habendum, adpulit, loco, quem Sigismundus elegerat, constituto Constantia ad Rhenum; Congregaverat quidem concilium Romae a. 1412., eo scopo, ut, quod Pisana Synodus decreverat, *generale foret*; sed, quamvis undiquaque ad illud fuerint missi, pauci advenerunt Romam, sive quod omnia in circuitu loca fuerint a Ladislao, Synodo minus favente, occupata, iterque propterea minus tutum esset, sive Romam minus aptum judicaverint locum Synodo in causa reformationis habendae. Tantum itaque abest, ut Oecumenicae conspectum gerere possit, ut nequidem conciliabuli titulum mereatur, potius abortus Synodi sit; cum incepta mox sit interrupta, nova Synodo Constantiae indicta. Primam vero et Secundam sessionem haud parum turbavit, et Papae in primis horrorem incussit, bubo, seu avis nocturna, quae pleno die sese in medio Synodi ostentavit, fixos in Papam tenens oculos, nec nisi occisa potuit abigi. Vid. Nicol. Clemangis de *concilio Generali*. Erant, qui dicebant, *ecce sub specie bubonis adest Spiritus*. Wiclefi errores, cum ejus libris, hic esse proscriptos, libros quoque igni combustos, tradit

tradit Joh. Cochlaeus in hiſt. *Huſſitica*, et bulla exſtat in collectione Labbeana; ſed alii hiſtorici de eo ſilent.

§. CCCCXXI. Synodi convocatione decreta, et urbe *Conſtantia*, quae Germaniae urbs eſt, prope Helvetios, in Moguntina provincia, a Sigiſmundo propoſita, a Johanne Papa, licet invito, adprobata; mox promulgata eſt Bulla Papae de Synodo habenda a. 1414., et litterae a Sigiſmundo quaquaverſum miſſae ſunt, quibus Principes et Praelati, ſine diſcrimine, promiſſo ſalvo conductu, invitati ſunt. Incepit itaque a. 1414., annos quatuor et ſex Menſes duravit, quadraginta quinque ſeſſionibus abſoluta a. 1418. Interfuerunt, praeter Sigiſmundum ipſum Inperatorem, Principes, eorumque, et aliorum, ac Regis Galliae, legati, Praeſules, Abbates, Doctores, ingente numero. Praefuit in principio Johannes Papa, ſed, ipſo ſeſe ſecunda ſeſſione ſubducente, alii, in primis Johannes, Epiſcopus Oſtienſis, Cardinalis Vivarienſis dictus, qui plurimis ſeſſionibus praefuit, quatuor vero poſtremis Martinus V. Papa, tunc electus. Praecipuae Synodi cauſae moventes fuerunt, ſchiſmatis papalis exſtirpatio, Eccleſiae in Capite et membris reformatio, haereſium et haereticorum Wicleſitarum et Huſſitarum proſcriptio. Modus, quo ſingulae res peractae ſunt, hoc habuit ſingulare, quod Praeſules fuerint ſecundum nationes diſtributi et ſeorſim deliberaverint, ut et Cardinales ſecum ſeparatim; nihil fuerit Synodo propoſitum, niſi per Epiſcopos et Cardinales in ſingulis conventibus diſcuſſum et concluſum.

§ CCCCXXII. Duabus primis ſeſſionibus, ut acta Synodi enarrem, ſchiſma Papale, praeſente et praeſidente Johanne, eſt tractatum. Synodo a Johanne petente, ut, ſi aemuli abdicarent, vel unio Eccleſiae id requireret, cederet, ipſe ſolenni juramento ſeſe ad id obſtrinxit, de quo publicum factum eſt inſtrumentum. Legati vero Gregorii XII. tantum promiſerunt, ſe, ut a Papa ſuo inpetrent ceſſionem, nihil non acturos; obedientiam etiam promiſerunt

Synodo, si, quod petebant, Johannes non praeesset, sed nuncii Benedicti XIII. nihil aliud obtulerunt ac conventum Sigismundi, et Ferdinandi, Regis Arragonum, cum Papa, Niciae in ora Liguriae habendum, ut de unione deliberaretur. Interea cum Synodus a Johanne postularet, ne Synodus ante perfectam unionem dissolveretur, aut alio transferretur, ne Papa discederet, aut alius aliquis Praelatus, denique, ut procuratorem ad renunciandum constitueret, Papa primum concessit, sed consultius declaravit, ut Synodus ad locum Niciae vicinum transferretur, procuratorem vero recusavit. Legati autem Gregorii Niciam noluerunt tendere, nec cum Synodo, nec cum Johanne, se acturos esse declararunt. Quo in rerum statu Johannes sese clam subduxit Schafhusam, Frederici, Austriae Ducis, oppidum, ne, secundum promissum et juramentum, se abdicare cogeretur. Perrexit nihilominus Synodus, et se ipsa confirmavit, edito constituto, sessione *tertia*, quo statuit, Synodum esse legitimam, nec nisi rebus peractis dissolvendam, aut alio transferendam, negata quoque Episcopis licentia discedendi, nisi necessaria de causa. Ut autem illud fortius adstringeretur, sancitum est, sessione *quarta* et *quinta*, Synodum Generalem inmediate a Christo dependere, ipsumque Papam ei esse subjectum, Johannem etiam Papatui renunciare, et decretis Synodi teneri stare; sique ad Synodum non redierit, contra ipsum, ut fautorem schismatis, et haeresios suspectum, esse procedendum.

§. CCCCXXIII. Quibus peractis et constitutis Synodus sese ad causas, propter quas coacta erat, pertractandas adcinxit. Quod ad *schisma* Papale adtinet, de quo nunc praecipue agimus, *Johannes*, cum ad iteratas citationes ad valvas non compareret, pronunciatus est, sessione *decima*, contumax, et depositionis sententia in ipsum lata, qua *ab omni administratione Pontificali, tam Spirituali quam temporali*, est suspensus, omnibusque obedientia, ipsi praestanda, interdicta. Declaratus autem in hac sententia est Simoniacus,

bonorum

bonorum Ecclesiae dilapidator, et muneris male administrati reus, praeterea pessimae vitae et morum, denique contumax et incorrigibilis. Addita quidem sequente sessione sunt crimina, ipsi inpacta, ut quod Alexandro V. paraverit venenum, et resurrectionem ac vitam aeternam negaverit, sed probata non sunt. Articulis vero ad ipsum delatis, respondit, *volo, quod concilium sit defensio mea, quod scio errare non posse, nec alia qualicunque defensione uti volo.* Promisit quoque, sese sententiae Synodi praestiturum obsequium, eamque confirmaturum esse. Quando tandem perrexit Synodus sessione *duodecima* ad ipsam depositionem Johannis XXIII., ob modo memorata crimina, sententiam tulit publicam hac de re, et ad Johannem misit: qui eam habuit ratam, et Pontificatus insigne deposuit. Secuta est sessione *decima quarta* abdicatio *Gregorii* XII., quam et ipse fecit, sed in manibus Sigismundi Augusti, et non Synodi: quo fini praesedit in principio Sigismundus, et hac ratione Legati Papae adprobarunt eam, et Synodum confirmarunt, nomine Gregorii. Qua abdicatione solenniter peracta, Cardinales ejus obedientiae admissi, et reliquis adunati sunt. Praeterea decretum est, novum Papam, stante Synodo, non, nisi cum Synodi deliberatione et consensu, esse eligendum.

§. CCCCXXIV. Ad *Benedictum*, qui solus supererat, decreta est sessione *decima sexta* illustris legatio, in qua primas tenuit ipse Sigismundus, ut ad abdicationem permoveretur. Quos conatus cum variis artibus deluderet ambitiosus Papa, inter Sigismundum, cum reliquis legatis, et Oratores Regum Arragoniae, Navarrae, et Castellae, et Comitum Fuxi et Armaniaci, qui Benedicto parebant, certos in articulos est concordatum; eaque ratione sententia depositionis, sessione *trigesima septima*, in eum est lata ac pronunciata, tanquam in perjurum, universalis Ecclesiae scandalum, schismatis fautorem, et pacis turbatorem, schismaticum et haereticum, quippe articuli fidei, *unam sanctam Catholicam*

*tholicam Ecclesiam*, violatorem notorium et pertinacem. Quando et ejus obedientiae Cardinales recepti sunt, et schismati, ut videbatur, finis inpositus. Quem in finem decretum etiam est sessione *trigesima nona*, ut Concilia Generalia continue celebrarentur statis temporibus, uti *quinquennio* post hanc Synodum, et tunc singulis decenniis, in locis vero vel a Papa ante finem cujuslibet Synodi, cum ejus consensu, vel ab ipsa Synodo, definiendis Decretum ita incipit: *frequens conciliorum generalium celebratio est agri Dominici praecipua cultura.* Quod effatum vix cum experientia conciliatur. Sed et alia sunt ad praecavendum schisma ordinata, formula quoque fidei singulis Pontificibus, ante electionis promulgationem, praescripta est, qua sese credere profiteri debebant, et tenere, sanctam fidem Catholicam, secundum traditiones Apostolorum, generalium conciliorum, et aliorum S. Patrum, in primis octo Universalium Nicaeni, CPolitani, Ephesini, Chalcedonensis, CPolitani quinti et sexti, Nicaeni II. CPolitani octavi, Lateranensis, Lugdunensis, et Viennensis.

§ CCCCXXV. Quibus omnibus ad felicem adductis finem, progressa est Synodus ad novi Papae electionem, estque a viginti Cardinalibus, qui praesentes aderant, et triginta electoribus, a Synodo deputatis, in conclave ingressis, electus Odo de Columna, e nobili illa Columnensium familea, dictusque *Martinus* V., quem Platina a justitia, prudentia, et moderatione inpense laudat. De quo antequam agam, reliqua Synodi decreta et acta strictim recensebo; de praecipuis enim fusius suis expono locis. Huc pertinent 1. Wiclefi condemnatio, et violentiae in ejus cadaver et libros commissae. 2. Vivicomburium tyrannicum, et Antichristianum, virorum praeclarorum Johannis Hussi, et Hieronymi Pragensis, 3. Calicis in eucharistia ablatio Laicis, et communio sub una panis specie definita. 4. Reformationis denique quaedam sunt constituta capita; potissimum sequentia. *a.* Potestas et autoritas Papalis est circumscripta,

ta, cum quod ſuperioritas concilii generalis ſupra Papam ſit definita, tum reſervatio et perceptio procurationum, ordinariis et aliis inferioribus Praelatis debitarum, ratione viſitationis, nec non ſpoliorum decedentium Praelatorum, aliorumque Clericorum, ſive in curia Romana, ſive extra eam, obierint, a Romanis Pontificibus fieri ſolita, prohibita fuerit. β. Articuli, circa quos reformatio Eccleſiae in Capite et membris a Papa cum concilio fieri debeat, ſunt definiti ſequentes octodecim. 1. de numero, qualitate, et natione Cardinalium. 2. de reſervationibus ſedis Apoſtolicae. 3. de Annatis, communibus ſervitiis, et minutis. 4. collationibus beneficiorum, et gratiis exſpectativis. 5. Confirmationibus electionum. 6. Cauſis in curia Romana tractandis, vel non. 7. de adpellationibus ad curiam Romanam 8. Officiis cancellariae et poenitentiariae 9. exemtionibus et incorporationibus, tempore ſchiſmatis factis. 10. Commendis. 11. fructibus medii temporis. 12. de non alienandis bonis Romanae Eccleſiae. 13. Propter quae et quomodo corrigi et deponi poſſet Papa Romanus. 14. de exſtirpatione Simoniae. 15. diſpenſationibus. 16. proviſione Papae et Cardinalium. 17. indulgentiis. 18. decimis. Ex quibus articulis eluceſcit, quantopere in vera Eccleſiae corruptione, ſicut antea ita et nunc, coecutierint. Sunt quidem de nonnullis articulis formata decreta, ſed quibus recenſendis non inmoror. Denique Synodi decretis et illud addatur, concilium Papiae habendum eſſe, et omnibus, qui Synodo interfuerunt, plenariam conceſſam indulgentiam.

§. CCCCXXVI. *Martinus*, cujus praecipua geſta paucis recenſenda ſunt, in eo totus fuit, ut haereticos et ſchiſmaticos debellaret. Contra Wiclefitas et Huſſitas edita conſtitutione a. 1418. Epiſcopis et Inquiſitoribus ſevere injunxit inquiſitionem. Miſit quoque eum in finem Legatum in Bohemiam et Hungariam, cum ampliſſima poteſtate, ipſam expeditionem ſacram indixit adverſus Huſſitas. Excommunicationis fulmen vibravit in Sigiſmundum, Lithuaniae

Principem, qui haereticis patrocinabatur, et Conradum, Archiepiscopum Pragensem, qui ad Hussitas defecerat, anathemate confixit, et exautoravit, jubens quoque Germaniae Episcopis, ut illum captum in custodiam darent. Quam sententiam recenset Raynald. a. 1426. Fratricellos, *Fratres de opinione* dictos in Italia, exstirpare adlaboravit, litteris ad Praesules et Inquisitores eo scopo datis, ibid. apud Raynaldum a. 1428. Denique schismati Papali penitus tollendo incubuit felici cum successu. Cum Alphonsus, Arragonum Rex, Benedictum non tantum fuerit usque ad mortem ejus, quae a. 1423 contigit, tuitus, non obstante Concilii Constantiensis decreto, sed et post ejus obitum novum eligi fecerit Papam AEgedium Munionem, licet invitum, a duobus Cardinalibus, sub nomine *Clementis* VIII., Papa anathematis sententiam in ipsum proferre minatus est. Quo territus Alphonsus cum ipso in gratiam rediit a. 1418., et Clemens se abdicavit a. 1229. Quod exemplum mox secutus est Johannes, comes Armaniaci, qui schisma strenue fovebat, postquam Papa sententiam in eum tulisset, qua sacrorum non tantum usu, sed et temporali potestate, privatus est. Quo fulmine prostratus sese Papae subjecit. Hac ratione finitum est schisma Papale, quod ab a. 1378., quo Clemens VII. electus est, duraverat ad a. 1429. Denique jura sedis Papalis feliciter vindicavit Martinus. Impetravit a Carolo VII., Rege Galliae, ut leges, a Patre durante schismate latae, de beneficiorum collatione, et caussarum Ecclesiasticarum judicio, in praejudicium sedis Romanae, fuerint rescissae, vel emendatae, Rege a juramento, quo se ad earum observantiam, junior adhuc Delphinus, obstrinxerat, absoluto. Quod idem fieri curavit in Anglia, Hispania, et aliis in locis. Recepit etiam Ecclesiasticae ditionis urbes, tempore schismatis occupatas a Principibus. Quibus verbo addatur, Urbani IV. decretum de *festo corporis Christi* fuisse ab ipso novo diplomate confirmatum.

§. CCCCXXVII. Concilium, ex decreto Constantiensis celebrandum

celebrandum Papiae, ut quid in opere reformationis sit praestitum enarrem, inchoari fecit quidem a 1423., sed, cum pauci adessent Praelati, et pestifera lues Ticini grassaretur, loco mutato, transtulit *Senas*, ubi haberi coepit, sed et mox abruptum est, ob paucitatem Praesulum, et ingruentia bella, ac infesta conamina Alphonsi, Arragonum Regis. Quo non obstante, inter generalia concilia locum reservavit, quia legitime est indictum, et universalis Ecclesiae consensum meruit. Nihil interea magni momenti in eo actum est, reformatione Ecclesiae ex Constantiensis decreto, et hujus ipsius Senensis, ad proximum Basiliense concilium dilata. Tantum Wiclefitarum et Hussitarum damnatio confirmata est, et Principes, propositis indulgentiis, incitati sunt ad eam haeresin exstinguendam. Praeterea rata est habita sententia in Benedictum XIII., et adhaerentes schismati: de Ecclesiae Graecae redunitione agi coeptum, sed nihil peractum est. Ne autem reformationis causam videretur missam facere, selectis Cardinalibus in mandatis dedit, ut de ea consulerent, consilia insuper et monita a quibuslibet reciperent, ut omnia scilicet ad novum concilium essent parata. Praescripsit et ipse Cardinalibus vitae puritatem, ac honestatem, apud Raynaldum a. 1224. Sed ipsi interea inputatur, quod divinas leges de matrimoniorum gradibus mutaverit per suas dispensationes, non tantum quod Comiti Fuxensi, Gallo, prioris uxoris sororem, permiserit ducendam, sed et germanam sororem fratri concesserit uxorem. Sed posterius in dubium vocatur, et Papa tantum dispensasse censetur cum homine, qui feminam duxerat, cujus sororem stupraverat: vid. Spondanus a. 1431. In priore vero casu non nisi communi Doctorum et Cardinalium consensu egit. Obiit ex apoplexia a. 1431., cum annos 14, et quod excurrit, sedisset. In sepulchri inscriptione insigni ornatus est encomio, adpellatus *temporum suorum felicitas*.

§. CCCCXXVIII Successit *Eugenius* IV., Venetus, antea Gabriel Condulmerius, Gregorii XII. ex sorore nepos. Negotium

gotium quidem initio ipsi intercessit cum Columnensibus, a quibus thesaurum, pro Ecclesiae necessitatibus collectum, repetiit; quo se cito expedivit, seditione eorum in Papam repressa, Venetorum et Florentinorum copiis in eos inmissis. Longe gravior, et ipsi funestior, fuit concertatio cum concilio Basileense, quae novum peperit schisma Papale. Quae historia exactiorem meretur narrationem. Indixerat, ut modo indicavi, Martinus concilium *Basileae*, quae notissima est ad Rhenum urbs, secundum decretum Constantiensis et Senensis Synodorum, celebrandum a. 1431., *bulla* eo fini publicata, qua concilii indictionem confirmat, simul Julianum Cardinalem constituit Legatum a latere, et Synodi Praesidem, cum plena potestate. Inter causas Synodi praecipuae memorantur Reformatio Ecclesiae, haeresium exstirpatio, et Ecclesiarum, in primis Graecae, redunitio. Martino interea defuncto, haec omnia confirmavit Eugenius, et Synodus, hac autoritate munita, legitime coacta; et inchoata est mense anni memorati Julio. Ordo autem et modus, quo negotia sunt peracta, hic fuit. Quatuor nationes, Italica, Gallica, Hispanica, et Germanica, in totidem conventus separatos, *sacras deputationes* dictos, divisae sunt, quibus, secundum negotia, ipsis demandata, indita sunt nomina *fidei*, *pacis*, *reformationis*, et *communium*. Singuli conventus habebant suos magistratus et ministros, Praesidem, promotorem, notarium: ter hebdomade propriis in praetoriis conveniebant. Quibus in conventibus omnia prius examinari et concludi debebant, quam ad Synodum deferantur; quod fiebat, si tres saltem conventus in idem consentirent. Decreta dein in ipso concilio adprobabantur, et tunc formam decreti accipiebant, Vid. Augustinus Patricius, Canonicus Senensis, et dein Episcopus Pientinus, in historia conciliorum Basileensis et Florentini; quae *actorum Patricianorum* nomine venit.

§. CCCCXXIX. Synodo hac ratione incipiente, et felicem promittente exitum, omnia sunt per Eugenium subito turbata

bata; Papa enim, metuens, ne de summa sedis suae autoritate aliquid per Synodum detraheretur, in animum praecipitanter induxit eam dissolvere, et post annum aliam indicere, Bononiae habendam. Praetexuit paucitatem membrorum ejus, bellum inter Philippum Burgundiae, et Fredericum Austriae, Duces, quo Synodus turbari posset, denique in primis unionem Graecorum, qui Basileam venire non poterant, et Bononiam elegerant. Sed vani erant hi praetextus, a Juliano, Praeside et Legato, nec non a Sigismundo Inperatore, dilucide et solide refutati. Nec illi tantum, sed et Clerus Gallicanus, Avarici Biturugum coactus, ipsi quoque Patres Synodi, acriter contenderunt, Synodum nec esse dissolvendam, nec prorogandam. Formavit quoque Synodus, sessione *secunda* et *tertia*, decretum, quo declaravit, se legitimam esse Synodum universalem, potestatem autem ab ipso Christo habere inmediatam, eique Papam esse subjectum, adeoque ab eo dissolvi, aut alio transferri, non posse invitam, eos denique, ne excepto quidem Papa, qui contra eam aliquid tentaverint, gravi esse mulctandos censura. Imo Eugenium admonuit, ut praetensam dissolutionem publice revocet, et intra tres menses vel ipse ad Synodum veniat, vel mittat legatos, gravem ceteroquin subiturus censuram. Praeterea Cardinales stante Synodo si crearet, irritam fore electionem eorum, Papam, si sedes hoc tempore vacaret, in Synodo esse creandum, declaravit. Dogma itaque, in superioribus conciliis sancitum, corroboravit, et perpetuam habere vim sancivit, Papam scilicet conciliis generalibus esse obnoxium in his, quae ad *fidem*, *exstirpationem schismatis*, *et generalem reformationem* spectant, adeoque et Papam ob haeresin, schisma, et pravos mores, judicari ac deponi posse ab ejusmodi conciliis, quippe quae Ecclesiam Catholicam repraesentant et constituunt, nec errare possunt; uti possunt Papae, et subinde erraverunt reapse. Qua occasione sunt variae habitae Orationes, aliae a Legatis, ab Eugenio ad Synodum mis-

sis pro summa Paparum autoritate, aliae ab ipsa Synodo pro sua supra Papas potestate: varii etiam scripti sunt tractatus, in favorem conciliorum Generalium, a viris peritis, uti ex. gr., a Nicolao, Panormitano Archiepiscopo, Johanne, Antiocheno Patriarcha, in opusculo ipsi concilio oblato, Nicolao de Cusa, Germano, S. Florini Constantiensis decano, et postea Cardinali, in libris de *Catholica concordantia*; quos nunquam revocavit, licet, relicta denique Synodi defensione, defecerit postea ad Eugenium a *Gregorio Corrario*, Veneto-Romanae Ecclesiae pronotario, in Oratione habita ad Sigismundum a. 1433. in ipso loco Synodi.

§. CCCCXXX. Eugenius, Synodum Basileensem contra se, ut contumacem, stricto jure processuram esse, animadvertens, paulo benignius, ad hanc tempestatem avertendam, agendum esse prudenter censuit. Litteras itaque bullatas, post varias tergiversationes, tandem ad Synodum misit, quibus tres bullas, seu litteras Apostolicas, super dissolutione Synodi vulgatas, revocavit, Synodum, usque ad hanc sessionem pro legitima habens, omnia ejus decreta adprobavit, et cum omni devotione prosequi testatus est. Quae litterae sessione XVI. lectae, et cum gaudio adprobatae, sunt. Papa itaque, quod notandum est, concilii generalis superioritatem supra Papam solenniter agnovit et sancivit. Admissi etiam mox sessione XVIII. sunt Legati Papae, utque vice et nomine Eugenii praesiderent, sed sine jurisdictione coactiva, et salvis modis procedendi, hucusque a Synodo, et in ea, observatis, denique ut sigillo et bulla Synodi obsignarentur acta. Quo facto, de novo sunt confirmata decreta praecedentium sessionum de suprema concilii Generalis, etiam supra Papas, autoritate. Praeterea sessione XXIII. forma juramenti, a Papa, cum electus est, praestandi, praescripta est, qua solenniter confitebatur, se fidem Catholicam, et decreta conciliorum generalium, in specie Basileensis, servaturum, et talium conciliorum celebrationem promoturum esse, denique pro fidei puritate,

morum

morum reformatione, ac pace populi Christiani, laboraturum esse. Sed pax, hac ratione inter Synodum et Papam facta, brevi est penitus rupta. Cum enim sessione XXV. de loco Synodi, in causa unionis Graecorum habendae, dissentirent Patres Synodi, dum Legati, cum plerisque Praesulibus, Floréntiam et Utinum, tanquam loca et Graecis et Papae commodiora, etiam secundum pacta cum Graecis conventa, nominarent, alii, sed longe majore numero, licet ex secundi Ordinis sacerdotibus, Duce Ludovico, Cardinale Arelatensi, Basileam, aut Avenionem, aut locum in Sabaudia, praeterea, cum sessione XXVI. et seq. Eugenium cepisset Synodus variorum criminum accusare, citareque coram Synodo, etiam contumacem pronunciare, instituisset, licet contra Principum Christianorum plerorumque, etiam Sigismundi Inperatoris, et Regis Hispaniae, voluntatem; scissa est ipsa Synodus in partes, et Eugenius eam esse Ferrariam transferendam declaravit, cum Cardinalium, Archiepiscoporum, ac multorum Episcoporum, consensu, edito diplomate Bononiae. Permisit tantum causam Bohemorum, respectu communionis sub utraque specie, terminari Basileae intra triginta dies, confirmavit vero decreta Synodi usque ad eam translationem, sed *absque praejudicio juris*, dignitatis, et praeeminentiae sedis Apostolicae. etc.

§. CCCCXXXI. Hisce Papae mandatis ad Synodum delatis, variae sunt consultationes habitae, diversi etiam animorum motus exorti: donec decretum sit, *dissolutionem* et *translationem* Synodi esse irritam; sicut mox declaratum est, simul Papae injunctum, ut eam revocaret, alias censuram Synodi subiturus. Prohibitum praeterea est, ne quis Synodum propterea deserat, aut Ferrariam tendat, sub poena excommunicationis et depositionis. Denique, post prolixas disputationes, declaravit Synodus, has propositiones esse *veritates fidei*, scilicet, concilium generale esse supra Papam, nec posse sine suo consensu a Papa *autoritative* dissolvi, aut alio transferri, repugnantem vero his veritatibus esse

censendum haereticum. Quibus stabilitis, ad Eugenium deponendum se adcinxit Synodus, et actu perfecit, non obstantibus Regum et Principum consiliis et dehortationibus. Pronunciata est sententia sessione XXXIV. a. 1439. qua depositus est Papa, tanquam *notorius et manifestus contumax, mandatis Ecclesiae Universalis inobediens, violator canonum Synodalium, pacis et unitatis Ecclesiae perturbator, notorius Simoniacus, perjurus, incorrigibilis, schismaticus, haereticus, dilapidator jurium et bonorum Ecclesiae, inutilis et damnosus.* Nec hic substitit Synodus, licet pauci adessent Praesules, sed ad novi Papae electionem provolavit. Electus est a Cardinalibus praesentibus, et Synodi Deputatis aliis, Amedeus, Dux Sabaudiae, in secessu Ripallensi vitam agens devotam, dictusque *Felix* V. Quae electio adprobata est, et promulgata, sessione XXXIX. et XL., damnata quoque, sessione sequente, sententia Eugenii contra Felicem, ejusque obedientiam, veluti *scriptum famosum, schismaticum, haereticum.* Nominavit vero Felix, concilii jam Praeses, civitatem Lugdunensem locum concilii, intra triennium celebrandi, absque ut Basileense sit dissolutum; quod vel ibi continuandum, vel ad civitatem Lausannensem esse transferendum, decretum est.

§. CCCCXXXII. Actis Synodi, quae ad historiam Papatum pertinent, enarratis, reliqua suis locis proferam, et hic praecipua tantum recensebo simpliciter. 1. Ad *fidem* spectat cum definitio inmaculatae conceptionis Mariae Virginis, tum damnatio libelli *Augustini de Roma*, Nazareni Episcopi, ex Ordine Eremitarum S. Augustini, de *Christo* et *Ecclesia*, ob male sanas opiniones, uti de humana Christi natura fere Deificata, in primis, quod habeat, *Christum quotidie peccare*, et *ex quo fuit Christus, quotidie peccasse*, licet illud non Christi, sed Ecclesiae, respectu, et ob arctam Christi et Ecclesiae unionem dixerit. 2. Ad *ritus* religiosos pertinet festum inmaculatae conceptionis, et visitationis, Mariae, a Synodo sancitum, nec non decretum de

euchariſtia ſub una ſpecie a Laicis ſumenda, cum Chriſtus integer ſit ſub alterutra ſpecie, et conſuetudo Eccleſiae pro lege habenda. 3. *Regiminis* et diſciplinae reſpectu, deſinita eſt ſuperioritas concilii Univerſalis, et nonnulli abuſus proſcripti. Quo pertinet electio Papae cum formula fidei, et decretum de numero et qualitate Cardinalium, de aetate et qualitatibus Epiſcoporum eligendorum, de excommunicatione, interdictione, praeterea contra reſervationes, concubinarios, Simoniacos, Papales uſurpationes, et frivolas adpellationes, Annatas quoque, quae abolitae ſunt. De quo poſtea, ubi etiam de Bohemis.

§. CCCCXXXIII. Interea dum Synodus Baſileenſis continuaret ſeſſiones, et acta perſequeretur, Eugenius quoque non quievit, ſed Synodum habuit, quam Baſileenſi oppoſuit, primum Ferrariae a. 1438., dein Florentiae, quo tranſlata eſt. Cum Baſileenſes, ut hujus rei aliquam dem notitiam, actionem contra Eugenium coepiſſent inſtituere, et Graecos Baſileam conarentur adlicere, ut de unione ageretur, Papa, qui concilium illud propterea volebat diſſolutum, et alium in locum tranſportatum, edita Bononiae conſtitutione a. 1437, cui octo Cardinales cum Papa ſubſcripſerunt, declaravit, Synodum, niſi ab actione contra Papam deſiſtat, eſſe Ferrariam tranſferendam; ſicut et mox, cum Baſileenſes in actione ſua pergerent, factum eſt, nova edita conſtitutione qua jubentur omnes ſe *Ferrariam* conferre a. 1438. Inchoata quidem ibi eſt Synodus, et ſedecim ſunt habitae ſeſſiones, ſed, peſte ibi graſſante, tranſlata eſt *Florentiam*, ubi novem reliquae ſunt habitae, a. 1439., quibus Synodus eſt abſoluta. Praeſedit Eugenius ipſe, adfuerunt e Cardinalibus, et Praelatis Latinis, haud magno numero, Gallicani Praeſules eo a Rege prohibiti ſunt tendere, et Baſileae manſerunt, paucis exceptis, longe maximam partem, et Clerici, et Regum ac Principum Oratores. Ex Oriente interfuerunt, praeter ipſum Inperatorem, Patriarcha CPolitanus, et reliquorum Patriarcharum vicarii, prae-

terea Abbates et Praelati haud exiguo numero. Acta Synodi a Sylvestro Sgyropulo, M. Ecclesiarcha et Dicaeophylace, qui praesens adfuit, confecta, lucem viderunt opera Creygtonis, cum versione et notis a. 1660. sed alia, ab his diversa, et Latinis faventiora, a Theodoro Xanthopulo conscripta, in lucem prodierunt Romae. Comprehendunt fere nihil aliud ac disputationes Graecos inter et Latinos de capitibus inter eos controversis, et unionem inter eos initam. De quo postea. Canonem Vet. Test. fuisse in hoc concilio definitum, accensitis sic dictis libris apocryphis, refert quidem Caranza in *summa* conciliorum, sed in actis nihil simile occurrit, nec videtur verum. Vid. Raynoldus praelection. XLI., et Rivetus Isagog. cap. X. Praeterea Synodi Basileensis dissolutio confirmata est, et omnia acta, exceptis in causa Bohemorum, post translationem condita, nulla sunt et irrita declarata, ipsi quoque conciliarii schismatici habiti, et puniendi.

§. CCCCXXXIV. Hac ratione Ecclesia rursus varie est scissa, et inter duos Papas, Eugenium ac Felicem, et inter duo concilia generalia, Basileense et Florentinum. Basileense postea rursus damnatum est a concilio Lateranense V*to*, sub Julio II. et Leone X. Pontificibus, sed adprobatum ac confirmatum a Lausanense, ut ex ejus diplomate observavit Raynald. a. 1449. Scripsit quoque contra Basileense, tanquam illegitimum, et numero Generalium expungendum, L. Holstenius, cujus dissertatio inserta est tom. XIII. conciliorum Labbei, in adpendice, sed pro Basileense calamum strinxit Launoius p. I. epist. 22. et Edmund. Richerius Sorbonicus de Conciliis p. II. Quam quaestionem licet Catholico-Romanis relictam velim, non possum tamen quin verbo observem, translationem concilii Basileensis fuisse a Papa factam 1. contra conciliorum generalium praerogativas et autoritatem; sunt enim Papis superiora. 2. adversus ipsius Eugenii solennem in Synodo Basileensi declarationem, de non dissolvenda illa, nisi post reformationis opus perfectum,

fectum, et cum ipsius Synodi consensu, denique ex justis et manifestis caussis, quae non fuerunt, nec judicium de iis penes Papam, sed ipsam Synodum, erat.

§. CCCCXXXV. Schismate hac ratione facto, partes Eugenii manserunt superiores, et magis magisque confirmatae sunt. Adversarium initio habuit Alphonsum, Arragonum Regem, et Fredericus III., Germanorum Rex, neutralitatem tenuit cum Principibus Germaniae; sed ea obstacula e medio sustulit. Alphonsus sese Papae opposuit, caussa regni Neapolitani, quod mortua Johanna regina, ipse Renato, Duci Andegavensi, dederat, ejusque jura contra Alphonsum, regni invasorem, tuitus erat: postea vero, ut eum, qui regnum, pulso Renato, occupaverat, sibi devinciret, et a Felice ac concilio Basileense abstraheret, ejusque quoque auxilio contra Franciscum Sfortium, Ecclesiasticae ditionis hostem, indigeret, concessit ipsi regni Neapolitani investituram, pace cum ipso facta. Pacta conventa et diplomata Papae hanc in rem, recenset Raynaldus a. 1443. Germani, qui neutralitatem, quam ab a. 1438. per octo annos tenuerant, Synodum Basileensem reveriti, nec ab Eugenio deficientes, suspensa veluti obedientia, donec alio in concilio concordia iniretur, redierunt his conditionibus ad ejus obedientiam a. 1447. ut 1. generale concilium, loco et tempore designando, celebraretur, 2. professio potestatis, autoritatis, et praeeminentiae conciliorum generalium, a legatis Apostolicis facta, confirmaretur diplomate, 3. nationis Germanicae gravamina tollerentur, et 4. decreta contra Archiepiscopos et Electores, Coloniensem et Trevirensem, rescinderentur. Consensit Eugenius in has conditiones, editis diplomatibus, apud Raynaldum, censuras propter neutralitatem pronunciatas revocavit, et acta ejus tempore facta rata habuit.

§. CCCCXXXVI. Sed res cum Rege Galliae, Carolo VII., et Ecclesia Gallicana, minus ex voto successit. *Pragmatica*, ut adpellatur, *sanctio* in conventu Bituricensi lata erat

de consilio Procerum, et in Synodo Basileensi adprobata, pro disciplina instauranda, et libertatibus Ecclesiae Gallicanae vindicandis, qua superioritas concilorum est sancita, Aristocraticum in Ecclesia regimen institutum, Paparum autoritas restricta, varii curiae Romanae abusus circa regimen Ecclesiae aboliti sunt. Quam sanctionem Eugenius aegerrime tulit, omnique ope ejus abrogationem efficere conatus est, missis etiam ad Regem litteris, apud Raynaldum a. 1439 et 1440. Sed irrito conatu. Postea tamen obtinuit a Francisco I. Leo X., invita Ecclesia Gallicana. Nihil magis profecit apud Eduardum, Lusitaniae Regem, quem litteris ibid. a. 1433. reprehendit, quod causas de jure patronatus ad suum traheret tribunal, et Praesules in jus vocaret. Hoc in statu res reliquit Eugenius, a. 1447. defunctus, Papa alias non spernendus, munificus, liberalis in pauperes, austerus in vitae modo, et patronus litteratorum. Notabiles fuerunt ejus, jam morituri, voces ad religiosos: *quanto magis conduxisset saluti animae suae, si nunquam Cardinalatum aut Pontificatum obtinuisset. Sed in suo monasterio religiosam disciplinam coluisset*; ut habetur in vita ejus apud Raynald.

§. CCCCXXXVII. Successor ejus Tomas Sarzanensis, Episcopus Bononiensis, et Presbyter Cardinalis, sumto nomine *Nicolai* V., schisma vidit penitus exstinctum, omnesque Ecclesias sub uno capite unitas. Nuncio de ejus electione in Germaniam delato, Rex Germanorum Fredericus, neutralitatis abrogationem in solenni conventu Ordinum mox adprobavit, et obedientiam jussit exhiberi Nicolao. Quando pactiones initae sunt a Johanne S. Angeli, Diacono Cardinali, et sedis Apostolicae per Germaniam legato, cum Frederico et Principibus, quibus Ecclesiasticas dignitates, et beneficia, conferendi modus, ac annatas exigendi, est definitus. Quae *concordata Germanica* adpellari solent, et a Nicolao, edita constitutione, confirmata sunt a. 1448. Edidit et notis illustrabit Schilterus. Ceterum, ut hoc obiter

biter obſervem, abolita quidem haec concordata ſunt tempore reformationis ſtabilitae, reſpectu Paparum, ſed vigent quoad Principes, qui eodem jure, quo antea Papae, gaudent in capitulis. Vid. Boehmer Jur. Canon. l. I. tit. II. Inita quoque pax eſt ope Caroli, Regis Galliarum, inter Felicem, et Synodum Baſileenſem, quae tunc Lauſannae continuabatur, ab una parte, et Nicolaum ab altera, in has conditiones, ut Felix ſponte abdicaret, et poſt abdicationem, primus, ac Decanus, Cardinalium, nec non Legatus perpetuus ſedis Apoſtolicae in Germania eſſet, et ditionibus Sabaudiae: praeterea geſta ſive in concilio, ſive per Felicem, rata eſſent, denique omnia interdicta, et ſententiae in Baſileenſes, eorumque patronos, caſſarentur. Quibus conditionibus ratihabitis, Nicolaus pro ſolo Pontifice eſt agnitus, et ſchiſma penitus exſtirpatum. Quam in rem tres publicavit conſtitutiones Nicolaus, apud Raynaldum, et in conciliis Labbei, ut et in libro, cui titulus *Amedaeus pacificus.* Vid. etiam acta ad pacem pertinentia apud D'Acherium in Spicileg. tom. III. Ceterum Felix ſeceſſit Ripaliam, Sabaudiae caſtrum, ad ripas lacus Lemanni, ubi reliquum vitae tempus otio et voluptatibus exegit, brevi poſt mortuus a. 1450., ut ex Brevi Nicolai, a. 1450. patet, in quo ejus jam defuncti fit mentio. Vid. Biblioth. Italica tom. IX.

§. CCCCXXXVIII. Reliqua Nicolai acta levidenſi brachio perſtringam. Indixit 1. et celebravit *jubilaeum* a. 1450., ſecundum Clementis VI. conſtitutionem, de jubilaeo ſingulis quinquaginta annis habendo. Quo etiam tempore canonizavit Bernardinum illum Senenſem, praecipuum Ordinis Franciſcanorum *de obſervantia* promotorem; cujus ſingularis, ut ſupra monui, fuit devotio erga nomen *Jeſu*, quod in tabula depictum, et ſculptum, offerebat auditoribus adorandum. 2. Fredericum III. coronavit Inperatorem 3. Manichaeis, qui in Boſnia narrantur repullulaſſe, ſed et Bohemis exſcindendis, vel convertendis, incubuit 4. Claſſem

instruxit contra Turcas, ad CPolin tuendam, sed quae non, nisi post urbem a Mohamete expugnatam, adpulit, simul intercepta est a. 1453. Defunctus est a. 1455., et celebratur tanquam litteratorum amator et promotor liberalis: sed vitiis non caruit, inter quae ebrietatis illud ipsi fuit familiare, secundum Volaterranum.

§. CCCCXXXIX. Suffectus in ejus locum est Alfonsus Borgia, Hispanus, septuagenario major, sub nomine *Calixti* III., quo jam usus est, cum sese ad bellum sacrum voto obstringeret, nixus, ut fertur, praedictione Papatus sui a Vincentio Ferrario prolata. Fuit autem praecipua ejus cura, Principes Europae ad bellum sacrum contra Turcas excitare, classem contra eos construere, sed et eo scopo, vel praetextu, pecuniam corradere, decimis toto orbe Christiano exactis. Quibus se objecit Parisiensis Academia, et provinciae Rothomagensis clerus, licet Rex cum Ecclesia Gallicana consensisset. Vid. litterae Calixti in Spicilegio Dacheriano. Expostularunt quoque cum eo Germani super pecuniarum extorsione, et Concordatorum violatione. Quas criminationes ipse diluere conatus est in litteris ad Fredericum, apud Raynaldum a. 1457. Papae vero ad eas expeditiones currenti stimulos addidit Antoninus, Archiepiscopus Florentinus, elegante coram ipso habita oratione, quae Chronico ejus inserta est. Indixit quoque, eum in finem, preces, ad signum campanae meridianum a populo fundendas: quae ab eo tempore in usu esse coeperunt. Quo ipso tempore celebris illa victoria de Turcis ad Bellogradum, ope Hunniadae, Hungarorum regis, et celebratissimi Herois, est reportata. Ob quam victoriam non instituit quidem, sed renovavit, et celebrius fecit, propositis quoque indulgentiis, festum *transfigurationis Christi*. Exstat de eo diploma, a. 1457. datum, apud Raynaldum. Autor etiam Henrico, Castellae Regi, fuit, ut bellum gereret contra Mauros Granatenses, amplissimis promissis indulgentiis, militibus non tantum, sed et adjutoribus, qui pecuniam conferrent.

ferrent. Denique ſeſe Regnorum cauſis inmiſcuit. Matthias, Hunniadae filius, Rex Hungarorum electus, et a Georgio Podiebracio in carcere detentus, ope ejus eſt liberatus, et regnum capeſſivit. Graviores ei fuerunt lites cum Ferdinando, filio notho Alfonſi, Regis Arragonum et Siciliae. Papa enim Alfonſi mortui regnum, tanquam feudum Eccleſiae, ad ſe pertinere contendit, teſte Antonino in Chronico, et in nepotem ſuum conferre voluit. Ferdinandum vero, qui illud haereditatis titulo adire volebat, Papa, intentato anathemate, repulit. Sed Ferdinandus ſeſe, Eugenii IV. bulla, qua legitimatus erat, prolata, defendit, Regemque dixit, et ad univerſale concilium adpellavit. Vid. Antoninus in Chronico. Defunctus eſt a. 1458. Notantur in ipſo praecipue vitia ambitionis et avaritiae. Reliquit moriens 115 *millia nummum aureorum*, in uſus, ut praetendebat, belli ſacri, teſte Platina: Nepotes quoque promovere in primis adlaboravit. Secundum Pontanum vero, in *hiſtoria belli Neapolitani*, fuit, *fluxa fide*, *pertinace ingenio*, *variis conſiliis*, et *praecipiti ambitione.*

§. CCCCXL. Excepit ipſum AEneas Sylvius Picolominaeus, dictus *Pius* II., qui exemplo ſuo confirmavit, quantam animi mutationem adferat vitae et muneris ratio. *Nemo magis laboraverat*, ut verbis Mezeraei ad a. 1461. utar, *reducendae Paparum poteſtati inter terminos canonum, quam AEneas Sylvius; et nemo inter Papas magis ſolicite laboravit, ut eandem poteſtatem ultra juris et rationis omnis limites extenderet, quam fecit Pius.* Ante Pontificatum meruit communem adplauſum, et contra illimitatam Paparum poteſtatem militavit, urſitque adpellationes a Papa ad concilium, curiae Romanae vitia perſtrinxit, reformationis opus promovere contendit, ſcriba fuit in concilio Baſileenſi, ejuſque anima, cujus etiam nomine varias obiit legationes, ad ejus autoritatem et decreta tutanda. Conſcripſit quoque ejus hiſtoriam ſatis diligenter et fideliter, *duobus Commentariorum libris*, in *faſciculo rerum expetend. et fugiend.* Fre-

derico III. a secretis factus Romam ad Nicolaum est ablegatus, cum ipso de coronatione Inperatoria acturus, dein ab eodem ad Calixtum missus, ibi retentus, et Purpuratis est adscriptus, ac dein Papa creatus. Praestitit sese haud uno nomine celebrem, etiam famosum. Statim ac Papa esset factus retractavit acta et scripta in favorem concilii Basileensis contra Eugenium, cujus retractationis diploma, a. 1463. datum, exstat apud Baronii continuatores. Adpellationes ad concilium severe prohibuit; quas etiam erroneas et detestabiles vocat, et adpellantes declarat reos majestatis, et haereticae pravitatis, iisdem etiam poenis obnoxios. Superest diploma in *commentariis* Gobelini l. III. Pragmaticae Sanctioni regni Galliae bellum indixit, ejusque abolitionem a Ludovico XI. a. 1461. inpetravit, invita Curia et Academia Parisiense.

§. CCCCXLI. Ferdinandi, Alfonsi Regis filii nothi, partes tuitus est, contra Renatum, Siciliae Regem, et Gallos, respectu regni Siciliae, nec Ferdinandi jura tantum confirmavit, sed et thesauros, pro expeditione sacra collectos, exhausit in gratiam ejus, eoque rem adegit, ut Galliae causa in regno Neapolitano fuerit dilapsa. Favit autem Ferdinando, ut fertur, spe familiae Picolomineae amplificandae. Quo spectat, quod Ferdinandi filiam Antonio Picolomineo, nepoti suo, procuraverit uxorem, cum Amalphitano ducatu, nomine dotis, Ursinos, aliosque Romanos proceres, sub anathemate abstraxit a partibus Gallicanis. Sed nihil non ad Pontificiam Majestatem, in summo culmine ponendam aut tuendam, egit, omnesque ei adversantes deprimendos per censuras. Praeter modo memorata, Sigismundum, Austriae Ducem, ob jus Ecclesiasticum violatum, confixit censuris; ad concilium autem, et universum populum Christianum, adpellantem pronunciavit laesae Majestatis, ac fautoriae haeresios, reum, Dietherum quoque, Archiepiscopum Moguntinum, causa simoniae, et perduellionis in sedem Apostolicam ac Inperium, excommunicatum, simul ad

concilium adpellantem, exauctoravit. Denique, indixit non tantum unam et alteram expeditionem sacram in Turcas, et in bellicos sumtus prioris expeditionis exegit a Laicis redituum trigesimam, a Judaeis vigesimam, a Clericis decimam, quae in fumum abiit: de quo exstat libellus Leodrisii Cribelli inter scriptores Italicos Muratorii tom. XXIII. ad alteram et ipse ire decrevit, a. 1463. profectus eo fine Anconam, ut triremem conscenderet: sed copiae, defectu Ducis et stipendiorum, dilapsae sunt, et ipse diem obiit ibi supremum. Circumfertur nobile ejus dictum, *sacerdotibus magna ratione ademtum connubium, sed majore quadam restituendum.* Varia ab ipso condita sunt opera, inter quae peculiarem merentur adtentionem historica, ut *de gestis concilii Basileensis*, *de ortu et gestis Bohemorum*, *Cosmographia de rebus a se gestis*, quae historia sub Johannis Gobelini, Secretarii sui, nomine prodiit.

§ CCCCXLII. *Paulus* II., antea Petrus Barbus, patria Venetus, et Eugenii IV. e sorore nepos, successor Pii, multa habuit vitia, parum aut nihil virtutis. Litterarum rudis, earum fuit hostis, et litteratorum persecutor, qui litterarum humaniorum studiosos dixit haereticos. Sustulit etiam Ordinem *adbreviatorum*, eosque lucro privavit, inter quos erat Platina, qui propterea vehementer cum eo in epistola expostulavit, quare in carcerem conjectus est, et varie vexatus. Pactiones juratas in conclavi ante electionem dissolvit, et Cardinales partim blanditiis, partim terrore, ad consensum compulit, ipse primum ad id excitatus per duos Praesules, qui, Cardinalatum ambientes, et per illas pactiones, quae numerum Cardinalium ad 24 restrinxerant, aditum sibi videntes praeclusum, Paulo inter alia dixerunt, *indignum esse, vicariam Christi potestatem humanis conditionibus subdi, ipsumque non tam sui arbitrii, quam alienae administrationis ministrum videri, idque agendum, ut autoritatem Ecclesiae apud se, non apud Cardinales, esse, omnes agnoscerent.* Vid. Jacobus Picolomineus, Cardinalis Papiensis, in

Commentariis l. II. et in Epistolis; quae Pii II. Commentariis adjungi solent. Infamem sese praeterea praestitit, perjurio, luxu, et pompa: *sub ipso januae vitiorum reclusae*, teste Volaterrano l. XXII., *antiqua pastorum disciplina pessundata, dies toti aut voluptati, aut nummis pensitandis, aut numismatis dati, et sive gemmis, sive imaginibus, spectandis.* etc. Ceterum ad magnificentiam, et religiosam pompam Pontificis, et aulae Papalis, sacrorumque celebrationem ambitiosam cognoscendam, legi meretur narratio Frederici III. adventus Romam, ab Augustino Patricio conscripta, in Musaeo Ital. Mabillon. p. II.; ubi inter alia notari merentur verba autoris: *Ecclesia Romana, Deo bene volente, inperio et divitiis, Pontificum diligentia, praesertim Pauli nostri* (Pauli II.) *aucta, eousque processit, ut maximis quibusque regnis sit comparanda. Contra vero, Inperii Romani autoritas, et vires, adeo sunt diminutae, atque adtritae, ut, praeter nomen Inperii, fere nihil remanserit. — — — Olim magnae Inperatorum et Caroli vires — — — — Pontificis autem tanta erat potentia, quanta ab Inperatoribus permittebatur.* Cardinales quoque ornavit *rubris capitiis*, quod Pontificum solebat esse proprium, praeterea panno ejusdem coloris equos eorum jussit esse stratos: sibi autem paravit *mitram*, quae, tribus educta coronis, *Regnum* adpellatur, quam Papae jam a longo desierant gestare. Notanda etiam sunt ejus verba, cum a Platina reprehenderetur: *ita nos ad judices revocas? acsi nescires, omnia jura in scrinio pectoris nostri esse collocata.* Taxat quoque in ipso Jacobus Papiensis epist. 156. *vanos sermones, et astrologiam judiciariam*, cui credere censebatur. Laudi tamen ipsi datur, quod labem Simoniacam oderit, et liberalis fuerit, indulgentias etiam, temporum necessitate concessas, abrogaverit, quod maximam partem essent lucratoriae, ut testatur Franciscus Philelphus l. XXXV. epist. 1. Ceterum Jubilaeum ad annum 25*tum* revocavit, et Georgium, Bohemiae regem, Hussitarum fautorem, exauctoravit. Obiit a. 1471., cum septem annos sedisset.

§. CCCCXLIII.

§. CCCCXLIII. Succeſſor ejus, Franciſcus de Ruvera, ex infimis miniſteriis ad ſummum gradum evectus, ex Ordine Minorum, dictus *Sixtus* IV., litteris quidem non adeo fuit excultus, licet Scholaſticae Theologiae non inperitus, attamen litterarum et litteratorum promotor. Bibliothecam exſtruxit Vaticanam, et ornavit, ei praefecto Platina, et libris undiquaque advectis, licet de Theodoro Gaza haud bene fuerit meritus, cum librum ſuum ei offerret, qui propterea dixiſſe fertur, *aſino non offerendos eſſe niſi carduos.* Devotionis etiam ejus temporis ſeſe praebuit promotorem, ut ex ejus bullis, ac conſtitutionibus, apud Raynaldum conſtat. Feſta inmaculatae *conceptionis et viſitationis* Mariae inſtituit, inmunitates et privilegia mendicantium amplificavit, Bonaventuram canonizavit, novam congregationem Minimorum Franciſci de Paula confirmavit; ne alia ſimilia memorem. Sed infamiae notam ſibi inuſſit per Nepotiſmum, pecuniae corradendae ſtudium, et libidinis patrocinium. Nepotum fuit ſtudioſiſſimus, magis ex ſororibus, quam fratribus, in primis ex ſorore majore natu: quare a nonnullis, ut a Machiavello hiſt. Florentin., et aliis, eorum parens fuit habitus. Honoravit autem eos ampliſſimis dignitatibus, et ſpoliis Eccleſiae ditavit: adeo ut ab ipſo potiſſimum cenſeatur incepiſſe *Nepotiſmus.* Vid. Volaterranus in *hiſtoria Nepotiſmi.* Pecuniae coacervandae maximam dedit operam, ut ad ſumtus, in Nepotes effundendos, et ad bella, haberet ſufficientes. Vetera non tantum vectigalia auxit, nova indixit, decimas a Clericis exegit, ſed et nova inſtituit, ac odioſa collegia, quorum munia erant publice venalia. Qualia fuerunt *breviatorum*, *ſolicitatorum*, *adſtipulatorum*, ſine quibus tabulae non poſſent confici, *Janizzariorum*, *Stradiotarum*, *Mammaluchorum.* Vendidit quoque officia *procurationis* camerae, *notariatus Apoſtolici*, etc. Vid. Bonvinius in ejus vita. Unus Nepotum Petrus Riarius, cui maxime favit, fuit quidem perditiſſimi luxus vir, et nobile exſtruxit Papa lupanar Romae, quod tamen rarum non eſt

in Italia, vid. Agrippa de *vanitate scientiarum* c. 64. sed nec probabile, nec verum, est, quod, ut Balaeus centur. VIII. fide Wesseli Groningani, et Saldenus *Ot Theolog.* fide Agrippae, referunt, liberum Sodomiae exercitium nonnullis Cardinalibus, id pro mensibus aestivis petentibus, concesserit: nusquam etiam illud reperitur apud Wesselum aut Agrippam, nec etiam apud Flacium in *catalogo testium.* Vid. Baelius in Lexico.

§. CCCCXLIV. Majore jure ipsi inputatur, quod facem belli accenderit in Italia, seseque armis magis aptum natum, quam religioni, demonstraverit. Mediceos, Principes Florentinos, eorumque causa ipsos Florentinos, inmani prosecutus est odio, eorumque perniciem omni studio quaesivit. Inmissi sunt in eos, conscio, ut historiae Florentinae scriptores tradunt, Papa, conjurati a. 1478., a quibus Julianus Mediceus est confossus, Laurentius vulneratus, et aegre ereptus. Dein mox bello petivit eum et Florentinos, a Ferdinando, Rege Siciliae, adjutus, et Senensibus; quo ad extrema redacti Florentini, superati fuissent, nisi Laurentii prudentia pax fuisset cum Ferdinando, invito licet Papa, inita. Ceterum infensus erat Mediceis ob causas quasdam ad temporalem Ecclesiae Romanae statum pertinentes, et commoda nepotis sui Hieronymi Riarii. Bellum praeterea cum ipso Ferdinando gessit, se adjungens Venetis, sed quos mox deseruit, partes Ferdinandi contra eos suscipiens, pro Hercule Estensi, Duce Ferrariae. Denique, cum Veneti, spreto Pontifice, pacem cum hostibus fecissent, tantum inde concepisse traditur moerorem, ut brevi fuerit e vivis ablatus, dignus itaque hoc epitaphio

*Pacis ut hostis eras, pace peremtus obis.*

Alia quoque virulenta epitaphia reperiuntur apud Balaeum, centur. VIII. Solent quidem ipsi Baptistae Mantuani in Alphonso hi adplicari versus

*At*

*At tu, inplume caput, cui tanta licentia quondam*
*Foemineos fuit in coitus, tua furta putabas.*

etc. ſed ſine ſolida ratione. Vid. Baelius in Lexico.

§. CCCCXLV. Succeſſor ejus *Innocentius* VIII., antea Baptiſta Cybo, ſive ex ignobili familia, ut Onuphrius in *comment. de Pontificibus et Cardinalibus*, ſive ex illuſtri Cyborum apud Genuenſes, ut idem in ejus vita tradit, ſeſe haud minus praeſtitit infamem. In initio viſus eſt nil niſi bella meditari. Principes unire, et claſſem inſtruere, adgreſſus eſt contra Turcas, qui Italiae littoribus inminebant; Ferdinando, Caſtellae regi, decimas conceſſit, et indulgentias cruciatis propoſuit in bello contra Mauros Granatenſes, eo cum ſucceſſu geſto, ut eorum in Hiſpania regnum fuerit exſtinctum. Ferdinando, Regi Neapolitano, bellum indixit, quod nobiles regni vexaret, et tributa ſedi Apoſtolicae negaret. Carolum VIII., Galliae Regem, in Italiam evocavit, ſub ſpe vindicandi regni Neapolitani, quod ſui juris eſſe contendebant Galli. Suſcitavit etiam perſecutionem Waldenſium, et cruciatos in eos conſcripſit; vid. Leger et Perrin in eorum hiſtoria, ſed deinde ſe otio dedit, et luxui, nihilque amplius egit. Fuit autem, ſi Volaterrano et Satyricis ſit credendum, vitae infamis, et admodum ſcandaloſae. Secundum Volaterranum fuit Pontificum primus, *qui novum exemplum introduxit palam liberos nothos jactandi, et eos divitiis cumulandi; innatam quoque avaritiam jocis ac dicteriis tranſigebat.* Inventa traduntur decies centena millia nummum aureorum, ab ipſo, belli Turcici et Neapolitani obtentu, congeſta. Epitaphium a Marullo ipſi poſitum habet,

*Spurcities, gula, avaritia atque ignavia deſes,*
*Hoc, Octave, jacent, quo tegeris, tumulo.*

Tribuuntur etiam Marullo haec in Papam diſticha a

 Mornaeo;

Mornaeo, licet Baelius ea in sua editione inveniri neget,

*Quid quaeris testes, sit mas an foemina? Cybo,*
*Respice natorum, pignora certa, gregem.*
*Octo nocens pueros genuit, totidemque puellas,*
*Hunc merito poterit dicere Roma Patrem.*

Eundem in modum Sannazarius de ipso.

*Innocuo priscos aequum est debere Quirites,*
*Progenie exhaustam restituit patriam.*

§. CCCCXLVI. Ultimus hujus seculi, et omnium scelestissimus, fuit Alexander VI., antea Rodericus Borgia, Cardinalis Portuensis, nepos Calixti III., Papa creatus a. 1492. a Cardinalibus, partim auro corruptis, partim promissis amplissimorum munerum, partim etiam morum similitudine, pellectis. Erat enim jam tum vitae infamis, qui ex Vanozia, Romana puella, quatuor procreavit filios, et unam filiam Lucretiam, cum Cardinalis esset. Nec Papa factus castiorem duxit vitam. De filia ejus hoc notum est epitaphium

*Conditur hoc tumulo Lucretia nomine, sed re*
*Thais, Pontificis filia, sponsa, nurus.*

Tradit Onuphrius, eum sese *omni jucunditatis generi sine discrimine dedisse*, praeterea sub ipso *gladiatorum et Sicariorum in urbe nunquam fuisse licentiam majorem, nunquam populo Romano libertatem minorem, delatorum fuisse ingentem numerum, levissimo maledicto poenam mortis fuisse; grassatorum etiam omnia plena, nec noctu tutum per urbem iter, nec interdiu extra urbem*, Romam *factam esse carnificinam*, illaque omnia permisisse Papam, suorum causa, quibus omnia indulsit. Guiccardi-

Guiccardinus hiſt. l. I. refert, eum, cum *filios ſuos ardenter amaret, omnium Pontificum primum, qui, ſuae infamiae ex parte velandae cauſa, nepotes eos adpellare ſolebant, filios adpellaſſe, et cunctis mortalibus tanquam filios oſtentaſſe.* Deinde lib. II. dicit, *nunquam forte, poſt hominum memoriam, deterioribus artibus fuiſſe Pontificatum adminiſtratum, nihilque tam iniquum eſſe, quod in ejus Pontificis ſceleſta natura non facile crederetur.* Denique ipſius funus enarrans lib. VI. teſtatur, univerſam Romam cum incredibili laetitia concurriſſe, vix oculos ſatiantem adſpectu *ſerpentis exſtincti, qui ambitione inmoderata, perfidia peſtifera, libidine monſtroſa* etc. *totum intoxicaverat mundum.* Hunc ipſum tamen hominem ſceleſtum, addit, ab *ineunte aetate ad extremum uſque vitae diem*, ſingulari, ac pene perpetua, gaviſum eſſe felicitate, manifeſto indicio, ut ipſe obſervat, *quam male homines judicent*, **qui**, *quicquid mortalibus vel fauſti, vel adverſi, accidit, ex bene maleve factorum cauſis manare ajunt.* Praeterea fuit, teſte Onuphrio, perfidiae pluſquam Punicae, ſuperbiae in Reges et Principes intolerandae, ſaevitiae inmanis. Notum de eo eſt hoc diſtichon

*Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus et iſte,*
*Semper ſub Sextis perdita Roma fuit.*

nec non de Simonia ejus, et avaritia;

*Vendit Alexander claves, altaria, Chriſtum,*
*Emerat ille prius, vendere jure poteſt.*

Peſſimus filiorum ejus fuit *Caeſar Borgia*, in quem Papa theſauros, ex indulgentiis et Jubilaeo congeſtos, profudit, unde dicterii loco dixiſſe fertur Caeſar, ſe *dilapidare peccata Germanorum.* Fuit enim iſte bipedum nequiſſimus, divini et humani juris proculcator, omni libidinum et ſcelerum genere infamis, dignus itaque, quem Machiavellus in

exemplum proponat in suo *Principe*: caedibus et rapinis omnia replevit. Exstitit etiam ipsius Alexandri necis, sed casu, autor. Veneno enim praeparato, et vino mixto, ad nonnullos potentiores, quos ad convivium invitaverat, ut eorum bona sibi vindicaret, e medio tollendos, accidit, ut, pocillatoris errore, illud sumserint Alexander et ipse Caesar Borgia: unde Papa mortuus est, ipse per aetatis robur et remedia evasit. De quo omnes testantur historici, Volaterranus, Guiccardinus, Petrus Bembus, Onuphrius, alii; mortuus est Papa a. 1503.

§. CCCCXLVII. Inter Antichristiana ejus facinora etiam est, quod Savonarolam, de quo supra, comburi fecerit, et in Waldenses per Bohemiam et Moraviam, de quo postea, Inquisitores inmiserit. Difficilia quoque ipsi fuerunt negotia cum Carolo VIII. Galliae Rege; cui ut se opponeret, singulare, et Papae infame, pactum iniit cum Bajazete Turca: cujus notitiam dederunt ipsius Sultani litterae ad Papam, apud Burchardum in diario, in adpendice Gordoni. Papa scilicet concesserat Alphonso, filio Ferdinandi, investituram regni Neapolitani, spreto Carolo, qui illud ex Principum Andegavensium haereditario jure sibi vindicabat: contractae vero ad foedus Papae sanciendum erant nuptiae inter Sanciam, notham Alphonsi, et Joffredum, nothum Papae. Rex vero Galliae, ut jus suum adsereret, incredibili celeritate, et ingente ausu, cujus pauca sunt similia nota exempla, Italiam intravit cum exercitu, tantumque toti Italiae incussit terrorem, ut vix quisquam se movere auderet. Papa, ad incitas redactus, Regem recipere quidem debuit Romae, et pacis cum ipso inire conditiones, sed atrox ipsi deinceps suscitavit bellum, foedere cum Maximiliano Caesare, Ferdinando, Hispaniarum Rege, et aliis, pacto: quod bellum ingentem adtulit Italiae vastationem. Quae historia est aliunde petenda.

§. CCCCXLVIII. Paparum historia, quantum pote brevibus, absoluta, nonnulla sunt de eorum suprema potestate subjungenda.

jungenda. Viguit enim hoc in primis feculo quaeftio de hac poteftate, ejufque limitibus, inter ipfos Catholicos. Convenit quidem inter eos, 1. Papam effe, jure divino, in Ecclefia univerfa fummum Pontificem, qui a Chrifto inmediate honoris non tantum et dignitatis, fed et poteftatis ac jurifdictionis, primatum tenet. 2. Majores Ecclefiae caufas dubias ad fedem Papalem referri, eamque confuli, pertinere ad difciplinam Ecclefiae univerfalis. 3. Adpellationes ex toto orbe Chriftiano ad eam fedem fieri poffe fecundum canones. 4. Poffe quoque canones ab ea temperari, eorumque executionem urgeri, et infractionem coerceri. 5. denique, fedem illam fibi poffe aliquos cafus refervare, indulgentias concedere, et leges ad Ecclefiae aedificationem condere. Sed quaeftio fuit de *limitata*, an *illimitata*? Paparum poteftate, fitne ea abfoluta, infallibilis, et conciliis generalibus fuperior, an inferior et fubjecta? poffitne Papa in haerefin et crimina incidere, et propterea caftigari, ac deponi? Gallicanae Ecclefiae, cujus libertatis hoc feculo jacta funt fundamenta, hae funt hypothefes 1. Papam nihil contra Scripturam S. et canones poffe. 2. nihil ipfi in Reges et Regna, quippe ab ipfo independentia, effe juris. 3. Concilia generalia ipfo effe fuperiora, eumque iis effe fubjectum, et adpellationes ad ea dari a Papa, adeoque concilium generale effe fupremum ac infallibile in Ecclefia tribunal. 4 Poffe denique Papam in haerefin ac crimen incidere, propter quod a concilio generali deponi poffit.

§. CCCCXLIX. Quae duae poftremae hypothefes hoc quidem feculo funt in lucem protractae, fancitae, et vindicatae, a Conciliis et Doctoribus, occafione fchifmatis Papalis, alio modo non tollendi, ut ex fuperioribus conftat; fed per omnia viguerunt fecula, nec hoc demum natae; ut per fingula obfervavimus fecula. Concilia hanc in rem fuerunt illuftria Pifanum, Conftantienfe, et Bafileenfe; ut fupra demonftravi. *Pifanum*, ficut ipfo actu hanc poteftatem in Papas exercuit, ita feffione XIII. fupremam conci-

liorum autoritatem ſtabilivit. Qua in ſeſſione Petrus Plaoul, Theologiae in Academia Pariſienſi Doctor, eam theſin in publico conventu multis comprobavit; ſicut et eam confirmavit Epiſcopus Navarrenſis ſuffragio centum et trium doctorum, aliorumque Theologorum, ac celebris Academiae Bononienſis. Quam eandem viam tenuit concilium Conſtantienſe, quod multo adhuc evidentius, et conciliariter, eam theſin ſancivit, ſeſſione IV. et V. In priore declaravit, concilium generale totam repraeſentare Eccleſiam militantem, et poteſtatem inmediate a Chriſto habere, eique omnem, cujuſcunque ſit conditionis, etiam Papalis, obedire debere in his, *quae pertinent ad fidem, et exſtirpationem dicti ſchiſmatis, et reformationem generalem Eccleſiae Dei in capite et membris*. Poſterior vero omnes, cujuſcunque dignitatis, etiam Papalis, cenſurae ſubjicit, qui *mandatis et praeceptis, ſuper praemiſſis, ſeu ad ea ſpectantibus, factis aut faciendis, ab hoc aut alio concilio generali, obedire contumaciter contempſerint*. Quibus canonibus licet nihil hanc in rem poſſit eſſe evidentius, Papalis nihilominus omnipotentiae patroni eorum ſenſum, et autoritatem, conati ſunt variis modis eludere, ſive clauſulam canonis ſeſſion. IV. eſſe ſpuriam, ſive decretum a pleno concilio non eſſe formatum, ſive ad caſum ſchiſmatis Papalis eſſe reſtringendum, contendentes, ſicut, data opera, conati ſunt Schelſtrate, Petitdedierius et alii, quos refutarunt Maimburgius, Dupinius, Boſſuetus, Natalis Alexander, alii. Confirmavit dein eadem decreta Synodus Baſileenſis ſeſſ. II. et III., et Synodi diſſolutionem a Papa, etiam legitimo, fieri poſſe negavit. Quae decreta ipſe Eugenius Papa confirmavit.

§. CCCCL. Accedant denique Doctorum hujus ſeculi teſtimonia, ſive ante concilia illa, ſive iis ſtantibus, ſive poſt edita, quae ſtrictim recenſebo. Primum locum meretur *Johannes Gerſon*, variis hac de re ſcriptis opuſculis, et habitis ſermonibus; uti de *auferibilitate Papae ab Eccleſia*, *de modis uniendi ac reformandi Eccleſiam*, variae Orationes in Synodo

do Constantiensi habitae, tractatus de *potestate Ecclesiastica*, seu origine juris et legum, nec non tractatus, cui titulus: *quomodo, et an liceat in causis fidei a summo Pontifice adpellare?* denique *libellus*, vel dialogus apologeticus, nec non liber de *examinatione doctrinarum.* In his aliisque tractatibus demonstrat illustris Cancellarius, Christum supremam contulisse potestatem in Ecclesiam universalem, eam vero repraesentare concilium generale, adeoque illud esse supremum et infallibile tribunal. Eandem doctrinam tenuit, et inculcavit, *Petrus de Alliaco*, variis in tractatibus, uti in *Oratione*, quam, cum Doctor Theologiae crearetur, habuit in *laudem Scripturae S.*, nec non in dissertatione, cui titulus, de *officio Inperatoris, Papae, et reliquorum membrorum concilii Constantiensis*, denique in *monitis de necessitate reformationis Ecclesiasticae in capite et membris:* ut et in tractatu de *Ecclesiastica potestate.* Idem ursit *Stephanus* de *Praga* (alias Stephanus Pelez, Theologus Pragensis, et Hussi adversarius, qui concilio Constantiensi interfuit, ut existimat L'Enfant, hist. istius concilii p. II.) in Oratione isto in concilio habita, de *maturanda Ecclesiae emendatione*, in Actis Constant. Hardtii, tom. I. Eodem etiam tendit *Mauritius de Praga*, celebris Theologus Pragensis, in dissertatione, *utrum plenitudo potestatis Ecclesiasticae resideat in solo Romano Pontifice?* vid. P. de Alliaco de *potestate Ecclesiastica* p. III., nec non in Oratione, de *Ecclesiastico statu in concilio Constantiense mature reformando:* ibid. apud Hardtium.

§. CCCCLI. *Franciscus Zabarella*, Florentinus Cardinalis, membrum istius concilii, Ecclesiae reformandae serio intentus, inter alia scripsit tractatum de *schismatibus autoritate Inperatoris tollendis*, quo Paparum mores non tantum acriter perstrinxit, sed et eos, aeque ac ceteros homines, esse erroribus obnoxios, arguit, ac Inperatoris et concilii generalis judicio subjectos. Qui libellus videtur ab eo diversus, quem actis Constantiensibus inseruit Hardtius: ubi etiam aliud ejus opusculum, ejusdem tenoris, exstat de *Ecclesiae reforma-*

*reformatione.* Papam concilio ſubeſſe *in his, quae fidem et ſtatum Eccleſiae univerſalem concernunt*, probavit quoque *Simon de Cremaudo*, Archiepiſcopus Rhemenſis, et dein Cardinalis Preſbyter, membrum quoque iſtius Synodi, in epiſtola de *unione Eccleſiae;* in theſauro Anecdot. Martene tom. II. *Benedicti Gentiani*, Monachi S. Dionyſii, et Academiae Pariſienſis ad concilium Conſtantienſe legati, ſuperſunt apud Hardt. l. cit. tom. II. *monita* de *concilio Conſtantienſe* continuando, quibus Inperatorum, et Conciliorum generalium, poteſtatem in Papas adſtruit. Inter opera *Nicolai de Clemangiis* exſtat *diſputatio ſuper materia concilii generalis*, in qua et illud occurrit ſingulare, quod ne generali quidem concilio privilegium infallibilitatis tribuat. *Theodoricus* quoque *de Niem*, praeter alia opera, ſcripſit quatuor libros de *ſchiſmate Univerſali;* in quibus Paparum infallibilem autoritatem deſtruit, Inperatorum, et conciliorum in Papas poteſtatem defendit. Celeberrimus Jureconſultus *Nicolaus Tudeſchus*, Archiepiſcopus Panormitanus, tractatum quoque de *ſuperioritate concilii* ſupra Papam conpoſuit, de quo vid. Cave in hiſt. litter., ſed ſibi non conſtat. Vid. L'Enfant. hiſt. Huſſit. et concilii Baſil. p. II. Denique addo, integras nationes, et Academias, eandem conciliorum generalium ſuperioritatem defendiſſe. *Pariſienſis*, poſt Johannis XXIII. fugam, obtulit Synodo per legatos *poſitiones duodecim* hanc in rem, inſertas Actis Hardtii. Ita quoque cenſuit illuſtre *Reformatorum collegium*, ex omnium nationum eruditis viris, juſſu concilii Conſtantienſis, compoſitum, quod communia de *reformatione* condidit *ſtatuta*, ibid. apud Hardt., inter quae occurrit, Papam non tantum haereſis cauſa, ſed et in aliis caſibus, privari poſſe dignitate Papali, et conciliis ſubeſſe generalibus. Idem fecit *natio Germanica*, oblato, publico Germanorum nomine, libello de *articulis juxta decretum Synodi Conſtantienſis reformandis*, ibid. apud Hardtium.

§. CCCCLII. Hae theſes de limitata et inferiore Paparum

poteſtate,

poteſtate, quamvis, ut ex dictis patet, fuerint vulgatiores longe: non defuerunt tamen, ſed qui vix numerum faciunt, et paſſim ſunt reprehenſi, qui Paparum autoritatem et dominium mire, etiam ſupra ſupremas poteſtates politicas, ac Concilia generalia, extulerunt: cujus tenoris ſunt *ſcripta* quaedam *anonyma* contra Jacobum de Muſa, vel Jacobellum, eximium illum communionis ſub utraque ſpecie in Euchariſtia adſertorem; *actis Conſtantienſibus* tom. III. inſerta: quibus inter alia adfirmatur papatum habere *ſummum dominium univerſi poſt Chriſtum, et ejus autoritatem eſſe caput omnium autoritatum poſt Chriſtum in mundo.* Quae, et quorum ſimilia, effata, et loca, alia ſtudioſe collegit Petitdiderius in diſſert. hiſt. et Theol. de *concilio Conſtantienſi.* Eundem in modum probare conatus eſt Johannes, Patriarcha Antiochenus, in ſcripto, eidem concilio oblato, Papam non ſubeſſe concilio generali, et concilii ſtatuta fieri debere nomine Papae, quippe a quo virtus et autoritas concilii dependeat. Memorat quoque P. de Alliaco, in prooemio libri de *Eccleſiae autoritate*, ut et J. Gerſon *de poteſtate Eccleſiaſtica*, nonnullos Paparum *adulatores, qui ipſis adtribuunt primariam autoritatem, dominium et poteſtatem inmediate a Chriſto profectam, in temporalibus bonis, non ſolum Eccleſiae donatis, ſeu aliis juſte acquiſitis, ſed etiam Principibus ſecularibus ſubjectis*, ita ut, ſicut Chriſto data eſt poteſtas omnis in coelo et terra, ita ipſe eandem Petro et ſucceſſoribus reliquerit. Quas propoſitiones viri laudati ſevere perſtrinxerunt. Interea, quod non licet premere, ſimilem ſibi poteſtatem in temporalia Regum et ſupremorum Principum forte adrogarunt concilia generalia, Conſtantienſe, Baſileenſe, praeter Senenſe, cum poenas privationis dominiorum, jurium, ac bonorum temporalium, in quoſcunque contraventores decreverint, licet *inperiali et regali praefulgeant dignitate.* Quod neſcio an, quod Natalis Alexander contendit, ad eos reſtringendum ſit, qui Eccleſiae jure feudi ſunt ſubjecti, et reſpectu bonorum feudalium ca-

 piendum.

piendum. De quo quicquid ſit, illud certum eſt, poteſtati Papali in temporalibus ſeſe oppoſuiſſe, praeter memoratos autores, *Antonium de Roſellis*, utriusque juris Doctorem, et Eugenii IV. Oratorem ad concilium Baſileenſe miſſum, ſed poſtea Frederico III. a ſecretis. Condidit ipſe opus, *Monarchiam* dictum, de poteſtate Inperatoris et Papae, quo multis evincit, Papam non praeeſſe in temporalibus, nec gladii poteſtatem habere, imo nec ſupra reliquos Epiſcopos poteſtatem. Exſtat opus apud Goldaſtum de *Monarchia*, et ſeorſim editum. Denique *Guillelmus Lendwood*, Anglus, poſt alias dignitates Epiſcopus Meneveuſis, ab Henrico VI. ad Synodum Baſileenſem legatus, obtulit, nomine Regis, in iſto concilio *adpellationem* contra Paparum faſtum, et adrogantiam, ſimul denunciavit, Regem in temporalibus nullum agnoſcere ſuperiorem. Vid. de ipſo Warton ad Cave Script. Eccleſ.

§. CCCCLIII. Huc cum *ſanctio pragmatica* Regni Gallicani, hoc ſeculo introducta, qua libertatis Gallicanae fundamenta ſunt jacta, quoque pertineat, ejus aliqua danda hoc loco eſt notitia. *Sanctio* legem denotat, et *pragmatica* id, quod fieri et praeſtari debet. Quae loquendi forma, et hoc genus conſtitutionum, originem debet Ludovico IX., dicto *ſancto:* qui ſec. XIII. pragmaticam edidit ſanctionem, pro *libertate* Eccleſiarum Galliae. Vid. tractatus de *libertate Eccleſiae Gallicanae* tom. II. Eſt autem *ſanctio* haec *pragmatica* edictum publicum, quo ſuperioritas concilii ſupra Papam, jus regaliae in beneficia Eccleſiaſtica, aliaque adfinia, ſunt definita, contra praetenſiones curiae Romanae. Deſumta vero eſt ex decretis concilii Baſileenſis, ſed cum aliqua modificatione, quam ſtatus Regni requirebat, ſalva concilii autoritate. Confecta autem eſt in conventu Principum et Praelatorum regni, coacto Avarici Biturigum a. 1438., praeſide Rege Chriſtianiſſimo Carolo VII. Continet triginta tres articulos, et vulgata eſt a Coſma Guimiero; et exſtat quoque *Commentariorum Cleri Gallicani*

tom. II., hiſtoriam vero ejus, et *Concordatorum*, tradidit Benſonius, advocatus Pariſienſis. Tulit quidem hanc pragmaticam aegerrime Eugenius Papa, teſtibus ejus litteris ad Carolum VII. apud Raynaldum: ſed obtinuit nihilominus, et vim per viginti fere annos habuit, uſque ad Pium II. Pontificem factum, qui omnem ad eam abolendam movit lapidem, eo cum ſucceſſu, ut abolitionem a Ludovico XI. inpetraverit a. 1461.; repugnante tamen Senatu Pariſienſi, qui ejus defenſionem, lectu dignam, Regi obtulit a. 1465. Nec deſiit ſanctio in uſu eſſe, exceptis *reſervationibus et gratiis exſpectativis.* Imo poſtea eſt ſolenniter renovata ſub Carolo VIII. et Ludovico XII.: unde novae ſunt ortae lites. De quo ad ſec. ſequens.

§. CCCCLIV. Supereſt, ut de *Annatis*, quae ad eam ſanctionem quoque pertinent, et de quibus hoc etiam ſeculo actum eſt, aliquid hac occaſione, ſed breviter, moneam. *Annatae*, ſecundum definitionem Cangii in gloſſario, ſunt *reditus unius anni, ab eo, qui recens, in demortui Epiſcopi aut Abbatis locum, ſuccedit, exſolvi ſummo Pontifici ſolitus, ob proviſionem, vel ordinationem.* Diſtinguendae itaque ſunt a *jure regaliae*, quippe verſato circa beneficia vacantia, et reditus durante vacatione; cum annatae propter conſtitutionem et ordinationem. Diverſae quoque ſunt a *reſervationibus fructuum vacantium beneficiorum*, quae etiam, quia et quamdiu vacabant beneficia, locum habuerunt. Epiſcopi nimirum, conceſſu Pontificis, aliquando, vel pro relevatione oneris debitorum, vel aliam ob neceſſitatem, ſive veram, ſive fictam, ſibi vacantium beneficiorum fructus conſervabant ad certum tempus, quae propterea tam diu vacabant, quamdiu fructus percipiebant Epiſcopi. Qualis mos a ſeculo XII. jam obtinuit. Ipſi Papae ſimile quid aliquando ſibi adſeruerunt, ut Clemens V. in Regno Angliae, teſte Mathaeo Weſtmonaſterienſi, ſed ibi tantum ad breve tempus, nec non Johannes XXII., qui ſibi *reſervavit*, uſque ad triennium omnium *praebendarum Eccleſiarum parochialium et Ca-*

*pellarum*, quae intra illud temporis spatium vacarent: ut ejus constitutio habet III. lib. *Extravagantium communium*, tit. de *praebendis et dignitatibus*. *Annatae* vero, sic proprie dictae, de quarum origine, praeter alios, legi meretur Frebonius ICtus, vir Catholico Romanus, de *statu Ecclesiae*, seu *primatu Papae* etc. cap. VII., qui etiam de querelis nationum super illis nonnulla protulit, *annatae*, inquam, illae originem a *muneribus* repetunt, quae pro constitutione et ordinatione olim solvi solebant, secundum quantitatem redituum beneficiorum: cujus consuetudinis indicia et exempla jam olim fuerunt seculo V. et VI. Ipsi Papae ejusmodi tributi, vel *honorarii*, genus receperunt pro collatione et ordinatione eorum, qui Romae consecrabantur; ut ex *vitis* Pontificum, quae Damaso Papae tribui solent, patet. Meminit etiam ejus Gulielmus Durandus in libro de *modo concilii Generalis celebrandi*, paulo ante Synodum Viennensem sec. XIV. edito. Cum autem tempore Bonifacii IX. quaevis fere beneficia conferri solerent a Papis, omnesque propterea collationes Romam essent tractae, ipse, exemplum vetere illa consuetudine praebente, annatas in novam redegit formam a. 1302., constituens, ut qui beneficium a Papa consequerentur, dimidium annui proventus persolverent fisco Apostolico: quare ille primus a Platina dicitur annatarum usum inposuisse beneficiis Ecclesiasticis; addit, hanc consuetudinem omnes recepisse praeter Anglos, qui ad Episcopatus restrinxerunt. Quantae opes hac ratione in fiscum Apostolicum confluxerint, facile patescit.

§ CCCCLV. De his annatis, ut et de reservationibus fructuum vacantis beneficii, aliisque similibus rebus actum est, tanquam de capite reformando, in concilio Constantiensi; est autem de *annatis* acriter disputatum, dum earum abolitionem urgerent Gallicani. Cardinales vero se opponerent: et *Reservationes* quidem sunt a concilio reprobatae, sed de Annatis nihil est conclusum. Eadem quaestione in concilio Basileense agitata, decretum est sessione XII. et

XXI.,

XXI., Papam pro confirmatione electionum, et provisione nihil quidem exigere debere, attamen Papis alio modo providendum esse. Cum vero hoc non fuerit praestitum, continuarunt annatae. Confirmatae quoque sunt per *concordata* nationis Germanicae, sed restrictae, secundum Bonifacii IX. constitutionem, ad ea beneficia, quae a sede Papali conferebantur. Decretum denique concilii Basileensis hac parte confirmavit sanctio pragmatica Caroli VII., concessa nihilominus Pontifici collatione pecuniae ex annuo beneficiorum reditu decerptae, ad Papali sedi subveniendum. Ceterum, annatas praeferre Simoniae speciem, judicarunt Basileenses et Gallicani, maxime cum per bullarum retentionem Praelati ad eas solvendas cogerentur. Illud certum est, earum esse posse, et fuisse etiam, maximum abusum.

§. CCCCLVI. Passa est autoritas Papalis, ut tandem historiam Papalem concludam, hoc seculo notabile detrimentum, partim per funestum illud schisma, indeque ortas varias de ea disputationes, et mutuas excommunicationes, partim per Synodorum generalium autoritatem supra Papas evectam, partim per eorum depositiones, et spreta eorum fulmina ac anathemata. Praeterea incredibilis fuit aulae Pontificiae et Paparum corruptio, teste superiore historia, et communi omnium querela: quare tantopere urgeri coepit reformatio in Capite et membris. Vid. etiam *aureum speculum*, in *fasciculo rerum fugiendarum et expetendarum* tom. II. Notabilia admodum sunt, quae non possum quin proferam, verba, quae in vita Petri Castellani, magni Franciae eleemosynarii, per Petrum Gallandum scripta, et a Baluzio edita, occurrunt: *memini*, dicit autor vitae ejus, *Castellanum, cum Romanorum Pontificum supinas libidines, avaritiam, et rapacitatem, religionis contemtum, superbiamque Cardinalium, luxum et ignaviam, nundinationes, cauponationes, et flagitia reliqua aulicorum Romanensium, describeret, et cetera, quae Romae vidisset, commemoraret, ita animo concitari consuevisse, ut toto corpore commoveretur.* Addit autor, Castellanum sibi

saepe dixisse, *persuasissimum sibi esse, Pontifices ex animo Christum non colere, quae autem in religione facerent, retinendae dominationis causa, veluti larva, ad fallendum opposita, egregie simulare*; et quae alia similia ibi sese offerunt.

§. CCCCLVII. De reliquis Clericis nihil aliud habeo, nostra animadversione dignum, quam, electiones Episcoporum a Papis sibi fuisse vindicatas per *reservationes*, quibus per litteras Apostolicas non solum inferiorum beneficiorum, sed et Cathedralium, ac Metropolitanarum, Ecclesiarum collationes sibi reservabant. Unde maxima ubique confusio, ingens indignorum Praelatorum copia, sed simul maxima Paparum autoritas, exorta est. Insurrexerant in hanc usurpationem jam seculo XIII. Angli, ut Matthaeus Parisiensis refert a. 1231., sed hoc seculo contra eas edicta promulgavit Carolus VI., quae Carolus VII. confirmavit, Basileensis Synodus eas e medio tollendas decrevit, sicut et Pragmatica sanctio. Cujus cum abrogatione cessarunt quoque tempore Francisci I, et Leonis X. seculo sequente, liberae, et secundum antiquos canones, electiones per *concordata*, ita tamen, ut jus nominationis ad Praelaturas fuerit Regibus Christianissimis relictum. Per *concordata* vero Germanica, inter Nicolaum V. et Fredericum III., modus quidem *Reservationibus* est constitutus, sed earum usus verius est confirmatus, quam restrictus.

## DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

§. CCCCLVIII. Historiam conciliorum Generalium, Pisani, Constantiensis, Basileensis, et Florentini, cum, quantum scopo sufficit, in vitis Paparum pertexuerim, uno alterove circa *disciplinam* observato defungar. Officium *Inquisitionis*, a. 1327. jam in *Polonia* institutum a Johanne XXII., hoc, seculo confirmatum, et amplificatum est, a Rege Poloniae Uladislao Jagello, qui Inquisitoribus amplissimam concessit potestatem, simul Magistratibus auxilium ipsis praestandum praecepit.

praecepit. Vid. Bzovius a. 1327. In regno *Valentino*, ubi antea per Vicarios tantum et Commiſſarios exercebatur ſacrum officium, proprium eſt introductum per Martinum V., ad poſtulatum ipſius Alphonſi Regis, ut Judaei ſcilicet et Mauri majore cum ſucceſſu converterentur, verius opprimerentur. Quod factum eſt a. 1429. Vid. Bzovius. Sed in primis memoranda eſt Inquiſitio *Hiſpanica*, hoc tempore per totam Hiſpaniam propagata, ampliore quoque pompa, et autoritate, ſupra alias omnes terras, ornata ac munita, ut Mauros et Judaeos exſtirparent, et Papae favorem demererentur. Obtinuerat quidem antea per varia Hiſpaniae regna, ſed non omnia, ut Caſtellam et Legionem, niſi forte ibi in deſuetudinem venerit, ſed, variis illis regnis per conjugia hoc ſeculo unitis, Tribunal hoc infernale, a. 1478. ubique eſt ſtabilitum, ita tamen, ut primus Inquiſitor Generalis, et ſupremus Inquiſitionis Senatus, a. 1483. demum locum acceperit. Fuit autem primus ille Inquiſitor Generalis Tomas Turrecremata, ex Ordine Praedicatorum. Fuit quidem illud officium in initio Franciſcanis et Dominicanis demandatum, ſed poſtea ad Clericos ſeculares, tanquam decretorum et legum peritos, devolutum eſt. Quam miſeranda ab eo tempore fuerit inprimis Judaeorum et Maurorum ſors, ex hiſtoria nemini non notum eſt. Omnium quoque eo in regno ſeveriſſima, quin diabolica, eſt inquiſitio, adeo, ut nemo contra Catholicam religionem ibi hiſcere audeat. Nec tamen inter Neapolitanos unquam introduci potuit, quippe ab ea nimium abhorrentes. Vid. Epiſtola Triſtani Caraccioli de *Inquiſitione* inter ſcriptores Italiae Muratorii tom. XXII., et ex recentioribus eximius hiſtoricus Giannone in hiſtoria Neapolitana, lib. XXXII.

§. CCCCLIX. Quemadmodum Inquiſitio in variis regionibus eſt vel erecta, vel confirmata, ſic in aliis, ubi erat, horrendum in modum ſaeviit et graſſata eſt, uti in Delphinatu, Flandria, Arteſia, et alibi terrarum. *Waldenſes* in *Delphinatu* cum, conniventibus Proceribus, tranquille dege-

rent, et indies multiplicarentur, Carolus Rex Galliarum, Gregorio Papa instigante, misso administro ad Proceres reprimendos, et Inquisitores adjuvandos, horrendis eos objecit vexationibus, ita ut carceres vix caperent eos, et facultates iis alendis vix sufficerent. Quare novos jussit exstrui carceres Papa, et indulgentias concessit fidelibus, qui stipem ad id conferrent. Vid. Raynaldus a. 1475. In *Flandria* vero et *Artesia* saeviit sacrum hoc officium in eos, qui Magiae, et occulti cum Satana initi pacti, accusabantur, qui, ut Waldensibus etiam crearetur invidia, Waldenses adpellati sunt. Confessi autem miseri hi homines sunt, vi tormentorum adacti, quicquid volebant carnifices, ex. gr. quod sese devovissent Satanae, illum adorassent, imo cum ipso carnaliter essent commixti: quae tamen postea, ad rogum damnati, revocarunt. Accidit illud a. 1461. Vid. Boxhornius hist. Belgica. In Gallia saevitum est in Picardos, et Waldensium reliquias, et dein a Ludovico XII., Rege Galliae, milites sunt inmissi in Merindolenses, et Caprarianos, Albigensium reliquias. De quo postea suo loco. Quam sortem subierit Hieronymus Savanarola supra narravi, quae Johanni Husso, et Hieronymo Pragensi, ac Hussitis evenerunt, mox referam in eorum historia. Hic verbo addo, circa tempus concilii Pisani combustum esse, caussa haeresios, *Burginum* aliquem Beguinum. De quo vid. Lenfant concil. Pisan. p. I.

§. CCCCLX. Restat verbo dicendum de inpio dogmate, *haereticis non esse servandam fidem*, quod a Synodo Constantiense censetur sancitum, ad disciplinam quippe pertinens. Cum Inperator Sigismundus salvum dedisset Johanni Hus conductum in plena forma, ipseque, eo non obstante, fuerit a Concilio in carcerem inmissus, et brachio seculari ad comburendum traditus, quae notissima est res facti, negari utique nequit, nullam salvi conducti rationem a Synodo fuisse habitam: sed facto non tantum, verum ipsius Synodi decreto, demonstratum est, ejusmodi securitatis litteras

nihili

nihili esse faciendas. Decreti, vero sessione XVII. facti, duae sunt partes, quarum *una* habet, Inperantes seculares, quocunque sese haereticis obstrinxerint vinculo, inpedire non posse, quo minus Magistratus Ecclesiasticus contra eos procedat, eosque puniat, adeoque salvum conductum eorum nullum Ecclesiae adferre praejudicium, quippe cujus diversum, etiam superius, sit tribunal; *altera* vero pars continet, ne ipsos Inperantes, qui securitatem promiserunt haereticis, amplius manere obligatos, *si, quod in ipsis est, fecerint*, hoc est, si intercesserint, et haereticos ad obediendum Ecclesiae conati fuerint omni ope permovere: quod si efficere nequeant, eos non esse obligatos exsecutionem sententiae tribunalis Ecclesiastici valida manu inpedire, quin contra teneri punire, quos tribunal illud damnaverit. Unde, ni fallor, manifestum est, quicquid contra disputent nonnulli Catholico-Romani, inpium, omnique divino et humano juri contrarium, dogma, *de fide haereticis non servanda*, directe a Synodo fuisse stabilitum respectu tribunalis Ecclesiastici, quod fide a seculari potestate data non necesse habet stare, indirecte vero ipsorum Inperantium respectu, qui fidem dederunt, cum illi processum Ecclesiae non debeant inpedire, sed, tanquam exsecutores ejus sententiae, punire debeant haereticos. Accedit, Hispanos, sine ulla dissimulatione, adserere, haereticis fidem nullo modo esse servandam, forte quod haeresis, secundum illos Doctores, omnem nexum naturalem et civilem tollat. Vid., praeter Limburgium hist. Inquisit. l. III. c. 12., Buddeus de *concordia religionis Christianae, et status civilis*, ubi et alia profert testimonia, et Boehmer Jur. Eccles. l. V. tit. 7. Quid? quod eadem doctrina jam diu antea viguerit in Ecclesia Catholico-Romana, ut ex Innocentii III. facto, quo subditos Raymundi absolvit fidelitate, elucescit. Ratio enim haec datur, *quia, juxta S. Patrum canonicas sanctiones, ei, qui fidem Dei non servat, fides servanda non sit*: ut habet Petrus Vallis Cernai hist. Albigensium cap. VIII. Ipsum concilium

Constantiense dedit Hieronymo Pragensi salvum conductum cum hac clausula, *justitia semper salva:* qui purus putus fucus est.

## VITA ET MORES.

§. CCCCLXI. Ordines Monachorum, hoc seculo vel institutos, vel reformatos, recensere, cum a nostro instituto alienum sit, nec etiam necessarium, uno alterove celebriore contentus ero. *Minimorum* Ordo, a Francisco de Paula fundatus a. 1467. et a Sixto IV. Papa confirmatus, est a. 1474., sub nomine *Eremitarum S. Francisci.* Regulam vero, ab ipso compositam, sanciverunt deinceps Alexander VI. et Julius II. initio sequentis seculi, qui et jusserunt, ut vocaretur *Ordo Minimorum fratrum Eremitarum fratris Francisci de Paula.* Regula strictissimam continet abstinentiam, non a carnibus tantum, sed et piscibus, ac coctis cibariis. Franciscus autem summa sanctitate, et, pro more seculi, devotione, fuit hoc seculo famigeratissimus, Papis, Regibus, ac Principibus summo in honore, in primis Regi Christianissimo, inter sanctos quoque a Leone X. relatus. Vid. Philippus Cominaeus in hist. Ludovici XI. lib. VI. Ordinem Eremitarum *discalceatorum* S. Augustini instituit Baptista Poggius, Carolo VII., pietatis et doctrinae causa, gratissimus: confirmavit vero Sixtus IV. a. 1474. Vid. Raynaldus Orti etiam sunt duo *Monialium* Ordines, alter *conceptionis* Mariae Virginis, cujus autor fuit Beatrix a Silva, nobilis virgo Lusitana, Toleti in Hispania, et adprobator Innocentius VIII. a. 1489., alter *Annunciatarum* Mariae Virginis, quem instituit Avarici Biturigum Johanna Valesia, Francorum regina, et filia Ludovici XI. a. 1501., regulam composuit confessionarius ejus Gilbertus Nicolai, Ordinis Minorum Professor, quae decem primarias Mariae virtutes, in harum Monialium exemplum, praescribit. Denique floruit in Helvetia a. 1480. Eremita, illiteratus quidem, sed veritatibus salutaribus

lutaribus probe instructus, vere probus, et ad antiquissimorum normam, *Nicolaus* Eremita Underwaldensis, qui, uxore, decem ex ipso liberorum matre, relicta, in solitudinem secessit, et viginti unum annos vixit, sine cibo fere et potu; nec cessavit Helvetios ad poenitentiam ac concordiam excitare, simul, ut exterorum Principum foedera vitarent, admonere. Vid. Hospinianus de Monachis l. II. c. 4.

§. CCCCLXII. Vitae morumque respectu fuit summe deploranda Ecclesiae conditio, sive ejus membrorum, sive Praelatorum, et Monachorum, in specie aulae Pontificiae cum Papis, habeatur ratio: quare una omnium fuit vox, reformatione in capite et membris opus esse, et concilia, supra memorata, eum in finem celebrata sunt: sed quae nihil aut parum adtulerunt remedii, Papis etiam omnes conatus eludentibus. Exstant de corruptissimo hoc statu Ecclesiae, et omnium Ordinum, variae querelae, variique sunt conscripti tractatus. In eum enim declamarunt Johannes Gerson, qui de *reformatione* Theologiae tom. I. sine horrore vix legi potest, Nicolaus de Clemangiis, Theodor. Uriae, Theodor. de Niem, Gobelinus Persona, Henricus de Hassia, Petrus de Alliaco, Andreas Craynensis, aliique, supra suis locis recensiti. Vid. et *aureum speculum* in *fasciculo* rer. fug. et expetend. tom. II., nec non sermones in Concilio Constantiensi habiti, ex quibus quaedam excerpsit Schelhorn *amoenit. litter.* tom. III. et Martini Senging oratio in concilio Basileense, contra vitia Benedictinorum, in Pezii *Bibliotheca Ascetica* tom. VIII. De corrupto Angliae statu scripsit Richardus Ullerston, Theologiae Professor Oxoniensis, ex quo quaedam exhibet excerpta Warthon ad Cave de *scriptoribus Ecclesiast.* Verba Archiepiscopi Genuensis P. Marini, apud L'Enfant. concil. Pisan. p. I., quibus mala et vitia, e schismate Papali orta, enarrat, sunt valde emphatica. Dicit, inter alia, *Ecclesiam Romanam non jam matrem, sed novercam effectam, tyrannidem in Clero, concussionem Ecclesiarum, excitationem jurgiorum et litium, elisionem Cleri et*

 *populi,*

*populi, suppressionem Ecclesiasticae libertatis, abjectionem totius honestatis — — — virtutis vilipendium, probitatis contemtum, scientiae neglectum, vitiorum cumulum, — — — stupra, homicidia, furta, inimicitias, Ecclesiastica quaeque venalia, nefanda omnia licere, et publice inpressisse.* Denique Epistola hoc seculo prodiit nomine Diaboli, ad Pontificem et Clerum Romanum, qua diabolica Ecclesiae istius facies vivis depingitur coloribus. Exstat in *Tempe Helvetica* tom. VI.

## HAERESES.

§. CCCCLXIII. Haeresis, sic dicta, *Bohemica*, hoc seculo orta, quae ingentes peperit et mirabiles motus, nostramque ante omnia meretur animadversionem, hoc ordine describenda est, ut Johannis Hussi, et Hieronymi Pragensis, qui primi fuerunt autores haeresios, enarrem vitam et fata, quibus Jacobellus addendus est, dein de bello Hussitico, et motibus inde ortis, agam, denique puriorem Ecclesiam Bohemicam, post illos motus enatam, depingam. *Johannes Hus*, nomine a pago Hussenitz in Bohemia, unde est ortus, tracto, quod lingua Bohemica quoque *anserem* denotat, in Academia Pragensi litteris institutus, artium liberalium baccalaureus, et magister Philosophiae, creatus, tandem sacerdos, et concionator Templi Bethlemitici Pragae a. 1400. factus, verbum Dei coepit purius exponere, et in varios Ecclesiae Catholicae, seu dominantis, in primis Paparum, abusus declamare, vestigia Wiclefi Angli premens, cujus libros Bohemi quidam, qui Oxoniae studuerant, Pragam detulerant, et Hussus studiose legerat. Nec operam lusit, quia Papistici abusus in omnium incurrerant oculos, intoleranda in specie indulgentiarum nundinatio omnium offenderat animos. Erant enim indulgentiae a Bonifacio IX., occasione Jubilaei a. 1400. publicatae, omnium profusissimae, missis praeconibus, et Bullis vulgatis, quibus inter alia fuit propositum, animas eorum, qui in itinere Romam morerentur,

rentur, ſtatim in coelum ſubvolare. Quod Lutherus quoque memoravit ad calcem litterarum *Huſſi*, editarum a. 1537. Haud parum eo etiam contulit, quod e Bohemia, viciniſque oris, plures ſe conferre fuerint ſoliti ad Waldenſes, ſeu Lombardos, tanquam ad ſcholam, vel Academiam, quandam; uti certis teſtimoniis demonſtrarunt David Chytraeus, Flacius Illyricus, Comineus, et alii. Acceſſit denique, quod ante Johannem Hus nonnulli varios Eccleſiae abuſus jam perſtrinxerint, uti *Johannes Militzius*, canonicus et concionator Pragenſis, occaſione ſubducti calicis euchariſtici, ſub Gregorio IX. Papa. Habuit autem in hoc opere Johannes Hus fidum admodum et ſtrenuum adjutorem Hieronymum Pragenſem, doctrina et eloquentia praeſtantiſſimum virum, teſte AEnea Sylvio, in *faſciculo rer. expet. et fug.*, et Poggio Florentino in epiſt. ad Leonardum Aretinum de *morte Hieronymi*, ibidem. Studiis autem operam dederat Lutetiae Pariſiorum et in praecipuis Galliae, ac Germaniae Academiis. Omittendus quoque non eſt *Jacobellus*, praecipuus belli pro utraque ſpecie ſacramenti autor. De quo poſtea.

§. CCCCLXIV. Primos et acerrimos nactus eſt adverſarios *Teutonicos* in Academia Pragenſi, maxima pollentes in ea poteſtate, cum tria penes eos eſſent ſuffragia, et unum tantum penes Bohemos: ſed quibus difficultatibus ſeſe brevi expedivit, cum apud Wenceſlaum Regem, a Bohemis adjutus, effecerit, ut, juxta fundationem Academiae a Carolo IV. Inperatore, et ad Pariſinae Scholae exemplum, tria ſuffragia fuerint indigenis Bohemis conceſſa, uno relicto Teutonicis, qui, propterea indignati, inde uſque ad quinque millia ſeceſſerunt Lipſiam Miſniae, novam ibi aperturi ſcholam. Vid. narratio hiſtor. Jacobi Picolominei, deſumta ex lib. VI. commentariorum. Quibus Academia motis cum liberius in Primatum Papae, aliaque ſimilia, inveheretur, novos ſibi ſuſcitavit adverſarios, Clericos nimirum, et in primis Archiepiſcopum Pragenſem, qui dictus fuit Subinco, cognomine Lepus. Hic enim, Synodo coacta,

 a. 1408.,

a. 1408., et Academicis convocatis, Wiclefi libros, undiquaque conquisitos, condemnavit, et flammis tradidit, Johannem et Hieronymum concionandi munere privavit, eosque urbe excedere jussit. Sed et illo brevi mortuo, ad instituta sua reversi sunt illustres Concionatores, mox etiam in majus conjecti discrimen. Causa enim ad Papam Johannem XXIII. delata, qui in Hussum ideo jam exacerbatus erat, quod in publicatas indulgentias, et cruciatorum conscriptionem contra Neapolitanum et Siculum Regem Ladislaum, declamasset, a. 1411., tanquam opus Antichristi; Cardinalis de Columna, Legatus Papae, cui hoc judicium erat commissum, diem dixit Husso, quo coram Papa se sisteret Romae. Quod cum ipse Wenceslaus, itineris periculum caussatus, deprecatus esset, Hussus etiam detrectaret, missis Romam procuratoribus, condemnatus est ut haereticus et contumax; sed a Papa ad Deum et Christum provocavit: quae formula provocationis est *historiae* Hussi tom. I. inserta. Accessit a. 1413. condemnatio ejus a Facultate Parisiensi, praecipuo autore Johanne Gersone; ubi inter capita, quae censuram eam pepererunt, ipsa illa adpellatio, tanquam temeraria, et adrogantiae plena, locum tenet.

§. CCCCLXV. Quo cum res esset in statu, indicta est, Synodus Constantiensis a. 1414., ad quam jussu Inperatoris, ejusque salvo conductu munitus, tetendit Hussus, nobilium Bohemorum comitatu stipatus, ut se ab omni haeresi purgaret, suamque fidem contra quoscunque defenderet. Quo fini, Pragae litteris Templorum valvis adfixis, et per urbes celebriores, publice iter suum Constantiam notificavit, omnesque citavit, si quid contra fidem suam haberent. Venit hoc animo Constantiam, hostibus ejus gaudentibus, eique insultantibus, *jam te in nostra habemus potestate, unde non exibis, donec persolveris extremum quadrantem.* Expertus quoque mox est eorum furorem, non obstantibus litteris securitatis Sigismundi, licet ab ipso Papa confirmatis. Cum enim nobiles Bohemi a Papa salvi conductus Inperatoris confirmationem

firmationem petiissent, Papa dixisse fertur, *etsi Johannes Hus fratrem germanum occidisset, tamen se illud nullo modo commissurum, quantum in ipso situm, ut aliqua ei fiat injuria, quamdiu Constantiae futurus sit.* Adversarii vero eum arte in potestatem redegerunt, cum viginti sex dies tantum ibi fuisset, effeceruntque, ut teterrimo carceri, latrinae proximo, fuerit mancipatus, unde gravissimo correptus morbo per Papae medicos est sanatus. Postea, Johanne Papa sese cum suis subducente, Hussus trans Rhenum in arcem deportatus, et novo in carcere compedibus vinctus est, quando articuli accusationum contra ipsum prolati sunt, et inauditus fuisset condemnatus, nisi Sigismundus et Nobiles Bohemiae intercessissent. Comparuit quidem tribus vicibus in Synodo, sed justae defensionis locus ipsi non est concessus; inconditis enim clamoribus adeo fuit obrutus, ut verba vix potuerit facere. Cum falsas esse nonnullas accusationes diceret, regesserunt, accusatoribus potius quam ipsi credendum esse: conscientiam suam urgenti illuserunt, et obstinationem objecerunt: cum errores suos revocare se paratum declararet, modo sibi demonstrentur, ipsum spreverunt, et ut contumacem damnarunt. Tandem, quod animo jam conceperat Synodus, exsequi coepit. Sistitur Hussus coram Synodo a. 1415. die 6 Jul., damnatur, vestibus exuitur sacerdotalibus, gradibus Academicis privatur, veste papyracea et corona, caco-daemonibus picta, induitur, brachio seculari traditur, a Ludovico, Bavariae Duce, jussu Inperatoris, recipitur, et lictoribus ad comburendum committitur. Cum ad supplicium duceretur, libros suos pro foribus Templi comburi videns, subrisit, laeto et hilari animo porro procedens, Psalmos XXXI. et LI. cantavit, saepe dixit, *in manus tuas, Domine! trado Spiritum meum*, pro hostibus, quam truculentis etiam, oravit, palo adfixus se exemplo Domini consolatus est, rusticum ardente studio ligna adportantem ad rogum suum observans, dixit, *o sancta simplicitas!* ultima denique vox fuit, *Jesu Christe! fili Dei vivi, miserere*

 *mei!*

*mei!* Ita sancte et pie exspiravit. Cor inter intestina repertum, fustibus verberatum, dein acuto palo infixum, seorsim est assatum, cineres fuerunt in Rhenum projecti, *ne a Bohemis*, ut ait AEneas Sylvius, *reperirentur.* Ceterum Vaticinium ejus; *hodie torretis anserem*, (hus) *post centum annos cygnus*, (Luther) *veniet*, *quem torrere non poteritis*, cum in *relationibus vitae et mortis ejus*, a discipulis confectis, non reperiatur, dubiae est fidei, et post eventum videtur factum, occasionem forte praebentibus verbis ejus, quae epist. VI*ta* occurrunt, *sed quia anser animal cicur*, *avis domestica*, *suprema volatu suo non pertingens*, *eorum laqueos rupit*, *nihilominus aliae aves*, *quae verbo Dei et vita volatu suo alta petunt*, *eorum invidias conterent.* Quae scripsit, quo tempore, propter sententiam interdictionis in ipsum latam, Praga discedere debuit. Mortuus est ut antiquus martyr. anno aetatis quadragesimo secundo, variaque reliquit scripta, quae junctim prodierunt, una cum Hieronymi Pragensis opusculis, Norimbergae primum a. 1558., dein a. 1715. duobus vol. in fol., adjunctis etiam aliis monumentis historicis, quae ad ejus causam pertinent. *Relationes* vero de vita et morte ejus, a discipulo, qui praesens adfuit, confectae, exstant ad calcem *historiae Bohemicae* Camerarii.

§. CCCCLXVI. Ad haeresin ipsi inpactam pergam, postquam fidelissimi ejus socii, *Hieronymi Pragensis*, vitam et mortem strictim enarraverim. Vid. Ambrosius Camaldulensis l. XIX. epist. 16. in anecdotis Martene tom. III., Poggii Florentini epistola ad calcem hist. Bohem. Camerarii, et in *fasciculo rerum expetend. et fug.*, ac alibi, denique acta *concilii Constantiensis.* Audita Hussi oppressione, per Synodum Constantiensem, studio ipsi subveniendi latus, sese Constantiam quidem contulit, a. 1425., sed cum in itinere desperatam ejus causam percepisset, ut et sibi strui insidias, substitit, ac ab Inperatore et Synodo petiit salvum conductum; quo negato, pedem referre volens, suorum proditione

ne interceptus, et compedibus vinctus, Constantiam est abductus, nec meliorem subiit sortem. Catena ferrea in consessu comparens, mox furiosorum audivit clamores, *tollite, exurite.* Insurrexerunt in eum variarum Academiarum, quas visitaverat, delegati, qui turbas ibi ab ipso suscitatas objecerunt, in specie Johannes Gerson, quod negasset, *Deum posse creaturam annihilare.* Quare mox, non obstante ejus negatione et defensione, in carcerem est detrusus: ubi in fundo foetidae atque obscurae turris delituit dies 340., misere excruciatus: pedibus enim ferro cinctis, nec consistere potuit, nec decumbere, sed solo capite terram pendulus adtingebat, pane et aqua sustentandus. Quibus tormentis patientia fracta, simul magnis pollicitationibus tentatus, succubuit, seseque Synodo subjecit, errores abjurans, Hussum condemnans et Wiclefum, nec non in sedis Romanae, et Synodi, placita consentiens. Exstat juramentum ejus sessione XIX. Sed cum nihil inde retulisset, quam carceris mitigationem, dolorum prolongationem, et conscientiae stimulos, simul novis accusationibus ad novum examen et certamen vocatus, animo resumto, lapsum acerbe deploravit, et detestatus est, in Wiclefi et Hussi erupit laudes, accusatores confudit, seseque mira dexteritate, eloquentia, et promtitudine defendit, ita etiam, ut Poggio ingentem concitaverit admirationem, sed res ipsi fuit cum iniquissimis hostibus, bestiis saevissimis, sanguinem ejus sitientibus. Condemnatus itaque et ipse est, ac combustus, aeque ac Hussus, nec minore constantia, fiducia, ac laetitia, sese verum praestitit martyrem. *Stabat*, verba sunt Poggii, *inpavidus intrepidus, mortem non contemnens solum, sed adpetens, ut alterum Catonem dixisses.* Cum lictor ignem, ne videret, post tergum vellet injicere, *huc*, inquit, *accede, et in conspectu accende ignem: si enim illum timuissem, nunquam ad hunc locum, quem fugiendi facultas erat, accessissem.* Adtribuitur quidem ipsi simile, quod Husso, vaticinium, *ego vero post fata mea conscientiis vestris stimulum infigo et morsum, ac adpello ad cel-*

*sissimum aeque ac aequissimum judicem, Deum omnipotentem, ut coram eo, centum annis revolutis, respondeatis mihi*: sed cum acta, nec historici aequales, aliquid de centum annis habeant, in primis Poggius de iis taceat, qui citationem ad coeleste tribunal memoravit, et illud in dubiis ponatur.

§. CCCCLXVII. Accedo, vita et morte illustrium horum virorum succincte enarrata, ad condemnationis, et martyrii, eorum *causas* paulo adcuratius investigandas. Sententia damnatoria Hussi declarat, *eum esse manifestum haereticum, scandalosum et obstinatum, et incorrigibilem.* Quod posterius de obstinato animo ex eo facile falsi convincitur, quod ipse non tantum saepe contrarium fuerit protestatus, ac solidam petierit instructionem, sed nec instructio, ne quidem audientia, ipsi fuerit concessa, imo accusationes pro falsis habuerit, nec testes fuerint producti. *Haeresis* vero ejus quae qualisve fuerit ipsi inpacta, difficile est explicitu, cum doctrinae, tunc receptae, praecipua adhuc tenuerit capita, ex. gr. de communione sub una specie, licet sub utraque magis adprobaverit, quod ipsi quoque non est objectum, praeterea de transubstantiatione, licet forte paulo aliter intellexerit, de confessione auriculari, extrema unctione, aliisque sacramentis, eorumque efficacia, ut et de purgatorio, intercessionibus sanctorum, eorumque invocatione, imo imaginum cultu, licet non imagines, sed earum archetypa statuerit cultus objecta. Quae omnia capita tenuit, ut, praeter Natalem Alexandrum, demonstravit L'Enfant. hist. concilii Constant. l. III., ne alios memorem. Ipse quoque Hussus tantam causae suae, et orthodoxiae ejus temporis. praetulit fiduciam, ut nihil criminis sibi inputari cum ratione posse crediderit, nisi quod indulgentiis, a Johanne XXIII publicatis, contradixerit, et in munere, non obstante excommunicatione, continuaverit; denique a judicio Papae adpellaverit, in specie ad Christi tribunal, denique, quod post se reliquerit epistolam, in Ecclesia Bethlemitica lectam, cum ad concilium abiret, dixeritque, seculares licite

posse

posse manus inmittere in bona temporalia Clericorum. Sed haec nec tanti erant, nec deficiebant alii inter ipsos Orthodoxos, qui similia protulerunt. Attamen confessus est Hussus nonnunquam, se, progressu temporis, sperare majore gavisurum luce; adeo, ut falsitatem dogmatum receptorum nondum quidem perspexerit, sed in via fuerit, quae eo ducebat. Quid ergo ipsi tantum creavit odium? 1. quod Johannis Wiclefi scripta noluerit condemnare, quia vir erat pietate illustris, nec tantos in ejus scriptis observavit errores; licet omnia ejus placita nondum adsumeret. 2. Ecclesiam Romanam negaverit esse matrem, et caput Ecclesiae universalis; ut et Papam ac Cardinales esse necessarias Ecclesiae partes; Ecclesiam porro definiverit, *Ecclesiam sanctam universalem et unicam esse praedestinatorum universitatem.* 3. declamaverit sine ulla moderatione in corruptionem Papae, et Cleri universi, Papamque pro Antichristo habuerit. 4. Motuum Bohemicorum quoque praecipuus censitus fuerit autor. Accesserunt et alia, uti odium Germanorum, ab ipso Academia Pragensi, ut supra narravi, ejectorum, vid. Theodor. a Niem invectiv. in Johannem XXIII. in Actis Hardtii, Clericorum quoque in Bohemia, qui per Hussi conciones in contemtum inciderant publicum, praeterea *Nominalium*, qui concilii maximam faciebant partem, in specie Johannis Gersonis, eorum principis, et *Realium*, ad quos Hussus pertinebat, infensissimi erant hostes; vid. Baluz. *Miscellan.* t. IV. p. 534., denique, quod, si dimitteretur, ulterius progrederetur, et a recepta doctrina longius discederet. Quod ipse Hus de se indicavit, et speravit. Ceterum de capitibus, Husso in examine objectis, legi quoque meretur Beausobr. in Bibl. German. tom. XV. Elucescit itaque ex dictis, Hussi doctrinam nondum fuisse Reformatorum doctrinae conformem, et AEneam Sylvium in hist. Bohem. c. 35, ubi errores sectae Bohemiticae recenset, non tam Hussi, quam sectae inde natae, quae postea Taboritarum, et fratrum Bohemorum, nomine innotuit, exhibere opi-

 niones:

niones: quod et ipse haud obscure innuit in epist. ad Cardinalem de Carvaial.

§. CCCCLXVIII. Qua de secta, et motibus Hussiticis, antequam disseram, *Calixtinorum* origo est enarranda, quippe qui magnam in illis motibus habuerunt partem. Adpellati sunt eo nomine Bohemi, qui in solo calice Eucharistico dissentiebant a Catholicis, sine illo nullam esse eucharistiam contendentes, adeoque, ejus usum laicis esse concedendum, urgentes. Johannem Hussum fuisse restituti calicis in Bohemia autorem, male passim putatur. Ipse, cum Constantiae degeret, et de motibus causa calicis audivisset, calicis usum quidem non inprobavit, potius laudavit, suosque ab oppositionibus Calixtinorum dehortatus est, sed ejus autor non fuit, cum Pragae, nec scripto, nec ore, id docuerit, sed Constantiae hac de re consultus, causa illa jam vigente inter Bohemos, mentem tantum explicuerit, praeterea ei hoc in publico examine non fuerit Constantiae objectum. Praecipuus vero autor fuit Jacobellus, ut mox patebit. Ante ipsum calicis abstractioni sese jam ante viginti quinque annos opposuerat, teste Johanne de Rogesana, in concilio Basileense, et plebem ad calicem invitaverat, *Matthias* aliquis, pastor Pragensis, etiam *Parisiensis* dictus, ob studia Parisiis confecta, vir probus, et acerrimus corruptionis, ac abusuum Ecclesiae adversarius, qui tractatum etiam scripsit de *Antichristo*, et multa passus est. Sed qui parum profecit, a Clero Pragensi a coepto desistere coactus a. 1389., mortuus a. 1394. Vid. L'Enfant concil. Constant. Honor itaque debetur *Jacobello*, quod calix fuerit Bohemis redditus. Ipse, alias Jacobus de Misa, a pago ejus nominis in Bohemia, dictus, Pastor fuit Pragensis, *litterarum doctrina*, ut AEneas Sylvius ait, et *morum praestantia juxta clarus*, et mox post Hussi discessum prodiit in publicum, magnoque studio necessitatem calicis in eucharistia docuit. Ansam vero ei praebuit *Petrus* quidam *Dresdensis*, de quo vid. L'Enfant bell. Hussit. tom. I., ob haeresin Wal-

densem

densem e Saxonia pulsus, et Pragam aufugere coactus, ut AEneas Sylvius tradit. Ipse, Jacobelli familiaris, cum ei aliquo tempore dixisset, se mirari, virum tam eruditum, nondum insignem errorem, qui in Ecclesiam irrepserat, percepisse, respectu calicis ablati, non obstante expresso Domini dicto, Joh. VI. *nisi quis carnem ederit filii hominis, et sanguinem biberit*, etc. Jacobellum eo dicto ad examen, et ita hanc causam publice agendam, excitavit. Egit vero ingente cum successu, sed, ut fieri adsolet, mox sibi concitavit adversarios, in specie Conradum, Archiepiscopum Pragensem, qui fulmine excommunicationis ipsum feriit quidem, sed non oppressit. Causa vero ad concilium Constantiense delata, ibique agitata a. 1415., Jacobelli opinio est proscripta, et calicis subtractio definita: ut supra retuli. Controversiae historiam, et rationes, quibus utrinque pugnatum est, exhibet L'Enfant l. cit. Jacobellus vero sese Paparum et Clericorum autoritati infallibili, ac contradictionem respuenti, palam opposuit, quin eos, si a veritate Christi devient, declaravit Antichristos. Inputatum quidem ipsi est a Concilio, quod panem in eucharistia manere post consecrationem defenderit; sed illud per omnia verum non est, cum in libro suo, cui titulus, de *vera existentia corporis et sanguinis Christi in Coena*, agnoscat corporalem praesentiam, et tueatur, sed secundum *vitam Christi hominis Spiritualem, divinam, et invisibilem.* Distinxisse enim censetur duplex vitae genus in natura Christi humana; agnoscens praeter vitam, modo memoratam, ex unione cum divina natura ortam, aliam adhuc vitam animalem, mortalem, mole magnam, visibilem; secundum quam negavit Christi corpus esse in eucharistia. Vid. L'Enfant l. cit. p. II. Eadem fuit forte hac de re sententia Wiclefi, Hussi, et aliorum: nec multum a Veterum constante opione de divinae naturae unione cum pane et vino, indeque orta ejus efficacia, differt.

§. CCCCLXIX. Pergamus nunc ad motus, et bella Hussi-

tica post mortem Hussi suscitata: quorum historiam prolixe enarravit L'Enfant in historia *belli Hussitici, et concilii Basileensis.* Fuerant quidem ab a. 1411. aliqui motus, etiam caedes patratae Pragae, occasione indulgentiarum, et cruciatarum expeditionum, a Johanne XXIII. promulgatarum, contra Ladislaum, Neapolitanorum Regem; quibus sese vehementer objecit Hussus, magnamque populi copiam in suas traxit partes, ita ut res prope a seditione abesset, maxime postquam tres Hussitae essent capite plexi, qui partes eas egerant confidentius, et audacius, sed, cum Praga propterea interdicto sacro esset subjecta a Papa, et Hussus secessisset, res manserunt tranquilliores, usque ad Martyrium Hussi et Hieronymi. Quo audito in Bohemia animi valde sunt exacerbati, non plebis tantum, et vilioris conditionis hominum, sed Nobilium quoque et illustrium virorum, qui, litteris ad Synodum scriptis, indignationem acerrimo stilo testati sunt, sicut et fecit ipsa Universitas Pragensis, litteris unanimiter ad omnes Catholicos missis, quibus illustre dedit Husso testimonium. Edidit praeterea Universitas haud diu post, anno 1417., *declarationem publicam* pro communione sub utraque specie contra decretum Constantiense. Primates porro Bohemiae, in unum coacti, ut rebus suis consulerent, aliquos decreverunt mittendos ad Wenceslaum Regem, qui Ecclesias separatas, in quibus cultum Dei, suo modo peragendum, exerceant, ab eo peterent. Responsum licet dubium acceperint, continuarunt tamen in cultus exercitio, partesque suas magis magisque confirmare, et amplificare, conati sunt, absque ut res in bellum eruperit, toto anno 1417. Tantum memoriam Hussi decreverunt festo, in honorem ejus quotannis celebrando, honorandam esse; seseque etiam ad vindictam de ejus morte sumendam praepararunt, denique magis magisque Catholicorum et Bohemorum animi in se invicem irritati sunt, *illorum* per varias invectivas in Synodum, et cantica in laudes Hussi ubique sparsa, quodque sese concilii decretis palam opponerent, *horum* vero

vero per articulos Synodi, in caufa Bohemorum decretos contra Huffitas; inter quos funt, quibus abjuratio Huffitifmi inperatur, et fautores igni addicuntur, adeoque Huffitifmi exftirpatio continetur. Quos numero viginti quatuor recenfet Cochlaeus.

§. CCCCLXX. Tandem erupit violenta tempeftas a. 1418., quo tempore Johannes Dominicus, legatus Martini V. Papae, in Bohemiam et Hungariam, ad exfequenda decreta Synodi, eo venit, nec monitis et exhortationibus contentus, fed et vi ufus eft: Slanae, quae eft urbs Bohemiae, haud procul Praga, ope Conradi, Archiepifcopi Pragenfis, arcam, quae fupra aram erat, continens forte calices euchariſticos, dejecit, communionem fub una fpecie inftituit, Ecclefiaften quendam, una cum privato, qui forte ei fe oppofuerunt, flammis tradidit. Quo facto, flamma erumpens corripuit omnia, ita ut vexationibus, rapinis, caedibus, fuerint repleta omnia. Ipfe legatus, difcedere coactus, fcripfit Papae, *non calamis amplius et linguis, fed manibus et armis, opus effe.* Venit cum Inperatore in Hungariam, et Huffitifmum ibi exftirpavit, fed et brevi mortuus eft a. 1419. Huffitae, cum bellum evitari non poffet, Ducem elegerunt *Zizkam*, qui prae reliquis vindictam Huffi fpirabat, nobilem Bohemum, in aula Wenceflai enutritum, et bellis exercitatum, altero jam oculo in conflictu privatum, unde, qui antea Johannes Trafnovius, a loco Bohemiae, unde ortus erat, fuit adpellatus Zizka. Statim ac fufficientes contraxiffet copias prudens, fed et acerrimus, Dux, per agros difcurrens, caedes et rapinas per omnia loca circumtulit. Primus fuit inpetus in provinciam Pilnenfem, cujus primariam urbem Pilfam, et mox totam cepit ditionem, Monachos et Clericos expulit, omnia fpoliavit, et communionem fub utraque fpecie ubique reftituit. Dein in loco opportuno exftruere coepit oppidum, et munimentum, dictum *Tabor*, quo nomine *caftrum* adpellant indigenae; unde *Taboritarum* nomen ipfis poftea adhaefit. Scripfit ad Tuftaeos

litteras a. 1418., eosque ad arma contra Antichristum sumenda accendit. Mox, postquam Dux Hussitarum solenniter esset declaratus, Pragam tetendit, ubi a sociis avidissime exspectabatur. Quo cum venisset a. 1419. Ecclesiae et monasteria invaduntur, Presbyteri alicujus domus spoliatur, ipso etiam a Zizka occiso, quia, ut refertur, licet dubitanter, sororem suam stupraverat. Domum Praetoriam, ubi Senatus erat congregatus, petentes, septem, vel undecim, Senatores, qui, reliquis dilapsis, substiterant, per fenestras projecerunt, hastarum cuspidibus excipiendos a populo furibundo, qui adstabat. Sed num Zizka huic tragoediae adfuerit, non convenit inter historicos, quorum alii adfirmant, alii silent. Eundem mox inpetum senserunt et alia monasteria Pragae, multumque est sanguinis fusum. Dein Wenceslao, prae consternatione, ex hoc nuncio ad ipsum delato concepta, correpto apoplexia, et mortuo a. 1419., antequam Sigismundus se Regem Bohemiae declararet, plebs Pragensis, instigante Zizka, in quaevis monasteria manus injecit, et, nulla Templorum, imaginum, vasorumve sacrorum, ducta reverentia omnia spoliavit, concidit, violavit. Inmani enim odio flagrabat Zizka in monasteria, non tantum, quod libidinis et pigritiae essent loca, sed Monachi praecipui haberentur autores supplicii Hussi, et Hieronymi. Numerantur ab Historicis usque ad 550 Templa et monasteria, per Zizkam in Bohemia destructa: unde et ingentes thesauri ad eum defluxerunt.

§. CCCCLXXI. Hinc tandem publicum ortum est bellum inter Hussitas et Sigismundum, jam regem declaratum, et eos oppugnantem, expeditionibus quoque cruciatis, a Martino conscriptis, adjutum. Quod ab a. 1420. usque ad 1444., quando urbs Tabor capta est, duravit, et, praeter Bohemiam, adflixit Moraviam, Austriam, Misniam, totamque fere Germaniam: cujus historiam enarrare nostri non est instituti, et nimis longum foret: AEneas Sylvius dicit, *ea bella plus admirationis, quam fidei, habitura apud posteros;*

*quia*

*quia nullo prorſus ſucceſſu ab illorum parte geſta ſunt, Zizka, Bohemorum Duce, ejuſque ſucceſſoribus, ſemper ſuperantibus.* Epitaphium Zizkae, quod mirabile et ſingulare eſt, ita habet: *Johannes Zizka, nullo Inperatorum, ducumque, rei militaris peritia inferior, ſuperbiae ſimul et avaritiae Clericorum ſeverus ultor, Patriae accerrimus propugnator, hic jaceo. Quod Appius Claudius coecus bene conſulendo, et M. Furius Camillus ſtrenue agendo, ſuis Romanis praebuere, hoc ipſum meis Bohemis praeſtiti. Fortunae belli nunquam defui, neque illa mihi: omnem opportunitatem rerum bene agendarum etiam coecus praevidi. Signis collatis, undecies ſemper victor depugnavi* etc. Illud in ipſo maxime eſt mirandum, quod praecipua totus coecus geſſerit: ſicut enim antea monoculus erat, ita alterum in obſidione Raabi perdidit jam a. 1420. Ceterum, fuit omnium conſenſu vir intrepidus, ſtrenuus, prudens, ſed adverſus hoſtes crudelior, Monachorum inprimis flagellum. Mortuus eſt ex peſte a. 1424. Narratur quidem a plurimis hiſtoricis, eum, morti proximum, juſſiſſe, ut ex pelle ſua tympanum facerent, ad cujus ſonum hoſtes aeque expaveſcerent, acſi vivus eſſet, ſed, cum Theobaldus illud fabulis adnumeret, Zizka id forte animi cauſa dixit, ad hoſtibus inſultandum, vel Huſſitae illud, ad illis terrorem incutiendum, in vulgus miſerunt.

§. CCCCLXXII. Huſſitae, tempore Zizkae jam diviſi, poſt ejus mortem magis in partes ſeceſſerunt, quod viam ad eorum oppreſſionem ſtravit. Vivo Zizka diviſi fuerunt in *Taboritas* et *Pragenſes* a. 1420., partim cauſa electionis Regis in locum Sigiſmundi, quem omnes repulerunt, Pragenſes voluerunt Jagellonem, Regem Poloniae, Taboritae nullum extraneum, partim propter dogmata quaedam, et ritus. Pragenſes, ſolo calice contenti, et libera verbi Dei praedicatione, in reliquis ſeſe ad Eccleſiae Catholico-Romanae placita adcommodabant, ſed Taboritae antiquam Eccleſiae Apoſtolicae puritatem, et ſimplicitatem, cupiebant revocatam. In conventu Pragenſi, eo anno habito, propoſiti

sunt Taboritarum articuli, apud L'Enfantium obvii; inter quos aliqui occurrunt, ut de generali hostium destructione, eo anno futura, et novi Regni Apocalyptici erectione, qui vix fidem merentur: sed et tunc dixerunt Taboritae, se omnes illos articulos non adsumere: videntur nihilominus tenuisse, inpios esse delendos, et violentorum facinorum fuisse autores. Vid. Laurentii Byzini *diarium belli Hussitici*, supra citatum. Sed nihil effectum est in conventu, et mansit funesta divisio, licet in bello cum hostibus Bohemiae utraque pars perseveraverit. Dein anno sequente 1421., in conventu Zazlaviae, ad quem Moravi etiam sunt invitati, et eorum deputati venerunt, *quatuor* sunt constituti articuli, qui postea Synodo Basileensi sunt oblati, 1. eucharistiam sub utraque specie omnibus esse praebendam. 2. Sacerdotibus et Monachis bona temporalia esse subtrahenda. 3. publica peccata severe, et secundum leges, punienda esse. 4. Verbum Dei ubique libere a Christianis sacerdotibus esse adnunciandum. In quos articulos Moravi quoque consenserunt, et ipse Pragensis Archiepiscopus Conradus, qui Hussitarum partes ab eo tempore secutus est. Additus dein est *quintus* articulus, de Rege Sigismundo abdicando, et de Coributo, patruele Uladeslai, Poloniae Regis, eligendo Rege. Cui articulo nec Taboritae, qui liberum urgebant statum, nec Moravitae, qui Sigismundo renunciare nolebant, adsensum praebuerunt. Unde mox majora sunt orta dissidia inter Taboritas et Pragenses, cum Pragenses jam receperant Regem Coributum, quem Taboritae cum Zizka recusarunt.

§. CCCCLXXIII. Cum Taboritae a. 1422. Pragam noctu irrumperent, et spoliare tentarent, a civibus vero repulsi et oppressi essent, Zizka quidem se excusavit super eo facto, tanquam se ignaro perpetrato, dissuasit tamen Pragensibus novum Regem, et, cum nihil inpetraret, iram et ipse in eos concepit, eosque oppugnare adgressus est. Bello itaque cum Pragensibus inde orto a. 1423., in quo una altera

tera vice victi sunt, Zizka urbem obsedit a. 1424. Taboritae quidem initio urbem hostiliter oppugnare renuerunt, cum caput regni esset, et ejusdem secum animi in hostem communem, sed a Zizka, Oratione ad eos habita, in partes tracti sunt. Omnibus vero ad oppugnationem paratis, Pragenses de pace cum Zizka egerunt, eam effecerunt, eumque in urbem admiserunt, ingente cum honore. Unde, peste grassante, cum discessisset in Moraviam, ibi ex peste, ut narravi, e vivis est ablatus. Narrant historici, Sigismundum multis, magnificisque, pollicitationibus, Gubernatoris quoque totius Bohemiae oblata dignitate, sibi devincire conatum fuisse, sed mors ejus intercessit. Morti proximus suis fertur jussisse, ut omnes, religioni Hussitarum adversantes, ferro flammisque persequerentur. Ipse vero, etsi Taboritarum partes contra Pragenses fuerit tuitus, Calixtinus potius fuit, quam Waldensis-Taborita, ut ex Picardorum, quorum ingens erat Pragae numerus, persecutione, et aliunde, patet.

§. CCCCLXXIV. Post mortem Zizkae divisi fuerunt in varias turmas. *Taboritae* longe maximam partem elegerunt Ducem *Procopium*, a rebus gestis *Magnum*, et a tonsura sacerdotali, qua avunculus ejus ipsum invitum ornaverat, *Rasum* dictum, nobilem Bohemum, qui sub Zizka militaverat. Reliqui Taboritae, sed longe minore numero, nullum voluerunt Ducem, quia nullum putabant Zizkae similem inveniri posse, quare *Orphani* sunt adpellati: elegerunt tamen paucos, penes quos belli foret administratio, quorum primus fuit *Procopius*, Parvus cognominatus. Praeter illos erant *Orebitae*, suis etiam sub Ducibus. Nomen traxerunt a monte Oreb, prope districtum Zazlaviensem, quem insederunt, et unde in loca vicina irruerunt, jam ab a. 1422., quare a Zizka in castra sua sunt admissi: erant enim tunc manus rusticorum. Incertum autem est, num castrum eo nomine jam ante fuerit insignitum, an illi eo adpellaverint. Hussitae enim, quod non est observatu indignum, Bohemiam

*terram promiſſionis* vocarunt, et Germanos, quibus circti erant, pro vario illorum ſitu, illos Idumaeos, hos Moabitas, alios Amalekitas, alios Philiſtaeos, eaque ratione Tabor et Oreb ad terram promiſſam retulerunt. Ceterum hi omnes, licet diviſi, ſeſe identidem conjunxerunt, quum cauſa communis id requirebat. Taboritae vero et Pragenſes in Bavariam irruerunt et Auſtriam, Orphani et Orebitae in Sileſiam, ac Lithuaniam, quaquaverſum horrendas inferentes vaſtationes. Quo in rerum ſtatu Papa Martinus, iterum emiſſa bulla, Inperatorem et Principes Germaniae ad hanc haereſin exſtirpandam excitavit, a. 1425., et bellum magno ardore reſumtum eſt, ubique felix et fortunatum Huſſitis. Albertum, Auſtriae Ducem, cruento vicerunt praelio Taboritae a. 1425., ut et Saxones a. 1426, qui ingentem exercitum contra Taboritas et Orphanos moverunt. Sed nova mox inter Pragenſes et Taboritas orta eſt diviſio, occaſione *Petri Anglici* cujuſdam, qui Wiclefianiſmi ſemina ſpargebat Pragae, et Tranſubſtantiationi contradicebat, nos ore panem, ſed fide corpus Chriſti, ſumere, contendens. Cui ſeſe inter alios opponebant Przibranus, et Maladonovicius. Convenit tamen, laudabili exemplo, inter eos, ut phraſibus Scripturae ac Patrum uterentur, et ſe invicem tolerarent. Interea Pragenſes carceri mancipaverant Johannis adverſarios, a partibus Johannis ſtantes: unde elapſi, ad Orphanos, de injuria conqueſti, confugerunt, eoſque ad bellum contra Pragenſes excitarunt. Unde varii ſunt motus orti, donec Taboritae, motuum fautores, fuerint Praga ejecti a. 1426. Ad quas turbas multum quoque contulit captivitas Coributi, quem Pragenſes, incertum qua de cauſa, captivum tenebant. Quem ut liberarent, Deſpotae Catholici, Taboritis et Orphanis ſe jungentes, Pragam invaſerunt: multo tunc ſanguine fuſo. Coributus vero, ſignata ſua abdicatione, fecerant enim Pragenſes ipſum Regem, in Lithuaniam eſt remiſſus. Tandem, nonnullis civitatibus, quae Pragenſium erant confoederatae, hoſtiliter et crudeliter tractatis, cum

Pragam

Pragam denuo tentarent obsidere, pax inter eos facta est, ut communi hosti resisterent. Inperator enim, tribus collectis exercitibus, ut finem motibus tandem inponeret, inmensa hominum copia contra eos tendebat. Sed, quod quis stupeat, hostes illi, panico correpti pavore, solo Zizcitarum conspectu consternati, in fugam se dederunt, et opulenta castra ipsis reliquerunt a. 1427., qui, eos persecuti, magnam iis intulerunt cladem.

§. CCCCLXXV. Omnia praelia, omnes destructiones, a Zizcitis effectas, enarrare, cum nostri non sit instituti, ad res religionis redeo. Taboritae, Orphani, et Pragenses conventum a 1428. celebrarunt quidem Peronae, ad dissidia religionis inter se componenda: sed, cum Taboritae, cum Duce suo Procopio Magno, missam sine stolis sacerdotalibus, sine elevatione et adoratione panis, urgerent celebrandam, septem respuerent sacramenta, nec in capitibus de libero arbitrio, justificatione, ac Praedestinatione, cum Pragensibus convenirent, licet quid una alterave pars de tribus illis capitibus ultimis senserit, non constet, conventus sine ullo fructu est abruptus. Taboritae dein et Orphani, nunquam quieti, sese ad solita vastandi facinora receperunt, miras caedes ac vastationes per Silesiam, Misniam, aliasque regiones, hoc et sequente anno, circumferentes. Quando nova in eos conscripta est a. 1431. expeditio cruciata, ordine tertia, Inperator quoque Comitiis Norinbergensibus bellum omnibus viribus gerendum decrevit. Quae conamina haud meliorem, ac praecedentia, habuerunt successum. Toto enim exercitu, antequam Hussitae in conspectu essent, ita trepidatum est, ut praecipitem sese in fugam dederint, Cardinalis quidem Legatus quicquid poterat fecit, ut fugientes retineret, et in hostes animaret, sed Bohemi, eos invadentes, post ingentem iis inflictam cladem, in turpem conjecerunt fugam, seseque inmensis spoliis ditarunt.

§. CCCCLXXVI. Tandem, cum eodem tenore pergerent Hussitae, nec per arma vinci, aut in ordinem redigi, pos-

 sent,

sent, alia via cum iis judicarunt Catholici agendum esse, qua votorum facti sunt compotes. Blande enim sunt a Sigismundo, et Synodo Basileensi, quae tunc celebrabatur, ad Synodum invitati, a. 1432., concesso salvo conductu ab ipsa Synodo, et datis obsidibus, seseque obligantibus Inperatore et Principibus aliis, majoris securitatis ergo. Qua ratione, cum circa modum, in concilio cum ipsis tenendum, convenisset inter Legatos Synodi et Bohemorum, qui Egrae erant congregati, Bohemi legatos mittunt ad Synodum Johannem Rokysanam, Pragensium Hussitarum Rectorem, Udalricum, Orphanorum Presbyterum, Petrum Payne, Anglicum, et alios: quibus sese Legatus Polonicus, ipse Procopius Rasus, aliique, adjunxerunt. Pervenerunt, trecentis equitibus comitati, Basileam a. 1433., tota civitate ipsis obviam procedente, praecipue propter Procopium, qui omnium ora in se verterat. In concilium producti, quatuor illa capita, in conventu Zazlaviae a. 1421. jam sancita, quae supra memoravi, proposuerunt. Cardinali vero, Synodi Praesidi, roganti, cur et alia non proferrent capita, cum Mendicantium Ordinem a Diabolo esse excogitatum arguantur statuere, respondit Procopius; *quicquid nec a Mose, nec a Patriarchis, Prophetis, Christo, nec Apostolis institutum est, nec ullum in Scripturis mandatum habet, Diaboli inventum est:* et tale quid esse Mendicantium Ordinem. Cardinalis tantum ad Ecclesiae, et Conciliorum, autoritatem provocavit. Disputatum dein de illis articulis est per 50 dies inter quatuor Bohemorum magistros, et totidem Concilii commissarios: multa utrinque quidem prolata sunt, sed sine fructu; ventum est ad tractatus, sed nihil profectum, ad Bohemorum constantiam frangendam. Discesserunt itaque Legati Bohemorum, sed cum iis oratores, a Synodo deputati, qui conventionis scopum palam praeferrent, licet divisionem inter Bohemos vere intenderint, et Catholicorum confirmationem. Venerunt, una cum Principum et Episcoporum, aliorumque, deputatis, in Bohemiam a. 1433. Comitiis

tiis ab omnibus Bohemiae et Moraviae Ordinibus habitis, poſt varias Orationes et colloquia, res denique huc exierunt, ut ad Synodum denuo mitterentur legati, cum quatuor illis articulis, paululum temperatis, nec non cum formula unionis. Articuli hunc in modum formati ſunt, ut 1. liberam verbi Dei praedicationem conceſſerint, ſub autoritate Dioeceſani. 2. Peccatorum punitio relinqueretur iis, quibus jus erat. 3. Clero non liceat ſuper bonis temporalibus *ſeculariter* dominari. 4. Communio ſub utraque ſpecie ſit, tanquam utilis et ſalutaris, relinquenda libertati, ita tamen, ut dubia, circa neceſſitatem et poenas, quas illi, qui hoc negligebant, merebantur, Synodi judicio committerent, modo illud Scripturae et Patribus non adverſetur. *Formulae* vero unionis duae erant conditiones, *una*, quod Concilio, Papis, Praelatiſque aliis, non tenerentur obedire, ſi quod Scripturae contrarium prohibuerint, altera, ne propter dictos articulos male audiant, aut patiantur a quocunque.

§. CCCCLXXVIII. Formula Synodo diſplicente, iterum ſunt iidem Oratores miſſi Pragam, ut novam facerent inſtantiam. Propoſuerunt in publico Nobilium et plebejorum conventu trium articulorum explicationem, et declarationem, quam ſi admitterent Bohemi, promiſerunt concorditer de communione ſub utraque ſpecie tranſigendum eſſe. Interea captioſae erant trium articulorum declarationes, quae, cum Bohemis concedere quod volebant viderentur, nihil tamen per additas reſtrictiones concedebant. Communionis ſub utraque declarationem cum flagitarent Bohemi hunc in modum data eſt, ut illa ad tempus inſtar gratiae, per autoritatem Eccleſiae, permitteretur, ſub conditione, ſi Eccleſiae Romanae in reliquis adſurgerent, et ſacerdotes calicem non niſi adultis diſtribuerent, adderentque, Chriſtum eſſe ſub una alteraque ſpecie ſola. Bohemi, licet hac parte deluſi fuerint, conſenſerunt tandem in articulos, ita explicitos et temperatos, ſive bellorum pertaeſi, ſive ambitione Rokyzanae, cui ſpem Archiepiſcopatus fecerant,

rant legati Synodi, compulsi. Missis itaque eo fini deputatis ad Synodum, famosum illum pacis et unionis tractatum mox condidit, et sancivit, Synodus, nomine *Compactatorum* notum; quae postea Iglaviae consummata et confirmata sunt, a. 1436. Exhibet *compactata* Cochlaeus hist. Hussit. l. VII., et historica gestorum inter Synodum et Bohemos ex Aenea Sylvio excerpta *Fasciculus rer. expet. et fug.*, ut et Freheri editio historiae Bohemorum AEneae Sylvii.

§. CCCCLVIII. Concordatis cum Calixtini et Catholici subscripsissent, Taboritae vero, Orphani, et Orebitae id recusassent, totalis orta est inter Calixtinos, et reliquos Hussitas, divisio, quae et horum plenissimam produxit subjugationem, et destructionem. Catholici enim et Calixtini junctis copiis, Duce Alessio, cui praeter alios adjunctus est, vir magnae autoritatis, Mainhardus de nova domo, Taboritas, eorumque socios, oppugnare adgressi, initium fecerunt ab expugnatione Pragae. Quae in *Vetere* urbe facile, sed in *nova*, quam Procopius Parvus tuebatur, et in qua superiores erant Taboritae, difficilius successit, varia inter Veterem et Novam urbem inita pugna. Succubuit tamen nova, a Calixtinis, magna cum Taboritarum clade, expugnata a. 1434. Procopius vero Magnus, qui Pelsinam tenebat obsessam, hoc audito, in hostes mox movens, decretorium cum iis habuit praelium eodem anno infra Lippam, in quo, licet ab equitatu fugiente desertus, hostem solus selecta cum manu adgressus, victoriam reportasset, nisi telo, in incertum misso, fuisset transfixus, itaque cecidisset fortissimus heros. Secuta mox est horrenda non tantum strages, sed et captivorum, fraudulenta ac truculenta, caedes per Mainhardum: cujus pollicitationibus in horrea compulsi perierunt, igni in ea immisso, ad multa millia. Hac ratione fractae sunt Taboritarum vires, et postea penitus excisae. Reliquiae quidem statum in urbe Tabor aliquo tempore tuitae sunt; sed urbe a Georgio Podebradio, Prorege, obsessa

obſeſſa et occupata a. 1444., capti ſunt, et in perpetuos conjecti carceres. Reliqui, ſuaſu Rokyzanae, jam titulo tenus Archiepiſcopi Pragenſis, ſe Ordinum judicio ſubmiſerunt, et in *compactata* conſenſerunt. Sic finitum eſt funeſtum et diuturnum illud bellum, et Sigiſmundus, confirmatis *compactatis*, recepit coronam Bohemicam. Quae fuſius enarrare a ſcopo noſtro eſt alienum: ut et, juſtumne an injuſtum fuerit bellum illud? inquirere. De quo conſuli poterit Langermannus in *polemographia Huſſitica*; qui juſtitiam ejus defendit. Mitto etiam quae poſtea Calixtinis ſub Podebradio, primum Prorege, dein Rege, Bohemiae, et Rokyzana, Archiepiſcopo Pragenſi, acciderunt, quorum continuae interceſſerunt cum aula Pontificia ſimultates, cum utrinque violarentur compactata; et ad novam Eccleſiam Bohemicam, ex his turbis tandem natam, tanquam lucem e tenebris, deſcribendam pergo.

§. CCCCLXXIX. Quae valde notabilis hiſtoria ex Camerario de *Eccleſiis Fratrum Bohemorum*, et Johanne Amoſo Comenio, aliisque, petenda eſt. De fide *fratrum* Bohemorum teſtantur *confeſſiones* eorum et *apologiae*, editae a Balthaſ. Lydio in *Waldenſibus*, et ab aliis. Quarum *prima* eſt, quae Uladiſlao, Regi Bohemiae, a. 1472., *ſecunda*, quae Georgio, Marchioni Brandenburgico, a. 1534., *tertia*, quae Ferdinando, a. 1535., oblata eſt. Conferenda quoque ſunt, quae de Taboritis habet Aeneas Sylvius epiſt. 130., ſcripta a. 1451., qui cum ipſis eſt congreſſus, edita etiam in *Waldenſibus* Lydii. De ordine autem eorum in ſacris, et diſciplina Eccleſiaſtica, legendus eſt Comenius. Ex his fontibus illuſtris hujus Eccleſiae dabo aliquem intellectum, ſed re altius petita ad *origines* ejus cognoſcendas. Fuerunt Fratres proxima propago *Taboritarum* zelotarum, qui a Calixtinis et Pragenſibus fuerunt in doctrina et ritibus diſtincti, licet communem cum iis egerint in motibus Huſſiticis cauſam. Cujus diviſionis et originis varia proſtant indicia. 1. Ipſi ſeniores et miniſtri Eccleſiarum in Bohemia illud diſerte

faſſi ſunt in *praefatione* confeſſioni praemiſſa, ſeu ad calcem. Rodigerus quoque, Profeſſor olim Wittenbergenſis gener Joachimi Camerarii, in *narratiuncula* de Eccleſiis Bohemiae et Moraviae apud Camerarium l. cit. qui etiam hanc duplicem dedit rationem, quare nomen Taboritarum vitaverint, unam, quod eorum clade fuerint territi, alteram, quod arma et diſputationes fuerint averſati. 2. Idem e conventu Taboritarum et Pragenſium a. 1420., cujus ſupra memini, confirmatur: ſimiles enim ibi Taboritis adſcribuntur articuli, qui Bohemis proprii ſunt. 3. Eadem et ſimilia de Taboritis refert AEneas Sylvius in epiſt., a. 1451. ſcripta, et ſupra citata. 4. Exſtat denique confeſſio fidei Taboritarum a. 1431. quam primus vulgavit Flacius Illyricus, dein emendatiorem Lydius, qui probabiliter conjicit ejus autorem fuiſſe Johannem Lukawitz, ſacerdotem Taboritam; quae a Calixtinis eſt diverſa, et fidei ac cultui Bohemorum proxime reſpondet. 5. Accedit, Taboritas ſeſe initio et poſtea ſemper *compactatis* Synodi Baſileenſis oppoſuiſſe, quae acceptarunt et urſerunt Calixtini, Cochlaeus in hiſt. Huſſit. l. VII. diſerte tradit, *formulam illam concordiae non potuiſſe in effectum produci, quia Taboritae in eam non conſentiebant*, qui et alibi l. V. dicit, *Waldenſes et Taboritas non adſumſiſſe articulos Pragenſium Doctorum, et ab eo tempore perpetuam manſiſſe inter eos diſcordiam.* Habitus quoque eſt conventus Kutnenſis a 1443. ad Taboritas et Pragenſes cum Rokizana, Archiepiſcopali dignitate jam fungente, conciliandos, in quo Taboritae ediderunt confeſſionem, dogmatibus Calixtinorum contrariam, in ſpecie circa euchariſtiam, in qua Tranſſubſtantiationi, adorationi et miſſae, palam contradixerunt.

§. CCCCLXXX. Sed ut altius adſcendam, hi ipſi Taboritae et fratres Bohemi, non tam ab Huſſo, quam a Waldenſibus et Picardis receperunt doctrinam. Johannem Huſſum fidem Catholico-Romanam tenuiſſe maximam partem, licet principia ejus eum ulterius duxiſſent, ſi in vita manſiſſet,

fiffet, ex fuperioribus patet. Quod vero ad Waldenfes adtinet, Bohemi quidem originem fuam ab iis noluerunt derivatam, nec cum iis in unam focietatem coalefcere voluerunt, fed non ob fidei et religionis diffenfum, quem ipfi exiguum, aut nullum, effe diferte fatentur, verum quod nullam eorum noffent fidei confeffionem publicatam, quodque Waldenfes hodierni fefe ad religionis dominantis formam, ut perfecutiones vitarent, nimis adcommodarent. Quae omnia ex fupra laudata praefatione Bohemorum, ad calcem Camerarii hift. Bohem., conftant. Addi poteft, Waldenfes fuiffe tunc valde odiofos, et Picardorum quoque infami tunc nomine diffamatos, quos ipfe Zizka acriter eft perfecutus. Interea dubio caret, 1. Waldenfes illis in regionibus, uti in vicinia Auftriae, Marchiae, et Bohemiae, fuiffe verfatos: quod Bohemi in *praefatione* citata diferte adferunt. 2. Picardos illis fuiffe inmixtos, et inter Taboritas latuiffe, quos Zizka, tanquam infames vita et moribus, vehementer vexavit. Taboritae et Picardi, feu Waldenfes, fuerunt initio diftincti tempore Zizkae, maxime refpectu Tranfubftantiationis et Miffae, licet inter Taboritas fuerint Waldenfes quoque, fed poft mortem Zizkae iidem ac Waldenfes. Vid. Beaufobr. de *Adamitis*. Praeterea, Petrus Drefdenfis, qui Jacobello communionem fub utraque perfuafit, fuit Waldenfis profugus, tefte AEnea Sylvio: de quo fupra dixi. Johannes porro Schlecta in epift. ad Erafmum a. 1519., qua ipfi diverfarum Bohemiae fectarum notitiam dat, *Picardos infeciffe totum exercitum* Zizkae tradit: quod de Procopio Magno conftat. Vid. verba Lafitii apud Beaufobr. l. cit. et Dubravius hift. Bohemica c. 26. De communione aliquali inter eos teftatur, quod fratres Bohemi cum a. 1467. feparatam coeperunt condere focietatem, miniftros, a fe electos, miferint ad vicinos Waldenfes, ut ab iis ordinarentur: ut narrat Camerarius l. cit. Ceterum Picardi narrantur in Bohemiam veniffe circa a. 1418., et multos infeciffe Taboritas, quorum alii, inprimis Calixtini,

eos sunt insectati, ipse etiam Zizka, sive quod genuinus fuerit Calixtinus, sive rumoribus de infami eorum vita fidem adhibuerit. Plura de Picardis postea. Addatur 3. Bohemos passim cum Waldensibus fuisse ab Historicis confusos, etiam illos ab his derivatos. Vid. Lydius in Waldensibus tom. II. in Prolegomenis.

§. CCCCLXXXI. Quibus praemissis, pertexam *Fratrum Bohemorum* historiam. Taboritis ea, qua dixi, ratione oppressis, per Georgium Podebradium et Rokyzanam, qui a. 1435. jam erat in publicis comitiis electus Archiepiscopus Pragensis, pii et zelotae Taboritarum, qui supererant, sese palam ostendere non ausi, quamdiu Rokyzana sese approbationis et confirmationis Papae, quam nondum inpetraverat, spe lactabat, sese occultos tenebant et quietos. Sed, cum sese a Papa deludi animadverteret Rokyzana, quippe qui, nisi calici renunciaret, eum confirmare recusavit, ille, resumto animo, in Papam, tanquam Antichristum, et bestiam Apocalypticam, denuo declamare, ut ante *compactata* saepe fecerat, inciperet a 1448., cordatiores et animosiores ex auditoribus, inter quos Gregorius, Rokyzanae ex fratre nepos, ipsum adeunt, ac pleniorem ab ipso petunt reformationem, idque plus una vice. Audivit quidem eos amice, sed semper distulit, nimiae molis esse opus dictitans: denique, eorum interpellationes amplius ferre nolens, ipsis injunxit, ut a se secederent, et ipsi hoc opus inciperent, promisso tantum addito, se a Georgio Podiebradio, jam Rege, ipsis locum recessus procuraturum. Quo inpetrato secesserunt cives illi Pragenses, Baccalaurei, magistri, aliique magno numero, nobiles plebeji, docti indocti, in ditionem *Liticensem*, in montanis Silesiae vicinis, quem locum ipsis acquisiverat Rokyzana, ubi Ecclesiae fratrum jacta sunt primordia, a. 1459. Compellarunt autem sese, in mutuae caritatis et communionis intimioris signum, *fratres et sorores*, et initio se vocarunt *fratres legis Christi*, dein cum illud in calumniam traheretur, acsi novum fundarent Mo-

nachatum,

nachatum, *unitatem Fratrum*. Cujus Ecclesiae fundatae statim ac rumor pervaserat, sacerdotum, quibus nihil est irritabilius, odia se manifestarunt, ipsius etiam Rokyzanae, varii et mutabilis viri, qui ambitioni unice litabat. Cum frater Gregorius Pragam a. 1461. venisset, cum sociis nonnullis, amicos salutatum, illique in domo alicujus coetum haberent, proditi, et in carcerem conjecti sunt, tanquam qui Taboritas imitari, et motus ciere, in animo haberent: ipse Gregorius torturae est subjectus, sed, in profundum prolapsus soporem, vix sensit cruciatum. Dimissus quidem est cum suis, sed nova mox publicata sunt edicta, quibus sacrorum celebratio sine cerimoniis sub mortis poena fuit prohibita. Fratres, hac ratione ad incitas redacti, a Rokyzana, quem adierunt, nihil non tantum solatii consequuti sunt, sed et ipsum exacerbarunt. Quare nova prodierunt edicta, *ne usquam in Bohemia et Moravia exitiosi illi homines tolerarentur*. Erant, qui illos occisos volebant, sed restitit, Jodocus Rosembergius, Episcopus Uratislaviensis, dicens, *Martyrium esse semicrudam assaturam, ex qua facile vermes nascantur*. Quibus exagitati edictis, cum nusquam auderent subsistere, inceperunt speluncas habitare, unde *Jamnici*, seu *speluncales*, per contemtum sunt dicti.

§. CCCCLXXXII. Hisce vero in speluncis et montibus Ordinem sacrorum et disciplinae inter se constituerunt, Synodos celebrarunt, evocatis e dispersione per Bohemiam et et Moraviam, quos poterant, in unum, pastores sorte elegerunt, et ordinandos miserunt ad Waldenses, in confiniis Moraviae et Austriae degentes a. 1467., cum quibus unitatem quoque decreverunt ineundam, postquam Waldenses, se antiquum studium, quod remiserant, esse resumturos, et ad pristinam puritatem se recepturos, promiserant. Quod antequam effectui datum est, Waldenses sunt per Pontificios dissipati. Ipse eorum Antistes Stephanus igni est Viennae absumtus, et reliqui in Moraviam et Marchiam confugerunt. Quae eadem Antichristiana tempestas feriit

Fratres. Georgius enim Podiebradius, comitiis regni a. 1468. habitis, decretum formavit, ut unusquisque Procerum in suo territorio in eos inquireret, quosque posset caperet, et pro re nata, ac arbitrio, puniret: adpellantur autem ibi per contumeliam *Picardi.* Acris ab eo tempore in eos saeviit persecutio, usque ad mortem Rokyzanae et Podiebradii, a. 1471., quando aliqua halcyonia nactus est grex pusillus. Uladislaus enim, Rex Poloniae, qui Podiebradio successit, fuit mitissimus, quem furiosi hostes et persecutores diu frustra ad eos exstirpandos incitarunt. Permiserat quidem, edicta a. 1472. contra eos parari, sed, accepta eorum apologia, cujus supra memini, repressit, donec a. 1508. cruentum aliquod edictum ipsi extorserint: sed nec illud executioni mandatum est. De quo ad seculum sequens. Crevit itaque sub hoc Rege Fratrum numerus, et caput eorum Ecclesia erexit; sicut conquestus est Bohuslaus a Lubkowitz, Baro Hassensteinius, Orator et poeta haud incelebris, in aliqua epistola ad Regem a. 1497., ubi dicit, *perfidiam illam, quae antea hiscere non audebat, nunc sub Rege Catholico et radices agere, et ramos suos adeo late protendere, ut vix humanis viribus exstirpari aut evelli possit.* Fratres vero, ut schismaticorum nomen vitarent, miserunt hoc ipso tempore e coetu suo viros pios et prudentes, qui, num alicubi Ecclesiam invenirent, cui se adjungere possent, inquirerent. Migrarunt per Graeciam, Moscoviam, Thraciam, Asiam, Palaestinam, et AEgyptum, ac retulerunt, se nihil reperisse, nisi corruptissima omnia, et Christianos in vitia et superstitiones effusos. In Italiam et Galliam aliqui adpulsi, et Waldenses visitantes, narrarunt, se ibi tantum offendisse piorum reliquias, latitantes in occulto, aliorum vero, qui proditi erant, ustulationem: ex quo se tranquillos tenuerunt fratres. Reliqua ad seculum sequens.

§. CCCCLXXXIII. Inter Taboritas, et fratres Bohemos, ut eorum fidem et religionem luci exponam, convenit, Scripturam S. esse unicam fidei et vitae normam, et non Con-

cilia

cilia aut traditiones, extra aut contra Scripturam: Papas non esse infallibiles, aut supremos judices et Rectores, potius Antichristos: nullam esse Transubstantiationem, Missam, confessionem auricularem, purgatorium esse figmentum, nec sanctos aut imagines esse cultus objecta, caeremonias Sacrorum Pontificias esse inutiles, et superstitiosas. etc. Sed haec inter eos intercedit differentia: Taboritae septem agnoverunt sacramenta, licet quinque minus necessaria, et de nonnullis articulis, ut de purgatorio, sanctorum invocatione, et aliis, simpliciter adfirmant, eos non esse necessarios. Sed fratres Bohemi sese majore fiducia explicuerunt, puriorem fidem ac religionem professi, religioni Protestantium fere per omnia conformem. De quo ex monumentis citatis facile constat. Num in capitibus, inter sic dictos Lutheranos et Calvinistas, ad hos propius accedant, quod nuper contendit Elsnerus in *Scrinio antiquario* Gerdesii, tom. VI., non disputo, nec tanti habeo. Quod vero ad Ordinem sacrorum, regimen, disciplinam, et mores adtinet, proxime ad vetustam Ecclesiam videri voluerunt accedere. Habuerunt suos Episcopos, vel Superadtendentes, et ministros alios, suis gradibus distinctos: Synodos celebrarunt particulares, generales: Fratrum vero classes erant quatuor, incipientium, proficientium, perfectorum, et poenitentium. Ritus denique quoad dies festos, jejunia, preces, eleemosynas visitationesque Ecclesiarum, proxime conveniunt Ecclesiae antiquae. Quae, et quorum similia alia, facile peti possunt ex Comenio et Johanne Lasitio, nobili Polono, qui de origine et rebus gestis Fratrum Bohemorum scripsit: quorum librorum octavus tantum prodiit a. 1648. qui de moribus et disciplina eorum agit.

§. CCCCLXXXIV. *Picardi* in Bohemia a. 1418. exorti, de quibus nonnulla sunt dicenda, ab aliquo *Johanne Picardo* solent derivari, qui, ut narratur, e Gallia Belgica profugus venit cum sociis in Bohemiam, ibique profana dogmata sparsit, et obscoenos introduxit mores. Se esse Filium

Dei dixit, et Adamum adpellari, populum per praestigias decepit, et promiscua instituit connubia, ita tamen, ut alicui ad eum accedenti, et dicenti, *in hanc Spiritus meus concaluit*, responderit. *ite, crescite, multiplicamini, et replete terram.* Docuit praeterea, ut nudi incedant publice, nec non adseruit, se et socios esse solos liberos, alios vero omnes, qui vestiti, inprimis femoralibus, incedunt, esse servos. Hi homines insulam occuparunt, amne Lusinicio cinctam, et eorum quadraginta inde egressi occiderunt supra ducentos agrestes, quos Diaboli filios nuncuparunt. In quos Zizka inpetum fecit, omnesque insulares delevit, duobus tantum relictis, ut eorum sectam intelligeret. Ita rem refert AEneas Sylvius hist. Bohem. cap. 41., quem alii descripserunt. Saeviit vero in miseros hos homines ferro et flamma ipse Zizka, laudatus propterea á Pontificiis non tantum, sed et, quod mireris, ab ipsis Protestantibus. Hos vero ipsos Picardos ab his criminibus fuisse liberos, imo veros Waldenses, purioris fidei et religionis sectatores, et propterea fuisse Zizkae, quippe Calixtino, odiosos, multis disputavit Beausobr. de Adamitis, ad calcem L'Enfant. de *bello Hussitico*, cui contradicit Cl. Moshem. hist. sec. XV., qui vulgatae narrationi adhaerescit, eamque ex genuinis monumentis demonstrari posse adserit: quod tamen non praestitit. Waldenses, ut rem, altius repetitam, in vera sua luce ponam, et summatim enarrem, in Bohemiam, et vicina loca seculo XII., ut supra observavi, jam venerunt, interque eos populos, qui Graecis ritibus adsueti, et a Latinis alieniores, erant, licet nobiles et Magnates, aulam sequi soliti, Latinis se adjunxerint, bene recepti sunt, ipsisque majorem adhuc Latinorum rituum aversionem inspirarunt. Quo in statu res manserunt ad medium sec. XIV. usque; quando Carolus IV. Inperator, et Ernestus Archiepiscopus, iis exercitio religionis, sine ritibus Latinis, interdixerunt. Unde factum est, ut, ab iis alieni ritibus, conventus agere coeperint in montibus, speluncis, et castellis Magnatum, qui ipsos prote-

protegebant. Dein, ortis motibus Bohemicis, in lucem prodierunt, aliqui ſeſe Taboritis adſociarunt, alii, ſat magno numero, arma quoque ſumſerunt, ut injuſtas illas Monachorum, et Sacerdotum, vexationes, quas paſſi erant, ulciſcerentur, ſimul libertatem ſuam defenderent. Acceſſerunt praeterea ſocii e Picardia, quae eſt Galliae Belgicae pars, et inde originem repetiit fabula de Johanne Picardo, tanquam ſectae autore. Diſtincti fuerunt a Taboritis, vel Zizcanis 1. reſpectu Syſtematis prophetici, ſecundum quod cenſebant veniſſe tempus, quo Antichriſtus, et inprobi, ſint delendi, ſeque eſſe miſſos, ad populum Dei e Sodoma eripiendum, et malos puniendos. 2. quoad Tranſubſtantiationem et Miſſam, ab ipſis cum omnibus conſequentiis repudiatam. Unde eorum oppugnationes a Catholicis, ipſo etiam Zizka, qui Calixtinus erat, natae ſunt. Zizka mortuo, Taboritae maximam partem, Duce Procopio Magno, eos in ſocietatem receperunt, unde fratres Bohemi ſunt exorti. Unde eſt, quod Picardi et Bohemi paſſim ab Hiſtoricis ſint ſecum permixti. Calumnia vero, quam cum veteribus Waldenſibus habuerunt communem, variam potuit habere originem: ut ex. gr. quod, paſſim vexati et ſpoliati, incedere nonnunquam debuerint nudi, vel male veſtiti, pompam in ſacris reſpuerint, omniaque ad nudam ſimplicitatem retulerint, forte etiam nonnulli Paradiſiacam nuditatem imitari voluerint. Accedit, de Waldenſibus, in Bohemiam ſec. XII. adpulſis, fabulam fuiſſe ſparſam, de *duobus daemonibus* in Bohemia, qui ſub forma humana praedicaſſent *nuditatem.* Quo pertinet, quod, cum Picardi innotuerunt, Doctores Pragenſes publice admonuerint populum, ut ſibi ab *iſtis in hominum figura diabolis* caveat. Plura ſuppeditabit Beauſobr. l. cit.

§. CCCCLXXXV. Miſſis *Lollardis* in Anglia, hoc etiam ſeculo vexatis, de quibus ad ſeculum praecedens dixi, et verbo memorata ſecta *hominum intelligentium*, de Flagellantibus quaedam reſtant notanda. Autor ſectae *hominum intel-*

*ligentiae* dictorum, fuit AEgidius Cantor, et promotor Wilhelmus de Hildenissem, Carmelita, qui Origenis de omnium restitutione opinionem etiam tenuerunt. Vid. Baluzius Miscell. l. II., ubi processum, contra eos factum per Petrum de Alliaco, Cameracensem, exhibet a. 1411. Contradixerunt hi homines receptis opinionibus et ritibus Catholicorum, et internos Spiritus S. motus tantum adtenderunt; pro *Spiritualibus*, sic adpellari solitis, itaque habendi. Agnoverunt quoque, Christum solum salutem hominum meritis suis acquisivisse, solum peccata remittere posse, non sacerdotes, voluntarias denique corporis adflictiones esse ad salutem inutiles. Secta *flagellantium*, de qua, praeter autorem *historiae* flagellantium, supra citatum, vid. Lenfant concil. Constant. p. II. et Pisan. p. I., seculo XIII. jam nata, ut suo loco vidimus, et per varias terras, ut Italiam, inde Franciam, Germaniam, Bohemiam, Hungariam, Poloniam, et ipsam Graeciam, teste Nicephoro Gregora, seculi XIV. scriptore, propagata, satis laudabiles initio protulit fructus. *Silebant enim tunc omnia musica instrumenta*, ut habet Monachus S. Justinae Paduensis in Chronico, apud autorem *historiae flagellantium*, *et amatoriae cantilenae*, *omnes discordes ad concordiam redierunt*, *usurarii et raptores male ablata restituerunt*, *peccatores poenitentiam egerunt*, *carceres sunt aperti*, *captivi dimissi*, *exsules revocati* etc. Sed sec. XIV. haec secta in opiniones, et mores, religioni receptae adversos, degeneravit, et caput maxime erexit: quare ubique proscripta fuit, uti a Clemente VI. et Gregorio XI. Papis, nec non a Principibus et Regibus, ut Manfredo in Sicilia et Italia, teste Trithemio Chron. Hirsaugiense, a Carolo IV. Inperatore, Principibus Bavariae, et aliis. Philippus quoque Valesius, ad Universitatis Parisiensis petitionem, eos Gallia expulit, ut tradit continuator Nangii a. 1349. Repressa quidem fuit aliquatenus in principio, sed mox longe majore inpetu resurrexit: quo, praeter pestem, quae grassari coepit a. 1349., haud parum contulit schisma Papale, et Ec-

clesiae fcissa ac misera conditio, quare Inquisitores sese ad eam exstirpandam adcinxerunt. Gobelinus Persona in *Cosmodromio* narrat, plures circa a. 1414. esse combustos in Thuringia. Cui consentit Theodoricus Urie, in hist. concilii Constant. apud Hardtium, qui caput sectae in Germania dicit fuisse Conradum Fabrum, vel *Smith*, paulo ante illud tempus mortuum, vel combustum. qui se Henochum venditasset, et a Deo potestatem judicium ultimum exercendi accepisse: forte quia adseruit, illud in propinquo esse, et mundum a sanctis esse judicandum. Ceterum, rejectis Catholicorum opinionibus, et ritibus, censuisse dicuntur, eos, qui Symboli Apostolici articulos adsumunt, orationem Dominicam et ave Maria saepe recitant, et certis temporibus corpus suum flagellant, in poenam peccatorum, salvandos esse. Vid. Cl. Moshem. hist. sec. XV. ad fin. Sed nec hac ratione exstingui potuit secta, quia capite carebat, quare *acephalorum* nomine insignita est, et poenitentiae essent ejus adseclae studiosi, praeterea sese ad externam Ecclesiae formam, licet eam damnarent, conformaverint, ad persecutionem evitandam. Accessit, homines insignis dignitatis, et autoritatis, sectam fovisse, inter quos fuit Vincentius Ferrerius: de quo supra, ad quem epistolam scripsit Johannes Gerson, ut eum hisce hominibus subduceret, et ad Concilium Constantiense adduceret, qui et tractatum contra ipsos composuit oper. tom. II. Singulare est, nihil in concilio Constantiense contra eos esse actum, licet longius Husso et Hieronymo a dominante religione discesserint. Imo renovata est secta seculo XVI., cujus fautores sese praestiterunt Henricus III., Galliae Rex, Pontifex Romanus, et alii, frustra renitente Senatu Parisiensi. Thuan. Hist. l. LIX. Oculis etiam, sec. XVI. in initio, Nobilis peregrinator M. a Baumgarten ejusmodi flagellantes Cretae, ad 300 usque, Graecos et Latinos, usurpavit, quorum alii id genus flagellationis in *recompensam* passionis Christi jubebant, alii, majore numero precio ab aliis conducti id faciebant,

ciebant, et patiebantur: addit, totam civitatem ad illud spectaculum fuisse effusam, et quemque, per intervalla, lingua sua, Graecos et Latinos, adclamasse, *misericordia, misericordia!* Vid. *ejus peregrinatio per Aegyptum* etc. l. III. c. 21.

§. CCCCLXXXVI. Ceterum tantos haec secta nacta est adversarios, non tantum, quod ipsa flagellatio voluntaria ipsis displicuerit, ut in *historia flagellantium* demonstratur, sed in primis, quod se ad hanc disciplinam crediderint, per aliquam epistolam, coelo super altare Petri Hierosolymis demissam, teste Alberto de Argentina in Chron., apud autorem historiae flagellantium, obstrictos, quodque deinceps huic sese inmiscuerint sectae, qui a recepta religione erant alieniores, et errores fovebant minus ferendos. Quos Theodoricus Urie, apud L'Enfant l. cit., recenset. Respuebant illi, ex. gr., omnia sacramenta, omnes ritus externos, solam flagellationem esse necessariam, et salutem adferre, dictitantes: expresse negarunt Transubstantiationem, purgatorium, auricularem confessionem, indulgentias, invocationem sanctorum, etc., imo, Ecclesiam Romanam, cum Papis et Clericis, quos Antichristos dixerunt, damnarunt ut Wiclefitae et Hussitae. Insuper tenuisse dicuntur, 1. perjurium, ad evitandam persecutionem, esse licitum 2. fas etiam propterea esse, sese ad externam religionis formam conformare, vel, posse haec peccata per flagellationem expiari. 3. Begardum, Erfordiae combustum, et Smithum, duos ex praecipuis sanctis, illum esse Eliam, hunc Henochum. Quae omnia sintne vera, praestare non possum.

## ECCLESIA GRAECA.

§. CCCCLXXXVII. Actum est hoc seculo de schismate Graecorum tollendo in Concilio Florentino, plane ad nutum Paparum, sed sine durabili effectu. Primum caput, hic discussum et definitum, ut acta Synodi, cujus notitiam

supra

ſupra dedi, hac parte tantum enarrem, circa Spiritus S. proceſſionem, ex Patre, an ex eo Filioque, verſatur. Poſt longas diſputationes et collationes, in quibus primas tenuerunt partes, inter Graecos Marcus Epheſius Metropolita, Iſidorus et Beſſario, ille Ruſſiae, hic Niceae, Metropolitae, Xantopulus Siderophas magnus vaſorum cuſtos, Michael Balſamon, magnus Bibliothecarius, et Georgius Gemiſtus, ex Latinis vero Julianus Cardinalis, Andreas Rhodius Archipraeſul, et Johannes, Archiepiſcopus Forolivienſis; conceſſerunt tandem Graeci in fidem Latinorum, et fidem hanc in formam declararunt: *conſentimus vobis, et quod, additum Sacro ſymbolo, recitatis, e ſanctis Patribus deſumtum eſt, et approbamus illud, et vobiſcum unimur, dicimuſque, Spiritum S ex Patre* Filioque *procedere, tanquam ab uno principio et cauſa.* Definitum porro eſt, *explicationem verborum illorum Filioque, veritatis declarandae gratia, et inminente tunc neceſſitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuiſſe adpoſitam.* 2. De pane azymo an fermentato dein eſt diſputatum, et concluſum, utrumque licite adhiberi, adeoque ſuam conſuetudinem Eccleſias retinere, poſſe. Confeſſio quoque Beſſarionis in Synodo, nomine Graecorum, facta eſt, qua, in euchariſtia tranſubſtantiationem fieri per quinque illa nota verba Chriſti, admittit. Exſtat Latine in Muſeo Ital. Mabillon. tom. II. 3. Purgatorii reſpectu definitum eſt, animas, ſine ſufficiente poenitentia ex hac vita emigrantes, poenis purgatoriis purgari, iiſque vivorum ſuffragia, eleemoſynas, etc. prodeſſe. Denique 4. quoad primatum Papae concluſum eſt, Papam in univerſum orbem tenere primatum, et eſſe ſucceſſorem Petri, et verum Chriſti vicarium, totiuſque Eccleſiae caput, et omnium Chriſtianorum doctorem, ac Patrem. etc. Hac ratione confecta eſt unio Eccleſiarum, et fidei definitio compoſita, ſub Johanne Palaeologo, Inperatore Graecorum, et Eugenio IV. Papa, ſed diſſentiente et repugnante Marco Epheſio; ad quam illuſtrandam nonnulla ſubjungam obſervata.

§. CCCCLXXXVIII. 1. Inperator ad eam non sponte, sed necessitate temporum, fuit adactus, sub spe auxilii a Latinis contra Saracenos inpetrandi. Papa enim sine hac subjectione iis opem ferre recusavit 2. Graeci vero Praesules, qui Ferrariae primum, dein Florentiae aderant, partim artibus et praemiis Curiae Romanae, partim variis molestiis, quibus durante Synodo premebantur, eo volentes nolentes compulsi sunt, ut fuse narrat historia concilii Florentini, a Sgyropulo conscripta, et Graeci Scriptores, qui hujus unionis meminerunt, diserte testantur; uti Chalcocondylas in historia, autor historiae politicae in Turco-Graecia M. Crusii, Georgius Scholarius contra Latinos, alii. 3. Denique, quod majoris est, tota Graecia huic unioni post Synodum restitit, et Synodum repudiavit, sicut Marcus Ephesius in ipsa fecerat Synodo. Praeterquam quod Graeci Scriptores illud uno ore adfirment, gesta in eos, qui in Synodum consenserant, satis testantur. Isidorus Ruthenus, ex. gr., mox a suis est in vincula conjectus, Graeci CPolitani cum illis, ut apostatis, communicare noluerunt: Metrophanes Cyzicenus, Patriarcha per Latinam factionem electus, damnatus est tanquam latro, verusque *μητροφόνος matricida.* Synodus praeterea Hierosolymis coacta a. 1443. vehementer in hanc unionem, ejusque autores, est invecta, litteris etiam ad Inperatorem scriptis, ut ad veram fidem Graecanicam revocaretur. Litteras Synodales, lectu dignas, contra Metrophanem, et ad Inperatorem, exhibet Leo Allatius de *consensu* etc. l. III. Mansit itaque perpetua Graecorum dissensio, et schisma continuavit, sicut ad hunc usque diem durat. Vid. Fr. Spanhemius in *dissert. de perpetua dissensione* etc.

## SCRIPTORES ET STUDIA.

§. CCCCLXXXIX. Floruerunt hoc adhuc seculo aliquatenus viri Docti inter Graecos, qui historiae, bonis litteris, et

Theologiae operam dederunt, ſed et cum hoc ſeculo exſpirarunt ſtudia in Graecia, Graecique, poſt ſubjugationem a Turcis, ſenſim in profundum ceciderunt ſoporem. Praecipui autem ſcriptores ſunt, vel Controverſiſtae, vel Hiſtorici. Quorum illi operam fere unice controverſiis cum Latinis, quae occaſione unionis Florentinae reſuſcitatae ſunt, inpenderunt. Miſſis, qui ad Latinos tranſierunt, et Graecae linguae ſtudium inter eos inſtaurarunt, duos ſupra memoravi praecipuos, alios ſtrictim recenſebo. Primum meretur locum *Simeon*, Theſſalonicenſis Archiepiſcopus, ſtrenuus ille Graecorum propugnator contra Latinos, et Turcas, illos ſcriptis, hos armis, oppugnando, cum Theſſalonica ab his obſideretur; paulo ante urbem ab Amurathe captam a. 1430., mortuus. Vid. Leo Allatius de *Simeonibus*, qui ipſum a peritia et pietate laudat, nihilque carpit, niſi quod Latinis ſe objecerit. Opera ejus ſunt maximam partem inedita; praecipuum, et ad ritus Graecorum religioſos hujus ſec. cognoſcendos utile, quod integrum vidit lucem, Graece editum in Moldavia a Doſitheo, Patriarcha Hieroſolymitano a. 1683., eſt de *fide*, *ritibus*, *et myſteriis*, *Eccleſiaſticis*; cujus partes ſunt 1. de Templo et Miſſa; quod opus Graece et Latine publicatum eſt a Jacobo Goar in *euchologio* 2. dialogus adverſus omnes haereſes, unde varia protulit fragmenta Leo Allatius, 3. de *ſeptem ſacramentis*; unde de poenitentia, et Ordinatione, in lucem protulit Morinus de *poenitentia et ſacris Ordinationibus*.

§. CCCCXC. Miſſo *Joſepho Bryennio*, Monacho, et concionibus ad populum habendis praefecto, circa a. 1420. celebri, cujus varia opuſcula inedita ſuperſunt contra Latinos, quae recenſet Leo Allatius, ad alium ſtrenuiſſimum Graecorum defenſorem, in ipſo concilio Florentino, *Marcum Epheſium* accedo. Ipſe, alias Marcus Eugenicus, Metropolita Epheſinus ab a. 1436., primas tenuit partes in diſputatione cum Latinis in Synodo. Viſus quidem in initio inferior, quippe Scholaſticis ſubtilitatibus non adſuetus,

ſed, a Beſſarione adjutus, omnes dein rapuit in ſtuporem. Cum vero cauſam ardente ageret zelo, nec Latinis ullo modo parceret, pro inſano eſt traductus, ab ipſo etiam Beſſarione, dein dictus *cacodaemon.* In unionem nullo modo ut conſentiret adduci potuit, et in patriam redux eodem perrexit agi ſpiritu, uſque ad mortem a. 1447., cui vicinus, eandem cauſam Georgio Scholario commendavit adeo vehementer dicam an furioſe, ut ipſe, Deo, Angelis, et hominibus advocatis teſtibus, jurare debuerit, ſe hoc ſancte eſſe obſervaturum. Opuſcula ſunt maximam partem inedita, quorum aliquas lacinias hic illic exhibet Leo Allatius: una alterave epiſtola proſtat in *tomis Conciliorum.* Tractatus tantum, quod *donorum divinorum conſecratio non ſolum fit verbis Dominicis*, ſed per preces, et benedictiones, ſacerdotis a Spiritu S., reperitur inter Liturgias Graecorum Pariſ. a. 1560., et peculiarem meretur hac parte adtentionem.

§. CCCCXCI. *Beſſarion*, cujus modo memini, Marco doctior, ſimul moderatior, in cujus laudes, Oratione habita, ſe effudit Platina, apud Bzovium a. 1472., patria fuit Trapezuntinus, S. Baſilii Monachus, dein Archiepiſcopus Nicaenus. Tuitus eſt in concilio Florentino Marcum Epheſium contra Latinos in initio, cauſam Graecorum docte et acriter egit. Dein ad Latinos tranſiit, et eorum cauſam haud leviter promovit. In Graeciam redux, Patriarcha quidem CPolitanus a Latinae factionis hominibus electus eſt, ſed, Graecis repugnantibus, cedere coactus, reverſus eſt ad Latinos, ac honoribus cumulatus, factus quoque Epiſcopus Tuſculanus et Cardinalis; parumque afuit, quin Pio II. in Papatu ſucceſſiſſet. Attamen egregium ſemper in Graecos retinuit adfectum, adeo ut nihil non, licet ſine ſucceſſu, egerit ad Germanos et Venetos inflammandos ad bellum cum Turcis; domum praeterea fecerit aſylum ſapientiae Graecae profugae, capta CPoli. Obiit Ravennae a. 1472. Opera ejus, ſive Graece ſive Latine, ad notiſſimas quaeſtiones, aliaſque materias, pertinentia, exſtant haud pauca.

§. CCCCXCII.

§. CCCCXCII. Marci Ephesii adsecla, et Latinorum acerrimus adversarius, fuit *Georgius Scholarius*, etiam *Gennadius* dictus. De quo haud levis inter doctos agitatur quaestio, fueritne unus, an ejus nominis duo? Memoratur enim Scholarius, qui Marco Ephesio contra Latinos adhaesit, et *Syntagma* scripsit contra Synodum Florentinam, quod Londini prodiit, nec non alter, qui multa pro Latinis in vulgus emisit. Interfuit etiam Scholarius concilio Florentino, Johanni Palaeologo familiaris, et Latinorum fautor, tenuit etiam sedem CPolitanam Scholarius, post urbem captam, ab a. 1403. Leo Allatius duos ac diversos fuisse Scholarios contendit, sed unum eundemque R. Simon de *Transubstantiatione* contra Smithum, et Renaudotus, cujus dissertatio exstat in Biblioth. Gr. Fabricii vol. X. Quam quaestionem licet decidere nolim, non possum tamen, quin observem, esse posse, ut Scholarius Florentiae in partem mitiorem inclinaverit, et unionem judicaverit Inperio Graeciae esse necessariam: postea vero, animo mutato, cum nihil esset a Latinis sperandum, sese iis denuo opposuerit, et Patriarcha fuerit factus. Multa inter opera, et varii argumenti, quae condidit, missis spuriis, quae a Pseudo Gennadio profecta sunt, uti quae pro Latinis et Synodo Florentina scripta sunt, comparet, maxime notanda, *confessio*, seu sermocinatio habita cum Mohamete, de *recta Christianorum fide*, quae et alibi, et apud Chytraeum, de *statu Ecclesiarum in Graecia*, exstat; ubi etiam reperitur epistola ejus, et aliorum, nomine scripta ad Bohemos tanquam Orthodoxos a. 1451. Ceterum primus fuit Patriarcha CPolitanus post urbem occupatam a Turcis, Mohameti etiam valde acceptus.

§. CCCCXCIII. Succedat Apologista Synodi Florentinae *Gregorius Melissenus*, Mammas dictus, Palaeologorum a confessionibus, dein ex Protosyncello Patriarcha CPolitanus, quo tamen munere se postea debuit abdicare, quia ob studium in Latinos erat populo invisus. Licet enim animo

in Latinos hostili ad concilium venerit, muneribus postea corruptus Latinorum causae patrocinatus est. Inter varia, quae contra Marcum Ephesium conscripsit, memoranda est apologia pro quinque capitibus concilii, diversa ab illa, quae Scholario, vel Gennadio, adscribitur. Finiant hunc catalogum duo Georgii, alter Philosophus, Georgius Gemistus, alter antiquitatum studiosus, Georgius Codinus. *Georgius Gemistus*, alias *Pletho*, (quae eadem sunt nomina: sicut enim γεμιςὸς a γέμω, ita a πλήθω est πλήθων) dictus, quod ob nomen Platonis, cujus fuit studiosissimus, ipse praetulit, Byzantinus fuit, sed in Peloponneso maxime versatus: vir scientia et moribus celeberrimus, qui causam Graecorum in concilio Florentino contra Scholasticos acute, et cum laude, egit; Philosophiae vero Platonicae plane devotus, et in ea probe eruditus. Scripsit de Processione Spiritus S., de virtutibus, de Platonicae et Aristotelicae Philosophiae differentia, denique in oracula Zoroastris, ad calcem oraculorum Sibyllinorum, etiam nonnulla ad historiam et Geographiam pertinentia. *Georgius* vero *Codinus*, Curopalates sub postremis floruit Palaeologis, et urbem a Turcis captam commemorat a. 1453., adeoque Inperio Byzantino superstes. Scripsit de *officiis et officialibus aulae Inperatorum, et magnae Ecclesiae CPolitanae*, nec non excerpta de *Originibus urbis.* Qui libri, hanc in rem utilissimi, inserti sunt, cum aliis similis argumenti monumentis, *Corpori Byzantino.*

§. CCCCXCIV. Agmen Historicorum ducat celebris ille Historiae concilii Florentini conditor inter Graecos *Sylvester Sguropulus*, vel *Syropulus*, unus ex sex ςαυροφόροις *crucigeris*, qui praecipuas in Ecclesia CPolitana gerebant dignitates, Patriarchae consiliarii. Praesens cum Inperatore adfuit in Synodo Florentina, ejusque acta et gesta probe perspexit, unioni quoque, sed invitus et coactus, subscripsit. In Patriam vero redux animum ad Concilii historiam posteritati mandandam adplicuit, in qua artes, fraudes, aliaque flagitia, Latinorum, vivis depingit coloribus, quibus

Graeci ſunt circumventi. Neglexerunt quidem hanc narrationem Conciliorum collectores, ſed eam luci expoſuit Robertus Creygton, poſtea Epiſcopus Bathonienſis et Wellenſis, cum notis et prolixa praefatione, Hagae Comitum in Fol. Unde Leonis Allatii exercitationes ortae ſunt contra Creygtonum; quibus, licet varios ejus errores detexerit, multa quoque erudite monuerit, fidem tamen non potuit, quod intendit, labefactare.

§. CCCCXCV. *Georgius Phranzes*, ut ad alios pergam hiſtoricos, illuſtri genere natus, ſummiſque dignitatibus, et praeclaris geſtis, celeberrimus, et Palaeologis acceptiſſimus, primum *protoveſtiarius*, qui regium veſtitum curabat, et ad res ſummi momenti adhiberi ſolebat, dein etiam magnus *Logotheta*, fato urbis et inperii ſupervixit, venitque cum ſuis in Turcarum poteſtatem, dein liberatus in Peloponneſo degit apud Tomam Palaeologum, Conſtantini fratrem, denique, Peloponneſo quoque ſubjugata, in Italiam ſe recepit, et Corcyrae egit Monachum, adſumto *Gregorii* nomine. Autor eſt *Chronici rerum Byzantinarum* ab a. 1401. ad a. 1477., quo defunctus eſt. Exſtat in ultimo tomo *Corporis Byzantini*, ſed Latine tantum, ex verſione Pontani. Urbis obſidionem, et expugnationem, adcurate admodum deſcripſit, in reliquis minis oculatum ſe praeſtitit. Eodem tempore floruit *Ducas*, Michaelis Ducae nepos, capta urbe profugus in Lesbum inſulam ad Principem Chriſtianum, cujus aulae miniſter fuit, et variis legationibus ad Turcas functus. Ea dein inſula quoque capta a. 1462., hiſtoriam conſcripſit, qua res praecipue complexus eſt ab a. 1341., ſeu Andronici Palaeologi junioris obitu, uſque ad Lesbum captam. Exſtat cum Iſmaelis Bullialdi verſione et notis in Corpore Byzantino. Agmen claudat *Laonicus*, vel, quod idem eſt, *Nicolaus Chalcocondylas*, Athenienſis, a. 1470. clarus: cujus ſupereſt hiſtoria de *origine ac rebus Turcarum, et inperii Graeci interitu*, ab a. 1298. et Ottomanni I. initiis, uſque ad inperium adultum Muhammedis II. a. 1462.

Aliam autem manum habet brevis adpendix, usque ad a. 1565., quae in omnibus non comparet editionibus. Extat in Corpore Byzantino, ubi adjuncti sunt *Annales Sultanorum Othmannidarum*, ab ipsis Turcis confecti, et inde in linguam Latinam translati. Additae sunt notae Leunclavii, cum ejus continuatione ad a. 1588., nec non Pandectes historiae Turcicae.

## FINIS INPERII ORIENTALIS.

§ CCCCXCVI. CPolin initio seculi obsedit quidem Bajazethes, eamque occupasset, et finem inperio Graecorum inposuisset, nisi magnus ille Tamerlanus, Tatarorum Dux, a Graecis evocatus, eum repressisset, et ingente adfectum clade in potestatem redegisset: quod Inperante Manuele Palaeologo accidit. Amurathes II., inperii Turcarum famosus promotor, qui sedem ejus jam fixit Adrianopoli, Urbem iterum obsessam cepisset, totamque Europam inundasset, nisi duo insignes illi heroes, Georgius Castriotus, Turcis dictus Scanderberg, Albaniae Princeps, et Johannes Corvinus, Hunniades, pater Matthiae, Hungarorum Rex electus, ei restitissent. Tandem tamen fatalis venit hora, et, Constantino Graecorum Regnum tenente, Muhammedes II. CPolin vi expugnavit, ut Graeci tradunt, vel, ut Turci narrant, partem Urbis vi, aliam partem pacto in potestatem redegit, addunt, in priore parte propterea Christianae religionis exercitium fuisse abolitum, in altero vero permissum. Qua ratione regnum Graecorum destructum est in perpetuum a. 1453. Qui et Trapezuntinum regnum sub Davide Comneno, postquam a capta urbe a Francis a. 1204. stetisset fere per 257 annos, exstinxit. Propagavit dein regnum Turcicum, et firmavit, per Epirum, Moream, et alias provincias, Muhammed Bajazethes II., qui ei a. 1481. successit. Quae historia ex Annalibus Turcicis Leunclavii, ejusque pandectis,

tis, ac hiſtoricis Graecis ſupra memoratis, petenda, hic autem uberius non eſt narranda.

§. CCCCXCVII. De ſtatu Eccleſiae Graecae, jam ſubactae, et ſervituti ſubjectae, ſub Turcis, cum ſeculo ſequente uberius agendi locus ſit, notaſſe ſufficerit, ſacrorum et religionis exercitium fuiſſe Graecis relictum liberum. Capta urbe electus eſt Patriarcha Georgius Scholarius, alias Gennadius dictus; de quo ſupra expoſui. Cui, ſe ſponte abdicanti, et in monaſterium ſecedenti, ſuffectus eſt Iſidorus Hiero-monachus, vir inſignis probitatis. De quo vid. hiſt. Eccleſ. Emanuelis Malaxi apud Mart. Cruſium, qui Latine vertit.

# SECULUM DECIMUM SEXTUM.

## ECCLESIA CATHOLICO-ROMANA.

## SCRIPTORES ET STUDIA.

§. CCCCXCVIII. *Historici*, qui hoc seculo fuerunt magno numero, sequentes in usum nostrum notandi sunt. *Franciscus Guiccardinus*, Florentinus, ex nobili oriundus familia, et ipse muneribus, praeclarisque gestis, celebris, historiam sui temporis condidit ab a. 1493. ad a. 1532., maxime commendabilem. *Paulus Langius*, Cygnaeus, seu Zwiccaviensis, Benedictinus, Chronicon concinnavit Citizense, seu Episcopatus Ziticensis, ab a. 465. ad a. 1515. inter Scriptores Germanicos Pistorii tom. I. *Albertus Krantzius*, Syndicus, et Decanus, Hamburgensis, Magister Theologiae, vir doctus, et probus, a. 1517. defunctus, scripsit Wandalicam, Saxonicam, et Chronicon rerum septentrionalium Daniae, Sueciae, et Norvegiae ab a. 780. ad a. 1504., *Petrus Dorlandus*, Carthusianus, Prior in Zeelhem, dioecesios Leodiensis, Chronicon etiam, praeter alia scripta ascetica etc., dedit Carthusianum, a Theodoro Petraeo cum notis editum. *Polydorus Virgilius*, Urbinas, Wellensis Archi-diaconus, et Papae in Anglia quaestor, posteritati reliquit, praeter utiles libros de *rerum inventoribus*, aliisque materiis, *historiam Anglicam*, libris XXVI. novissime a Thysio publicatam. Sed in qua

Angli habent, quod carpant. Vid. Henricus Savilius in praefat. ad Scriptores Anglicarum rerum. *Paulus AEmilius*, Veronenſis, Canonicus Eccleſiae Pariſienſis, a. 1529. mortuus, praeclarum compoſuit opus de rebus geſtis Francorum libris X., decimo tamen prae morte relicto inperfecto, deſinit in anno 1488., continuatum poſtea ab aliis. Meruit autor doctorum laudem, ipſi vere competentem. *Johannes Dubravius*, gente Bohemus, et Olmuzenſis in Moravia Epiſcopus, legationibus et rebus geſtis clarus, bene de publico meruit hiſtoria ſua Bohemica, libris XXXIII., licet Germanis iniquior, nec a partium ſtudio liber. *Johannes Magnus*, Gothus, Archiepiſcopus Upſaliae, acer ille Lutheranorum adverſarius, ſcripſit de Epiſcopis Sueciae, et de Regibus Gothorum ac Suecorum, cui adpendicem adjunxit frater ejus, et ſucceſſor, Olaus Magnus. Res vero Viennenſes conſcripſit *Wolfgangus Lazius*, Medicus Viennenſis, et Ferdinandi I. hiſtoricus: chronicon rerum Hiſpanicarum *Johannes Vaſaeus*, Brugenſis, Profeſſor vero eloquentiae Salmanticenſis: hiſtoriam rerum Venetarum *Petrus Juſtinianus*, Patricius Venetus; hiſtoriam Indicam *Petrus Maffaeus*, Jeſuita, libris XVI., autor vitae Ignatii Lojolae: denique regni Sinarum, ex ipſorum praecipue libris, *Johannes Gonzales* de Mendoſa, Auguſtinianus.

§. CCCCXCIX. Peculiarem meretur animadverſionem *Johannes Aventinus*, a patria Avensberga, civitate Bavariae, antiquitus Abuſina, hoc tempore Aventino, ſic dictus; qui ſtudia humaniora variis in Germaniae locis docuit, et Principum Bavariae ſtudiis praefuit, et tandem Ratisbonae obiit a. 1534., cujus vitae ſumma capita etiam perſtrinxit Biblioth. German. nova a. 1750. tom. VI. Exhibet quoque quaedam ad ipſum, et Annales ejus, ſpectantia, Schelhorn Amoenit. Litter. tom. V. Occultavit ipſe, ſub fidei Catholicae profeſſione, animum ad Proteſtantes inclinatum, quem etiam in libris ſuis ſubinde patefecit, ſepultus ritu Catholico, et epitaphio tanquam verae religionis amator ornatus, poſ-

tea a Jesuitis detectus est, tanquam haereticorum fautor, in primis, quia Clericorum, Monachorum, et curiae Romanae, vitia liberrime perstrinxit; quam ob causam in expurgatorio indice ad classem autorum, caute legendorum, relatus est. Celebre autem nactus est nomen Annalibus Bojorum, a primis Germanorum temporibus usque ad a. 1450., libris VII., quorum novissima editio est Gundlingiana. Ceterum expertus et ipse est Ecclesiasticorum vexationes, in carcerem quoque ob haereseos suspicionem missus, sed inde liberatus. Denique agmen historicorum claudat historiae Universalis conditor *Natalis Comes*, Patricius Venetus, obscuriore quidem stilo, et ordine confuso, cetera non spernendus, et *Paulus Jovius*, Episcopus Nuceriae, membrum concilii Tridentini, praeclaris historicis adnumerandus: scripsit historiam sui temporis libris XLV., et elogia illustrium virorum.

§. D. *Litteratorum*, ad quos pergo, Princeps cum hoc seculo merito habeatur *Desiderius Erasmus*, de eo ante omnes agendum est. Natus quidem est Roterodami circa a. 1467., sed Goudae conceptus ex illegitimo matris commercio cum cive honesto Goudano, licet sub spe matrimonii, quare illustribus spuriis adnumeratur, Tyrocinia deposuit Daventriae, sub tutela matris, et cura patris Gerardi, qui tamen matrem nunquam duxit, aut postea tetigit. Sed utroque parente brevi orbatus, et tutoribus commissus, volens nolens ad vitam monasticam est adactus: unde per Episcopum Cameracensem abstractus, variis in Academiis et locis aetatem trivit, diu Basileae versatus ibi defunctus est a. 1536. Vitam ejus per annales ex Epistolis ejus praeclare contexuit J. Clericus Bibl. Select. t. V. et VI. Exstat quoque vita ejus in *vitis Selectorum virorum*, quae Londini prodierunt. Virulentissimas J. C. Scaligeri epistolas contra Erasmum in lucem protraxit Schelhorn. amoen. litter. t. VIII., qui etiam ejusdem Scaligeri elogium, quo ipsum post mortem honoravit, ibidem exhibet: ex quo pa-

tet,

tet, Scaligerum ad melius et ſanius de Eraſmo judicium rediiſſe. Praeſtitit utique ſeſe haud uno nomine celeberrimum et laudatiſſimum virum, et orbis eruditi ſingulare ornamentum. Patribus exacte publicandis et intelligendis egregiam navavit operam: Novum Teſtamentum adhibitis MS. Codicibus Latine vertit, et notis illuſtravit, cujus variae exſtant editiones, ſed ſecunda a. 1519. optima. Litteras humaniores inſigniter promovit, uti libris *Proverbiorum*, et aliis multis. Vitia Clericorum et Monachorum, eorumque barbariem, falſe perſtrinxit. Reformationi introducendae, et ſtabiliendae, egregiam multis modis opem tulit; de quo legi meretur Hottinger. hiſt. ſec. XVI. p. II., licet nomen inter Proteſtantes nunquam fuerit profeſſus, etiam contra Lutherum ſcripſerit *de libero arbitrio.* Erat enim ab omni vehementia, et ardentiore zelo, in cauſa fidei et religionis, alienus. Vid. de animo Eraſmi, praeter alios, Seckendorf. hiſt. Lutheran. a. 1520. In una Epiſtolarum, ex. gr., dicit, *ſibi adeo inviſam eſſe diſcordiam, ut veritas etiam diſpliceat ſeditioſa:* in alia aliqua, *ſibi non eſſe animum ob veritatem capite periclitari.*

§. DI. Initio ſeculi vixit, et inter Litteratos, aeque ac Theologos, nomen haud vulgare acquiſivit *Johannes Ludovicus Vives*, Hiſpanus, Valentiae natus: qui in Anglia aliquamdiu verſatus eſt, et Mariae, Henrici VIII. filiae primogenitae, praeceptorem egit. Unde, cum, propter divortium Regis inprobatum in iram ejus incurriſſet, et liberae cuſtodiae mancipatus fuiſſet per ſex menſes, liberatus in Belgium ſeceſſit, Brugis Flandrorum moratus et defunctus a. 1541. Praecipua ejus opera ſunt libri quinque de *veritate religionis Chriſtianae*, Commentarii ad Auguſtinum de *civitate Dei*, de *corruptis diſciplinis*. etc. Ceterum diſplicuit per ſtili libertatem Lovanienſibus, et cenſuram aliquam meruit. Eodem tempore floruit *Ludovicus Coelius Richerius Rhodiginus*, Italus, qui Mediolani et Patavii Graecas litteras docuit et Latinas, fuitque Julii Caeſaris Scaligeri prae-

ceptor: mortuus a. 1520., Multifaria lectione, et reconditiore eruditione, celebris, inmortale nactus est nomen utilissimo libro, cui titulus, *antiquarum lectionum libri* XXX. *Johannes Cuspinianus*, Steinfortensis Medicus, Inperatoris Maximiliani Orator, mortuus Viennae a. 1529., vir probus et laboriosus, de *Consulibus* et *Inperatoribus Romanis* scripsit a Julio Caesare ad Maximiliani I. mortem, nec non de *Austria, et rebus Turcarum.* Ceterum index expurgatorius habet, librum ejus de Inperatorum et Caesarum vitis prohiberi, donec corrigatur. *Petrus Bembus*, Patricius Venetus, et Leonis X. Papae primum Secretarius, seu a conscribendis epistolis, una cum Jacobo Sadoleto, dein cum eodem Cardinalis, sese celebrem reddidit non tantum puritatis Latinae, licet saepe nimis adfectatae, studio, sed et historia Veneta ab ipso conscripta, licet haud optima semper fide. Vitio etiam ipsi vertitur, quod in Epistolis et carminibus saepe nimis obscoenus fuerit, ut *temporis nequitia*, verba sunt Thuani hist. l. III. sub finem, *et Domini, cui serviebat, mores ferebant*; quodque de Scriptura S., utique respectu stili, abjectissime sit locutus, ita ut epistolas Pauli ausus fuerit, ut fertur, adpellare *epistolaccias.* Dixisset Sadoleto, Epistolam ad Romanos explicare adgresso, *omitte has nugas, non enim decent gravem virum tales nugae.* Vid. Bayle in *dictionario.* Insigne quoque merito suo nomen in litteris humanioribus sibi comparavit *Johannes Pierius Valerianus*, Venetus, qui diu in aula Romana invigilavit studiis, et magna tractavit negotia, ut ait Thuanus a. 1550., quo anno diem obiit supremum. Exstant ejus Virgilianae lectiones, nec non Hieroglyphica, eruditum quidem et utile opus, sed non aeque solidum. Scripsit etiam de *Litteratorum infelicitate.* Sed neglecta distinctione malorum, quae ipsis eveniunt, et ipsorum litteratorum bonorum ac malorum: denique pro *barbis sacerdotum* contra eos, qui decreto Papali eas volebant abrasas.

§. DII. Seculum prae reliquis ornavit inprimis magnus

linguae

linguae Graecae per Galliam instaurator, cujus insigne fecit elogium Ludovicus Vives ad Augustin. de *Civitate Dei* l. II. c. 17., *Gulielmus Budaeus*, Parisiensis, senator Regius, et libellorum supplicum in Regia Magister, defunctus a. 1540. Fuit αὐτομαθὴς quidem, et ὀψιμαθὴς, seu a se, et sero, doctus, ut ipse alibi fatetur, conicendit nihilominus summum pro eo tempore eruditionis gradum, et labanti rei litterariae certissimum adtulit praesidium contra Clericorum insultus, qui litteras volebant, ne religioni, verius superstitioni, nocerent, suffocatas. Licet vero Ecclesiae Catholico-Romanae semper adhaeserit, in scriptis quoque nonnullis, in specie in singulari libro de *transitu Hellenismi ad Christianismum*, lectu digno, sese reformationi minus faventem demonstraverit, suscitavit tamen de se haeresios suspicionem, quod sine solennibus Ecclesiae ritibus voluerit sepeliri, quodque vidua ejus cum liberis concesserit Genevam, et fidem Reformatam professa sit; denique in mores cleri Romani saepe fuerit invectus. Illud ipsi in laudem non cessit, quod aemulationi inter ipsum et Erasmum eousque indulserit, ut eum ne citare quidem unquam voluerit, in scriptis saepe etiam tecte perstrinxerit. Scripsit, inter alia multa, de *Asse*, ejusque partibus, et *commentarios linguae Graecae et Latinae*. Prostant omnia opera quatuor vol. in Fol. Basileae edita a. 1557.

§. DIII. Excellentioribus Litteratoribus etiam adnumerandus est *Lilius Gregorius Gyraldus*, utriusque linguae, et antiquitatum, peritissimus juxta ac in scribendo adcuratus. Fuit Ferrariensis, et mortuus a. 1552. Scripsit historiam Deorum Gentilium, de poetis Graecis et Latinis, praeter alia opuscula. Exstant duobus vol. in Fol. Nec horum virorum catalogo excludendus est *Beatus*, vel Bildius, *Rhenanus*, Salestadiensis Germanus, qui sine ulla professione totus in litteris excolendis consenuit, mortuus a. 1547. Docte commentatus est in Tertullianum, et scripsit, sub nomine Licentii Euangeli, contra usurpationes Curiae Romanae, in

*Monarchia* Goldasti, nec non rerum Germanicarum libros tres, quibus de urbibus et populorum originibus erudite disserit: editi sunt emendatius cum accessionibus, et vita Rhenani, a Joh. Sturmio. Ceterum ingens fuit Erasmi admirator, cui etiam in causa religionis fuit similis. Adprobavit quidem religionem Protestantium, sed eam non est professus, a disputationibus de religione alienus, et in communione Ecclesiae Catholicae defunctus. Scholia vero ejus in Tertullianum, cum epistola de *Primatu Petri*, prohibita sunt in Tridentino Indice. In hoc atque ac omni scientiarum genere illustre nomen habet *Julius Caesar Scaliger*, ex nobilissima Principum Veronensium familia, Philosophus, Medicus, et Philologus praeclarus, defunctus a. 1559., qui, praeter alia, composuit commentar. in Aristotelis *historiam animalium*, Theophrasti histor. *plantarum*, de *causis linguae Latinae*, exercitationes de *subtilitate* ad Cardanum, de re poetica. Juvenilem trivit in armis aetatem, sero sese ad studia adplicuit, et nimis audace, acri, et vehementi fuit ingenio. Ceterum, quatuor annis ante mortem eum factum esse Semi-Lutheranum, Filius ejus in Scaligeranis adserit.

§. DIV. Inter *Hebraeae* linguae cultores nomen quidem meretur *Johannes Campensis*, Professor ejus linguae Lovanii, autor commentarii in *Psalmos*, seu paraphrasticae eorum interpretationis, juxta veritatem Hebraeam; de quo vid. Schelhorn. amoenit. Litter. tom. XI. Sed ejus studii per Galliam instaurator fuit, multumque in Hebraea et Graeca lingua praestitit, *Franciscus Vatablus*, natione Gallus, patria Ambianensis, mortuus a. 1547. Munere fuit Hebraeae linguae Professor Parisiis, a Francisco I. constitutus, et eam linguam ingente adplausu docuit, ita ut ipsis Hebraeis fuerit admirationi. Nihil quidem ipse, litteris mandavit, sed notae in *Vetus Testam.*, ab auditoribus exceptae, lucem viderunt cura R. Stephani, qui eas Bibliis Tigurinis Leonis Judae addidit. Duces habuit Rabbinos, et litteralem maxime

me fectatur fenfum. Catholicus licet, nonnulla protulit minus Catholica, quae cenfuram propterea fubierunt, nec defunt, qui illa a Proteftantibus fuiffe notis ejus inferta, contendunt; fine folido fundamento. Ipfe Dupinius fatetur, Sorbonenfes ex inperitia linguae, et nimio zelo, notas illas condemnaffe. Verfati praeterea in Judaeorum fcriptis fuerunt *Porchetus*, ejufque plagiarius *Petrus Galatinus*, de quo vid. Morinus *de textus Hebraei fynceritate*, lib. I. Defudavit etiam in ftudio Hebraeo, et Rabbinorum, *Gilbertus Genebrardus*, ex Avernia oriundus, Archiepifcopus Aquenfis in Provincia, et S. litterarum Profeffor Parifienfis, mortuus a. 1597., qui nomen fuum petulantiffimo ftudio conviciandi, et aliorum famam lacerandi, et lingua et ftilo, foedavit. Tranftulit quaedam ex Hebraeo, et Rabbinis. Opus Chronologicum, quod condidit, exigui eft pretii.

§. DV. In linguarum, praecipue Graecae, cognitione nomen adeptus eft *Ferdinandus Nonius Pintianus*, Hifpanus, qui litteras Graecas et Latinas eft profeffus Salmanticae, et linguae Graecae ftudium in Hifpaniam introduxit. Edidit commentar. in Plinium, Melam, et Senecam, qui a Lipfio, et aliis, quoque laudantur. Obiit a. 1552. Utriufque linguae, Graecae et Latinae, notitia excelluit *Petrus Nannius*, Alcmariae, Hollandiae oppido, natus, et Lovanii, ubi diu eas linguas profeffus eft, defunctus a. 1557. Vertit varios autores Graecos in linguam Latinam, et, praeter alia, fcripfit Mifcellaneorum libros X., bonae frugis. Sed fummis in hoc ftudiorum genere viris adcenfetur *Petrus Victorius*, Florentinus, praecipuus humaniorum litterarum ftator in Italia: mortuus a. 1585 Variarum lectionum libros XXXVII., et notas in varios autores Graecos, in primis Latinos, ipfi debemus.

§. DVI. Praeftantiffimum, doctumque, Criticum in litteris humanoribus praeftitit *Hadrianus Turnebus*, Normannus, totius Galliae, quin Europae, ornamentum, qui Tolofae et Parifiis docuit, mortuus a. 1565. Inter opera ejus eminent

nent ejus *adversaria*, a nemine non doctiore laudata et trita. Praeclarus quoque, et eruditus Philologus fuit *Dionysius Lambinus*, Gallus, qui Graecam et Latinam linguam professus est Parisiis, nomenque suum celebre in primis reddidit per commentarios in varios autores classicos; defunctus a. 1572. Nec minor in linguae Latinae, et Romanarum antiquitatum studio fuit *Paulus Manutius*, celebris typographus, Aldi filius, mortuus a. 1574, multis libris eo in studiorum genere clarus. In Antiquitatibus sacris et profanis eruendis, et illustrandis, celebre quoque nomen nactus est *Onuphrius Panvinius*, Veronensis, eremita Augustinianus, defunctus a. 1568., qui Platinam de vitis Pontificum Romanorum illustravit, et continuavit. Sed et alia scripsit, ut de *ludis circensibus*, *et triumpho Romanorum* etc. In Graecis libris vertendis, et opusculis ad artem criticam pertinentibus, nomen adeptus est *Gulielmus Canterus*, Trajectensis ad Rhenum; cujus etiam octo libri *novarum lectionum* exstant in *Lampade Critica* Gruteri. In Patrum studio laudem meruit *Latinus Latinius*, Viterbiensis, mortuus a. 1593.; qui observationes ad Tertullianum dedit, et Bibliothecam sacram ac profanam, seu correctiones in sacros et profanos autores. *Petrus Ciacconius*, Toleti Carpetanorum natus, et Romae mortuus a. 1581., autores Ecclesiasticos notis illustravit, et varios publicavit libros alios, ut de Romanorum *triclinio*, *de ponderibus et mensuris*, nec non commentarium in *Columnae rostratae C. Duilii inscriptionem* etc. *Guido Pancirollus*, Italus, sicut praeclarus fuit ICtus, ita in studiis humanioribus probe versatus, Patavii mortuus a. 1591. Inter varia, quae scripsit, eminent de *rebus deperditis*, *et recens inventis*, nec non commentar. in *notitiam dignitatum utriusque imperii*.

§. DVII. *Carolus Sigonius*, Italus, qui Venetiis, Patavii, et Bononiae, litteras docuit elegantiores, mortuus a. 1585. celeberrimum sese multis praestitit operibus, ut de *regno Italiae*, *de republica Hebraeorum*, comment. in *fastos et triumphos*

*umphos Romanorum*, notis in Sulpitium Severum, etc. Sed sui aevi doctissimus fuit, sine doctore, *Marcus Antonius Muretus*, Gallus, qui in Gallia primum litteras docuit et jus civile, dein Romae, praeter jurisprudentiam, etiam Philosophiam, defunctus a. 1585. Scripsit orationes, lectiones varias, poemata, emendationes in autores classicos, et alia. *Jacobus Pamelius*, Brugis e nobili Baronum de Pamele stirpe natus, de historia et antiquitatibus Ecclesiasticis egregie meruit suis notis in *Tertullianum et Cyprianum*, licet Catholico Romanae Ecclesiae addictior. Scripsit praeterea *rituale* sanctorum Patrum, et orationem habuit ad Belgii Ordines, praejudiciis ejus temporis quidem, sed non sanae rationi, et Christianismi indoli, congruam, de *non admittendis una in Repulica diversarum religionum exercitiis*. Obiit a. 1587. *Fulvius Ursinus*, patria Romanus, nobilis alicujus filius naturalis, mortuus a. 1600., docte commentatus est in varios autores Latinos, et de *familiis Romanorum*, *triclinio*, aliisque similibus rebus scripsit. *Barnabas Brissonius*, Fontenaiensis, celeberrimus ICtus, et Curiae Praeses, tempore illo infelici Ligae a seditiosis suspensus a. 1591., erudita illa condidit opera, de formulis solennibus Romanorum, et de aliis rebus ad jus pertinentibus; denique de *Regno Persarum*. In Geographicis insignem posuit operam *Abrahamus Ortelius*, Philippi II. Cosmographus, mortuus a. 1598. Varia concinnavit opera, inter quae sunt *theatrum orbis terrarum*, *synonyma geographica*, *thesaurus Geographicus* etc. In Romanis antiquitatibus praeclara praestitit *Stephanus Vinandus Pighius*, Alberti Pighii nepos, Campensis Transisalanus, Canonicus et Scholarcha, apud Coloniam Trajanam; scripsit *annales Romanorum Magistratuum*, nec non *Herculem Prodicium*, in memoriam Caroli, filii Gulielmi, Cliviae et Juliae Ducis, quem comitatus fuerat Romam, ibi mortuum.

§. DVIII. Egregium inter Litteratos nomen habet *Laevinus Torrentius*, patria Gandavensis, post varias legationes cum laude obitas, mortuus est Episcopus Antverpiensis a.

1595. Scripſit commentar. in Horatium et Suetonium, nec non de *bello Turcico.* Inmortale fecit nomen *Petrus Faber* Sangiranus, et Senatus Toloſani Praeſes, a. 1600. mortuus, per tres eruditos illos libros *ſemeſtrium*, et *agoniſticon*, ne alia opera juridica memorem. Nec ſpernendus eſt *Janus Gulielmus*, Lubecenſis, in flore aetatis anno 30*mo* defunctus; cujus exſtant *quaeſtiones Plautinae.* Nomen quoque inter Litteratos adeptus eſt *Obertus Giſanius*, Burenſis Batavus, aulae Caeſareae conſiliarius, qui obſervationes in linguam Latinam, commentar. in Ethica et Politica Ariſtotelis, collectanea et indicem in Lucretium, in lucem dedit. Celebrem ſeſe quoque praeſtitit *Franciſcus Patricius*, Venetus, per Philoſophiam Platonicam, quam Ferrariae profeſſus eſt, et omni ope, abolita Ariſtotelica, introductam voluit; ſcriptis etiam eo ſcopo *diſcuſſionibus Peripateticis:* ſed unde. praeter odium ſui, nihil lucratus eſt. Sunt etiam ejus *Paralleli militares*, vetere et nova militia comparata. Sed nemo forte in ſtudio hiſtorico, et antiquitatibus, ne de Juriſprudentia dicam, praeferendus eſt *Petro Pithaeo.* Gallus fuit Trecenſis, diſcipulus Turnebi et Cujacii, *qui diſcipulo praeripuit, ne primus ICtus eſſet, ſicut hic praeceptori, ne ſolus:* ut habet Thuanus a. 1596., quo mortuus eſt Pithaeus. Sunt autem ejus, praeter innumera alia, tractatus de Interpretibus Latinorum ſcriptorum, hiſtoria controverſiae de proceſſione Spiritus S., de libertate Eccleſiae Gallicanae, Codex canonum antiquus Eccleſiae Romanae, plurimi autores Veteres publicati.

§. DIX. Inter haud infimi ordinis eruditos, et de re litteraria bene meritos, nomen quidem jure merito profitetur *Juſtus Lipſius*, Belga, ſed et mira in religionis profeſſione inconſtantia nomen maculavit, ſpiritu perſecutionis illud odioſum reddidit. Natus Catholico-Romanus Lutheranum ſeſe geſſit Jenae Profeſſor; inde in Brabantiam reverſus fidem Catholicam reſumſit, dein Lugdunenſis factus Profeſſor Calviniſtam egit, denique Lovanii ſedes figens,

ubi

ubi a. 1606. obiit, rediit ad religionem Catholicam, imo a se inpetrare potuit, ut duos scripserit libellos famosos, his titulis: *diva virgo Hallensis, beneficia ejus et miracula* etc. *diva Sichemensis*, sive *Aspricollis* etc. Dixisse fertur, ut Schlusselburg. apud Crenium animadv. histor. et Philol. p. VII. narrat, *omnem religionem, et nullam religionem, sibi esse unum et idem.* In libris *politicis* perniciosissimam stabilire conatus est regulam, de *persecutionibus fidei causa instituendis*; quam jam eo tempore egregie refutavit Koornhertius in libro, cui titulus: *processus contra haereticidium, et coactionem conscientiarum.* Inter opera Lipsii, quae bene multa sunt, eminent, *commentar. in Tacitum* (licet, eum compilasse Muretum et Chiffletium, tradat Giphanius in epist. ad Canterum in Sylloge epistolarum ab A. Matthaeo editarum, ad calcem Alciati contra vitam monasticam;) *civilis doctrina, monita Politica, manuductio ad Philosophiam Stoicam, de constantia, de militia Romana, Saturnalia, de cruce* etc.

§. DX. Inter Catholico-Romanos, qui *Scripturae S.* explicandae operam inpenderunt, ad quos pergo, primum tenet locum *Franciscus Ximenius* Cisnerensis Hispanus, Minorita, Cardinalis, Archiepiscopus Toletanus, Archicancellarius, et Inquisitor generalis, mortuus a. 1517. Celebre nactus est nomen per Academiam non tantum Complutensem, ab ipso institutam, sed et per Biblia Polyglotta, ipsius cura et sumtibus concinnata, et edita, VI tomis in fol. a. 1515., et Leoni X. Papae dedicata: quae *Biblia Complutensia* vulgo audiunt. Usus autem est viris doctis, et codicibus Mss., e Vaticana, Medicea, Veneta, aliisque, Bibliothecis; addito quoque Lexico Hebraeo, Chaldaeo, et Graeco. In Pentateucho comparet, praeter Hebraeum et Graecum, textus Chaldaeus, additis versionibus Latinis, sed in reliquis libris Hebraeus tantum et Graecus. Singulare est, textus ita esse dispositos, ut medium locum inter Hebraeum et Graecum teneat versio vulgata; magis ineptum,

quod Biblia sua propterea comparaverit cum Christo, inter duos latrones pendente, ita ut Hebraeus sit latro induratus, et Graecus latro conversus.

§. DXI. *Jacobus Sadoletus*, Italus, Episcopus Carpentoratensis in Gallia, dein Cardinalis, mortuus a. 1547., vir fuit antiquis moribus, simul puritatis linguae Latinae, una cum Bembo, familiari ejus, insignis cultor, stilique Ciceroniani sectator. Scripsit, praeter alia, commentarium in Epistolam ad Romanos, in quo, liberiore discursu, per modum dialogi, de sensu Pauli, et veritatibus, differit. In laudem ejus notatu dignum est, ipsum fuisse pacificum, et reformandae Ecclesiae desiderio adfectum. *Franciscus Titelmannus*, Hassaleto, in agro Leodiensi, oriundus, primum Ordinis Minorum, quando Theologiam docuit, et Scripturam S., variaque edidit scripta, dein Capucinus factus se totus actionibus charitatis tradidit, et in primis ministravit leprosis: mortuus a. 1537. Scripsit commentar. in varios Vet. Test. libros, Euangelia, et Epistolas Apostolicas, denique collationem in Epist. ad Romanos, contra Erasmum et Fabrum. Genus commentandi situm est in paraphrasi, et notis litteralibus. In lingua Hebraea, et Graeca, non fuit quidem hospes, sed adhaeret vulgatae versioni, *Augustinus Steuchus*, patria Eugubinus Italus, Bibliothecarius Apostolicus, et Episcopus Chisamensis, scripsit de *perenni Philosophia*, pro religione Christiana contra Lutheranos, et commentar. in Pentateuchum, Jobum, et Psalmos. Sectatus maxime est sensum litteralem, inmiscet historica, et consulit textum originalem. In libris de perenni Philosophia demonstrare maxime intendit, praecipuas religionis Christianae veritates fuisse a Philosophis agnitas. Scripto praeterea tractatu de *versione vulgata*, eam esse Hieronymi, nec a vitiis inmunem, probat. Ceterum erroribus ejus adnumeratur, coelum empyreum esse increatum, et mortem corporis non esse poenam peccati.

§. DXII. *Santes Pagninus*, Lucensis, Ordinis Praedicatorum,

rum, et concionator Apostolicus, mortuus a. 1541., nominis nactus est celebritatem non tantum per trium linguarum, inprimis Hebraeae, et Chaldaicae, peritiam, sed et, quod primus, post Hieronymum, totam verterit Scripturam e linguis originalibus in Latinam, sumtus suppeditante, et animum addente, Leone X. Papa. Quam versionem spatio viginti quinque annorum absolvit a. 1518. Epistolam dedicatoriam Clementi VI., ubique non obviam, exhibet Hody text. Hebr. et version. p. II. l. 3. Addidit etiam notas marginales, quae censuram non potuerunt effugere. Vitio autem ei merito vertitur, quod verbis nimium adhaerescat, et obscura ac barbara sit versio: quam Rabbini tamen magni faciunt. Concinnavit etiam, praeter Grammaticam Hebraeam etc., *thesaurum* linguae Hebraeae, dein auctum, et longe meliorem factum, a Johanne Mercero, et Antonio Cevallerio. Juxta Pagnini versionem commentarium dedit *Hieronymus Oleaster* in Pentateuchum, et Jesaiam, cum elucidationibus moralibus. Fuit Lusitanus, Ordinis Praedicatorum, et Inquisitor Olysipponensis, membrum quoque Synodi Tridentinae, defunctus a. 1563. Sed haud infimum inter commentatores Catholico-Romanos meretur locum *Johannes Ferus*, Germanus, Ordinis Minorum, qui in longe maximam Scripturae partem commentatus est, et ubique consuli meretur. Sectatus est sensum litteralem, sed discursus adjunxit doctrinales et morales: obiit a. 1554. Nec hic censuram Papalem evitare potuit. Joh. VI. ex. gr., de manducatione Spirituali interpretatur, et Matt. XVI. de clavibus datis Ecclesiae in persona Petri. etc.

§. DXIII. Inter eos, qui vulgatam versionem ad textum Hebraeum conati sunt emendare, primum ordine locum tenet *Isidorus Clarius* Brixiensis, Episcopus Fulginas in Umbria: additis etiam notis, sed ex Munstero desumtis, quem fere exscripsit. Notae vero in Nov. Test. sunt maxime morales, et ex Patribus petitae. Ceterum, cum in versionem vulgatam manum criticam injiceret, nomen meruit in

Indice expurgatorio: sed postea permissa est operis editio, exceptis Prologo et Prolegomenis. Celebre etiam nomen accepit per varios sermones, stante Synodo Tridentina, ad quam a Paulo III. fuit missus, habitos; qui etiam luce sunt donati. Spernendus non est Interpres *Felix Pratensis*, Hetruscus, ex Rabbino Christianus, ac Eremita Augustinianus, Romae defunctus a. 1559., qui Psalterium secundum textum originalem vertit, et Leoni X. obtulit. Misso *Cypriano*, Monacho Cisterciensi, et Professore S. Litterarum Complutense, qui commentar. exaravit in Jobum, Jesaiam, Jeremiam, et Nahumum, etiam in Matthaeum et Johannem; ad meliores pergo commentatores. Insignis prae multis est *Sixtus Senensis*, origine Judaeus, et ope Sixti V. conversus, Ordini Praedicatorum adscriptus, mortuus a. 1541. Ipsi debemus octo libros *Bibliothecae sanctae*, in quibus, praeter alia multa, agit de autoribus librorum, sensu Scripturae, ejusque commentatoribus, et Interpretibus. Notatu dignum est, ipsum libros distinxisse in Canonicos, Deutero-canonicos, seu Ecclesiasticos, et Apocryphos. Instituit quidem Bibliothecae ejus censuram Possevinus in *adparatu sacro*, sed ita, ut novam mereatur. *Claudius Espinaeus*, Doctor Theologus Parisiensis, vir eruditus, et in Patrum lectione bene versatus, celebris insuper variis legationibus, et colloquio Possiacensi cum Theodoro Beza, defunctus a. 1571. Scripsit, praeter libros de eucharistia, ejusque adoratione, et de continentia, commentarium in utramque epistolam ad Timotheum, cui *digressiones*, vel dissertationes; subjunxit de Hierarchia, aliisque materiis, ad disciplinam et fidem pertinentibus, lectu dignas.

§. DXIV. Sed nemo praeferendus est *Andreae Masio*, notissimo per commentarium ad Josuam, bonae frugis plenissimum, dignumque, qui prohibeatur in Indice Tridentino, donec corrigatur. Vertit quoque e lingua Syriaca, cujus adprime peritus fuit, *Mosis bar-cephae* librum de Paradiso, nec non Jacobitarum liturgiam: edidit etiam Grammaticam Syriacam,

Syriacam, et Bibliorum editioni Regiae praefuit, una cum Aria Montano. Ceterum fuit Brabantus, J. U. Doctor, et Cliviorum Duci a confiliis; mortuus a. 1573. Socius ejus in adornanda editione Bibliorum Antverpienfium, fumtibus Philippi II., fuit *Benedictus Arias Montanus*, Hifpalenfis, Doctor Theologus, a Philippo in aulam receptus, et Ordini militiae Jacobi adfcriptus. Antverpiam vero a Rege miffus, editionem Bibliorum octo tomis, cum quinque linguis, Hebraea, Chaldaea, Graeca, Syriaca, et Latina procuravit; addito ad facra biblia *adparatu*. Scripfit praeterea commentar. in Jofuam, Judicum librum, triginta primos Pfalmos, Jefaiam, duodecim Prophetas, quatuor euangelia, et reliquos N. T. libros. Retinuit vero verfionem Pagnini, fed magis adhuc ad litteram reformavit, potius corrupit, minufque reddidit intelligibilem. Fuit vero vir linguarum et Antiquitatum peritus, ut vel opera teftantur, fimul ad caufam dicendam citatus Romam, vix veniam inpetravit. Obiit a. 1598. Nobile quoque eft inter eruditos nomen *Flaminii Nobilii*, Lucenfis; qui, praeterquam quod multam inpenderit operam editioni LXX Interpretum Sixti V., celebrem fefe praebuit opere, quo veterem verfionem Latinam reftituere conatus eft e Patrum citationibus, et verfione LXX Interpretum. Quod cum notis prodiit Romae a. 1588. Scripfit et alia, five doctrinalia, five moralia, quae mitto. Mortuus eft a. 1599. Omnibus fere in linguae Hebraeae notitia palmam praeripuit *Johannes Mercerus* Uticenfis in Septimania, Profeffor linguae iftius Parifiis, et fucceffor Vatabli, per quem ad linguae iftius ftudium, et Scripturae lectionem, adductus, Jurifprudentiae, cui deftinatus erat, et in qua egregios fecerat progreffus, nuncio miffo, fefe totum tradidit linguae Hebraeae, et Scripturae S., mortuus a. 1570. Exftant ejus commentarii in Genefin, Jobum, Ecclefiaften, Canticum Canticorum, et quinque Prophetas minores: ne aliorum opufculorum Hebr., Chald. et Syr. mentionem faciam. Locum quidem inter haereti-

cos primae classis accepit, sed sine ratione Calvinista a nonnullis habetur. Accenseri quoque bonis commentatoribus meretur *Franciscus Ribera*, Hispanus, Jesuita, qui Scripturam S. docuit Salmanticae; ubi obiit a. 1591. Exstant ejus commentarii ad duodecim Prophetas minores, in quibus sensum sectatur triplicem, litteralem, allegoricum, et moralem, nec non in epist. ad Hebraeos, ubi textui arctius adhaeret, et in euangelium Johannis.

§. DXV. Laude quoque dignus est alter Jesuita *Hieronymus Pradus*, Hispanus, et in Academia Cordubensi Professor S. Litterarum, defunctus a. 1595. Commentarius ejus in viginti sex priora capita Ezechielis prostat, quem Johannes Baptista Vilalpandus, Jesuita quoque, continuavit, et Hierosolymiam ac Templum egregie descripsit. Nec nihili faciendus est *Franciscus Toletus*, primus omnium e Societate Jesu Cardinalis, postquam per 24 annos functus esset in sacro palatio concionatoris munere, mortuus a. 1596. Discipulus fuit Dominici Soto Salmanticae, simul in Philosophicis, et praecipue Theologicis, probe versatus. Scripsit, praeter *summam casuum conscientiae*, commentar. in Euangelium Johannis, 12 priora capita Lucae, et Epist. ad Romanos. Contentus sensu litterali inmiscet varias quaestiones Theologicas. *Alphonsus Salmero*, Toletanus, unus duodecim primorum adseclarum Ignatii Lojolae, ejusque Societatis insignis promotor, mortuus a. 1580., varia reliquit scripta, sex voluminibus in Fol., quae Prolegomena in Script. S., et commentaria in Nov. Test. continent, sed quibus quaestiones Theologicas magis tractat, quam sensum Script. S. tradit. Longe meliorem interpretem sese praestitit *Emanuel Sa*, Lusitanus, et ipse Jesuita, ac concionator Pontificis; defunctus a. 1596. Exstant ejus adnotationes in totam Scripturam S., et scholia in quatuor euangelia, brevitate sua commendabilia. Concionator quoque egregius *Didacus Stella*, Minorita, commentarium dedit in euangelium Lucae, in quo censores multa offenderunt

runt expungenda. Denique *Adamus Sasbuth*, vel Sasboldus, Delphensis, mortuus a. 1553., suo loco male omissus, bonae frugis commentar. edidit in varias Pauli Epistolas, et in Jesaiam. Claudat tandem hunc catalogum *Johannes Maldonatus*, Hispanus, Jesuita, a. 1583. mortuus: qui ingente auditorum concursu professus est Lutetiae Parisiorum, et a cujus lectionibus ne ipsi Calvinistarum ministri se abstinuerunt. Obstitit quoque solus, quominus Societas illa Jesuitica, Academiae valde invisa, fuerit a Senatu proscripta; ut Thuanus a. 1583. refert, qui addit, eum fuisse virum modestissimum. Quod si verum sit, commentarii ejus necesse est fuerint ab editoribus valde interpolati: sunt enim partium studii, et maledicentiae, plenissimi. Scripsit, praeter alia, in *quatuor euangelia*; multaque habet, sed ex Beza praecipue sumta, laudanda.

§. DXVI. Missis aliis, bene multis, ad Theologos et *Scholasticos*, accedo, quorum ingens fuit copia, paucos selectiores recensuisse contentus. Primum tenent locum *Thomas de Vio*, Cajetanus patria, ab urbe regni Neapolitani, Ordinis Praedicatorum, dein ejus Ordinis Generalis, postea Episcopus Cajetanus, tandem Cardinalis, postquam Papae supremam autoritatem defendisset contra concilium Pisanum. Functus quoque est legationis munere, a Leone X. missus, in Germania, contra Lutherum, et ab Hadriano VI. in Hungariam ablegatus est, ut bellum contra Turcas promoveret. Denique Romam redux sese Scripturae studio dedit, mortuus a. 1534. Linguae licet Hebraeae ignarus, commentatus est in libros Vet. Test., versionem secutus plane ad litteram, a duobus Judaeis, sed, altero converso, in ejus gratiam factam, missis Patrum interpretationibus, in libros vero Nov. Test. ad normam versionis Erasmi. Quae methodus acres ipsi concitavit adversarios, in primis Ambrosium Catharinum, qui ipsum errorum accusavit, Ecclesiae, et fidei Catholicae, perniciosorum, ut ex. gr. quod male de Trinitate senserit: quare Alphonsus a Castro ipsum hae-

reticis accensuit. Scripsit et alia opuscula varia, ut in *summam Thomae*, de fide, operibus, *indulgentiis* etc., contra Lutherum, aliaque moralia. Motus quoque dedit tractatus ejus de *suprema potestate Papae*, quo eam tenet superiorem esse conciliis, etiam universalibus, nec deponi posse Papam, nisi causa haeresios.

§. DXVII. *Johannes Fischerus*, Roffensis (Rochester) in Anglia Episcopus, in florente gratia apud Henricum VII., etiam in initio apud Henricum VIII., sed in cujus dein incidit offensionem, quod divortium regis inprobaret, et eum pro capite Ecclesiae agnoscere, ac primatus juramentum praestare, recusaret. Conjectus in carcerem, postea, cum Cardinalitia dignitas in ipsum esset a Papa collata, quod Rex in sui contemtum traxit, capitis est damnatus, tanquam majestatis laesae reus, et securi percussus a. 1535. Celebris fuit controversista, scripsitque defensionem libri Henrici VIII. de *septem sacramentis* contra Lutherum, nec non *defensionis* Lutheri refutationem, quam contra articulos in bulla Leonis X damnatos concinnaverat Lutherus: denique de *veritate corporis et sanguinis* Christi in eucharistia, contra Oecolampadium. Ejusdem animi et fortis vir fuit, ipsi adjungendus, *Thomas Morus*, Londinensis, filius advocati, et virtute sua ac peritia ad summam in regno Angliae dignitatem evectus, ab Henrico VIII. factus *Cancellarius*: a quo, cum fideliter ei servivisset, honeste ad petitionem suam dimissus, vitam degit privatam, seseque studiis ac exercitiis sacris occupatum tenuit. Quam tranquillitatem turbavit, et ipsi necem procuravit, *juramentum primatus* Regis. In carcerem enim propterea conjectus, et sententiam dicere coactus, qua illud damnavit, capite plexus est a. 1535. Fuit litteris humanioribus probe excultus, licet, teste Erasmo in *Ciceroniano*, ipso puero vix tenuis odor litteraturae melioris in Angliam demigrasset. Scripsit defensionem libri Henrici contra Lutherum, explicationem passionum Domini, et alia, inter quae famosus iste libellus, cui titulus *Utopia*

*topia* eminet, quo rempublicam depingit Platonicam. Proſtant opera ejus uno vol. in fol.

§. DXVIII. *Johannes Driedo*, Brabantus, Profeſſor Theologiae Lovanienſis, a. 1535. defunctus, nomen nactus eſt per ſcripta eriſtica contra Lutheranos, inter quae ſunt, de concordia liberi arbitrii et praedeſtinationis, de gratia et libero arbitrio, de captivitate et redemtione generis humani, de libertate Chriſtiana, de Scriptura et dogmatibus Eccleſiaſticis. Preſſit ubique Auguſtini veſtigia; ſibique ab omni acerbitate cavit. Simili ratione celebritatem accepit *Johannes Faber*, Germanus, Ordinis Praedicatorum, Epiſcopus Viennenſis, mortuus a. 1541. Multa ſcripſit contra Lutheranos, Zuinglianos, Anabaptiſtas, et Calviniſtas. Longe major adhuc zelota fuit, licet non indoctus, *Johannes Eckius*, Suevus, Profeſſor S. Litterarum Ingolſtadienſis; inter primos Lutheri antagoniſtas: qui partes Catholicorum ſtrenue eſt tuitus in diſputatione Lipſiaca et Badenſi, et poſtea multis defendit. Acerbiorem zelotam, dignumque Papae et Eccleſiae Catholico-Romanae miniſtrum, etiam per calumnias Proteſtantibus inpactas, ſeſe praeſtitit *Johannes Cochlaeus*, a patria Wendelſtein, prope Norinbergam, ſic dictus, Decanus Francofurti ad Moenum, ac dein Canonicus Miſnenſis; qui in ardente ſtudio contra Proteſtantes palmam fecit omnibus dubiam: novumque foetum ab a. 1521. ad 1550. ſingulis fere annis peperit. Inter opera ejus hiſtorica locum tenet liber hoc titulo: *acta et ſcripta M. Lutheri*, falſitatum, mendaciorum, et aliorum exulcerati animi ſignorum, pleniſſimus. Venit quoque eo temeritatis, ut, praeter alia, probare fuerit conatus, quosvis errores aeque ex Scriptura demonſtrari poſſe ac veritates, ut ex. gr. de *divinitate Chriſti*. Quem tractatum jam publicavit a. 1527. Mortuus eſt Uratiſlaviae a. 1552. Nihil ipſi in violentia et maledictis ceſſit *Hieronimus Emſerus*, Suevus, Juris Canonici Licentiatus, et Profeſſor Lipſienſis, ac Ducis Georgii conſiliarius. Edidit hiſtoriam *emendationis*

*versionis* Lutheri; et in praefatione suadet, ut laicus magis sanctitati studeat, quam *Scripturae S.*, *quippe doctis demandatae.* Composuit quoque vitam S. Bennonis, in qua beatam Virginem adpellat *magnam Deam*, sanctos quoque *Deos.* Vixit a. 1530.

§. DXIX. Praecipuis, et optimis, controversistis hujus seculi in hac causa adnumerari a Catholicis solet *Stanislaus Hosius*, Polonus, primum Culmensis, dein Warmiensis, Episcopus, et Cardinalis, qui Synodo Tridentinae, usque ad 24*tam* sessionem, interfuit, quando se prae morbo subduxit: mortuus a. 1579. Imo *solidam Ecclesiae columnam* eum nuncuparunt ipsi Papae Pius V. et Gregorius XIII. Defendit Hosius dictum alicujus ex Catholicis, *Scripturam, si autoritate Ecclesiae destituatur, non plus per se valere, quam fabulas AEsopi;* sed defendit, tanquam quod in meliorem partem accipi possit, quatenus revera, *nisi nos doceret Ecclesiae autoritas, hanc Scripturam esse canonicam, perexiguum apud nos pondus haberet:* ita Hosius lib. III. in prolegomenis Brentii; ut Baelius in Lexico jam notavit. Sed et, quod animadverti meretur, usus astute est armis contra Protestantes, quae ipsi Catholicis in manus dederunt, cum quod secum nimium non tantum dissentiant, sed et lacerent se invicem, tum quod leges poenales, errantibus inpositas, defendant. Opera ejus exstant 2 vol. in fol. *Ambrosius Catharinus*, Senensis, ex Juris Professore Dominicanus, et Minorensis primum Episcopus, dein Compsanus Archipraesul in regno Neapolitano, membrum quoque Synodi Tridentinae, mortuus a. 1554. Scripsit commentar. in quinque priora cap. Genesios, et in Epistolas Apostolicas, in quibus varias tractat quaestiones Theologicas, et Cajetanum in primis, omni data occasione, refutat, contra quem etiam singularem scripsit librum, sed et de multis aliis argumentis Theologicis scripsit. De *praedestinatione* singularem fovit opinionem, qua duplicem statuit, *alteram* absolutam, quae est paucorum hominum, cujus meminit Paulus in epist. ad

Romanos,

Romanos, *alteram* conditionatam, et universalem, quae effectum habet, vel eo caret, pro libero hominis arbitrio. Statuit praeterea, hominem justum de justificatione sua, et statu gratiae, posse absolute certum esse; quod in Luthero damnavit Synodus Tridentina. De *intentione* ministri, ad Sacramenti effectum necessaria habita, censuit sufficere *externam*, ut vocant, qua exteriorem intendit exercere actionem, qua Ecclesia utitur, licet eo non dirigat interius, quo Ecclesia dirigit, nec sacramenti effectum ponere intendat. Quae ipsa opinio postea communis est facta inter Catholicos: sed et ante ipsum ab aliis prolata. Denique in conceptione Mariae inmaculata defendenda laboravit multum. Fuit sane liberioris ingenii vir, quam vulgo solent esse Catholici, novasque aliquando sibi fecit vias.

§. DXX. *Dominicus Soto*, Segobiensis Hispanus, ex Ordine Praedicatorum Professor Salmanticensis, et dein Carolo V. a confessionibus, membrum quoque Synodi Tridentinae, defunctus a. 1560., grandia composuit opera, ut commentar. in epist. ad Romanos, in quatuor libros sententiarum, de justitia et jure, de natura et gratia etc. *Melchior Canus*, etiam Hispanus, et Ordinis Praedicatorum, dein Canariensis Episcopus, et Synodi Tridentinae membrum, in Scholastica et Positiva Theologia versatissimus, a. 1560. defunctus, celebre consecutus est nomen per duodecim libros de *locis Theologicis*, voce non scholastico, sed Aristotelis, et Ciceronis, sensu sumta, pro sedibus et fontibus argumentorum. Qualia loca constituit decem, *Scripturam S.*, *traditiones*, *Ecclesiae Catholicae autoritatem*, *concilia*, *Ecclesiam Romanam*, *sanctos scholasticos*, *et Canonicos*, *rationem naturalem*, *Philosophos*, *et ICtos*, denique *historiam humanam*, a fide dignis scriptam. Differit de his locis, et magni solet apud Catholicos aestimari; sicut vere meretur. Commendandus enim est a brevitate, stilo, ordine, ac peritia; usus quoque libero ac modesto judicio de multis rebus. Primus praeterea est, qui ea ratione de illis rebus scripsit. Utriusque et Dominici et

Melchioris Doctor fuit *Franciscus Victoria*, a natali loco in regno Navarraeo sic dictus, Ordinis Praedicatorum, et in Academia Salmanticensi Theologiae Professor primarius, mortuus a. 1546. Exstant ejus *lectiones Theologicae* hoc titulo; *summa sacramentorum Ecclesiae.* Celebris etiam fuit *Gaspar Contarinus*, nobilis Venetus, et Cardinalis, amplissimis legationibus illustris. Missus a Paulo III. Papa legatus ad comitia Ratisponensia visus est Protestantibus nimis acerbus et pertinax, sed Catholicorum judicio nimis lenis, qui nimis in gratiam Protestantium remiserat de fide Catholica. Illud verum est, ipsum fidem catholicam bene esse tuitum, sed moderatioris fuisse animi, mortuus est a. 1541. Scripsit de inmortalitate mentis, de septem sacramentis, de justificatione, libero arbitrio, et praedestinatione, scholia etiam in epistolas Pauli: denique de potestate Papae etc. ac de republica Venetorum.

§. DXXI. *Albertus Pighius*, nobilis Campensis in Transisalania, Mathematicus, aeque ac Theologus, eximius, tribus Papis Hadriano VI., Clementi VII., et Paulo III. ad manus, et ab iis ad gravissima adhibitus negotia, tandem adeptus praepossituram Ultrajectinam ad S. Johannem, mortuus a. 1542., scripsit, praeter astrologica et mathematica, ut de ratione celebrationis paschatis, restitutione Kalendarii Ecclesiastici etc., libros Theologicos de *hierarchia Ecclesiastica*, de *componendis dissidiis religionis*, *de libero arbitrio et gratia*, *de praecipuis controversiis* etc. *Jacobus Latomus*, Hannoniensis, et Professor Theologiae Lovaniensis, acerrimus Lutheri, cujus tempore floruit, adversarius, celebrem sese scriptis pro Catholica religione contra Lutherum, aliosque reformatores, praestitit; morte tragica abreptus a. 1544. Linguarum Hebr., et Graecae, inperitus, scholasticam Theologiam, cujus studiosus fuit, praeferendam esse contendit linguarum studio. In tractatu de *Ecclesia* poenam capitalem haereticorum non tantum defendit, sed et Ecclesiae tribuit potestatem, Principes privandi dominio suo. Similis farinae homo

homo fuit *Ruardus Tapperus*, Enchuſa Batavus, et Theologus Lovanienſis, mortuus a. 1559. Lutheri quoque acerrimus adverſarius, ſimul calumniator, Paparum vero, quorum infallibilitatem agnovit, auctoritatis propugnator ſtrenuus; qui tamen Eccleſiae corruptionem in capite et membris publice profeſſus eſt. Scripſit defenſionem articulorum Lovanienſium contra Lutherum, et alia. In capite vero de praedeſtinatione et gratia fuit Semi-pelagianus. *Alphonſus a Caſtro*, Hiſpanus, Franciſcanus, paulo poſt nominationem ad Archiepiſcopatum Compoſtellanum mortuus a. 1558. celebrem ſeſe fecit libro de *Haereſibus*, licet in iis refutandis operam magis poſuerit, quam in hiſtorica narratione. Auxit poſtea *Franciſcus Feuardentius*, Gallus, autor etiam commentariorum in nonnullos Scripturae libros, nec non Theomachiae Calviniſticae. Vir fervido haereticorum, ſic dictorum, odio flagrans, *Dominicus Bannes*, Hiſpanus, Ordinis Praedicatorum, celebris Scholaſticus, ſcripſit, praeter tractatum de juſtitia et jure, in primam et ſecundam partem Thomae, de fide, ſpe, et charitate. Strenuum denique pro religione Catholica, et primatu Papae, bellatorem egit *Gulielmus Alanus*, Lancaſtriae in Anglia natus, Theologus Duacenſis; multa ſub Eliſabetha paſſus, ſed a Sixto V. Papa Cardinalis factus, mortuus a. 1590., ſcripſit de *ſacramentis Eccleſiae*, aliiſque materiis controverſis.

§. DXXII. Duo reſtant viri egregii, non praetermittendi, Reginaldus Polus, et Petrus Caniſius, qui magno fuerunt in honore inter Catholico-Romanos. *Reginaldus Polus*, e regio Anglorum ſanguine cretus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, et Cardinalis, fuit omnium conſenſu doctus, ſtili cultioris amator, pius et modeſtus, per indolem placidus, ſed, reclamante genio, ut ſe a ſuſpicione haereſios liberaret, Proteſtantium perſecutor. Exul ſub Henrico VIII, quia ejus divortium inprobavit, redux in Angliam ſub Maria Archiepiſcopus factus eſt; defunctus a. 1555. Varios conſcripſit tractatus, uti de Pontifice ſummo Vicario Chriſti, de conciliis, de reformatione Angliae, de unione Eccleſiaſtica

clesiastica etc. Ceterum Papalem autoritatem mire extollit, etiam supra concilia Generalia, et Papis adplicat, licet minore quam Christo emphasi, illud Jes. IX. *puer natus est nobis* etc. *Petrus Canisius* fuit Noviomagensis, Jesuita, et primus Ordinis Provincialis in Germania, cui etiam firmando et propagando multum tribuit, vitam vero in credentibus instruendis, et haereticis debellandis, trivit, mortuus a. 1597. Scripta ejus sunt quidem minus erudita, attamen ad omnium captum adcommodata: qualia sunt, *summa doctrinae Christianae*, *catechismus moralis*, *exercitia pietatis*, *de corruptelis Verbi Dei* etc.

§. DXXIII. Sequantur *conciliorum* collatores, et vitarum *Sanctorum* Scriptores. Inter quos primum meretur locum, mitioris animi vir, *Bartholomaeus Caranza*, Dominicanus, Philippo II., et Mariae Anglicae, a confessionibus, dein Archiepiscopus Toletanus. Carolo V. morienti cum adfuisset, ejusque suscepisset confessionem, fama autem ferret, eum in fide Catholica non esse mortuum, in suspicionem haeresios incidit, in carcerem Inquisitionis detrusus, et per decem annos ibi multum passus est, donec eductus, et ab haeresi fuerit inmunis pronunciatus; sed brevi post mortuus a. 1576. Scripsit catechismum Hispanicum, censurae Hispanicae Inquisitionis subjectum, et multorum motuum occasionem, praeterea *summam conciliorum*, utilem profecto librum. *Petrus Crabbius*, Mechlinensis, Ordinis Franciscani, mortuus a. 1524., Jacobum Merlinum, Theologum, et Ecclesiae Parisiensis Poenitentiarium, qui primus duos conciliorum tomos edidit, imitatus, duos etiam tomos, sed longe ampliores, publicavit, et dein novum rursus conciliorum opus tomis tribus; ipsum adjuvante Orthuino Gratio. Junxit autem in eo integritatem ac fidelitatem diligentiae. Secutus est *Laurentius Surius*, Germanus et Carthusianus, a. 1577. defunctus, qui quatuor volumina conciliorum luci exposuit, sed non optima fide; quam etiam docti merito desiderant in *Vitis Sanctorum*, ab ipso collectis, sex vol. in fol.,

fol., accedente mox ad alteram editionem tomo ſeptimo per Jacobum Moſandrum Carthuſianum. In quo opere ipſi praeivit *Aloyſius Lipomannus*, Venetus, Methonenſis, et dein Veronenſis, Epiſcopus, nuncius Papae apud Luſitaniae Regem, et alios, Synodi etiam Tridentinae membrum, defunctus a. 1559. Scripſit, praeter catenas Patrum in Geneſin, Exodum, et Pſalmos, et alia opera, tomos octo de *vitis ſanctorum* in quarto.

§. DXXIV. Claudant tandem Scriptorum catalogum ſatis prolixum, qui tamen duplo major fuiſſet, ſi omnes eſſent recenſendi, Catholici moderatiores, ſimul pacificatores, qui Eccleſiam, per Proteſtantes ſciſſam, ad unitatem reducere conati ſunt. Inter eos, qui, ſub profeſſione fidei Catholicae, animis fuerunt ad reformationem inclinati, licet in Reformatoribus, et reformationis modo, nonnulla reprehenderint, fuit, ne de Eraſmo dicta repetam, *Jacobus Faber*, Stapulenſis, a patrio ſolo in Picardia appellatus, a. 1337. valde ſenex, imo pluſquam, ſecundum nonnullos, centenarius defunctus. Obſcurus licet a natalibus, clariſſimus fuit ab eruditione, et unus eorum, per quos barbaries in univerſitate Pariſienſi coepit debellari. In ſuſpicionem haereſios, ac odium zelotarum, cum incurriſſet, ſeſe Pariſiis ſubduxit, et Meldis aliquandiu ſubſtitit, donec, nec ibi tutus, poſt varias oberrationes in tutelam fuerit a Margareta, Navarrae Regina, ſorore Franciſci I., ſuſceptus: a quo tempore ſecurus haeſit Neraci, uſque ad obitum. Tantum, clandeſtino ſuſcepto itinere, juſſu Reginae, Argentoratum, colloquium cum Bucero et Capitone habuit de variis doctrinae capitibus. Narratur, neſcio quam vere, peccatum ſuum ad menſam Reginae, coram convivis, gemebundus confeſſus, quod, cum veritatem aliis inſtillaſſet, eoſque eam martyrio vidiſſet obſignare, ipſe in aſylo delituerit. Scripſit, praeter alia, uti in Ethicem Ariſtotelis, notas criticas, et commentarium, in Euangelia et Epiſtolas Apoſtolorum, in quibus cum Vulgatam verſionem maxime reprehenderit,

odium sibi concitavit; et libros suos censurae reddidit obnoxios.

§. DXXV. *Franciscus Balduinus*, Atrebatensis ICtus, in variis Academiis, in primis Galliae, ab una ad aliam advolans, Jurisprudentiam professus, in religionis negotio varius, nunc professione Catholicus, nunc Reformatus, tandem neuter, cui in omnibus sectis quaedam displicebant, adeoque in votis erat, ut ex omnibus sectis nova conflaretur, cui se adjungeret, ut putatur: utique religionibus uniendis fuit intentus, mortuus est a. 1572. Nomen ejus celebre factum est, cum per erudita opera, historiam Ecclesiasticam illustrantia, quae sunt, commentar. ad edicta Veterum Principum Romanorum de Christianis; de *legibus Constantini* Inperatoris, de *collatione* Carthaginensi, *notae* ad Optatum, et Victorem Vitensem, tum per lites cum Calvino et Beza, occasione libelli de *officio boni civis in hoc religionis dissidio*, a Cassandro conscripti, et a Balduino, tempore colloquii Possiacensis ibi vulgati: cui, tanquam a Balduino composito, se acriter opposuit Calvinus: unde varii libelli eristici, damnando zelo exarati, in lucem venerunt.

§. DXXVI. Eandem viam tenuit, sed melioris animi, vereque probi, ut opinor, *Georgius Cassander*, ab insula Cassandt, prope Brugas, ubi natus est, sic dictus: qui, post varias peregrinationes, tandem Coloniae Agrippinae vitae tempus exegit, mortuus a. 1566. Catholicus quidem, sed ita moderatus, et a partibus liber, ut multa in religione Catholica inprobaverit, et corrigenda voluerit, alia mollissime explicuerit, et in meliorem formam redegerit, plurima tamen ipsi in religione Reformatorum displicuerint. Illud itaque in animo habuit, vir pacis amantissimus, qui etiam sine ullo munere, sineque ambitione, vixit, ut unio utriusque religionis efficeretur. Quo scopo cum de *officio boni viri*, cujus modo memini, scripsit, tum, jussu Ferdinandi et Maximiliani II., Inperatorum, celeberrimum illum condidit librum, sub hoc titulo: *Consultationes de articulis fidei*

*inter*

*inter Catholicos et Protestantes controversis;* noviſſime etiam a Conringio, optime editum; lectu digniſſimum. Diſplicuit tamen Caſſander, ut paſſim contingit, utrique parti. Scripſit praeterea de *utraque ſpecie ſacramenti*, de *liturgiis*, et aliis materiis. Exſtant omnia ejus opera junctim edita Pariſiis in fol. Ceterum hypotheſes ejus ſunt, quibus totum unionis opus, quod molitus eſt, ſuperſtruxit. 1. Scripturam in dubiis eſſe ex conſtante et univerſali traditione Eccleſiae, in Patrum ſcriptis obvia, explicandam. 2. Conformandam eſſe Eccleſiam ad ſtatum, quem praetulit ſec. IV., V. et VI. Secundum has regulas voluit de controverſiis fidei, et de ritibus Eccleſiae, judicium ferendum.

§. DXXVII. Eundem ſpiravit animum, licet eruditione inferior, *Georgius Vicelius*, natus haud procul Iſenaco, ditionis Haſſiacae; cujus vita inſerta eſt *faſciculo rerum expetend.* etc. tom. II. Habet etiam de ipſo nonnulla notanda Schelhorn. amoenit. Litter. tom. XI. Adjunxit ſeſe initio Luthero, cujus doctrinam per duo luſtra eſt profeſſus, et docuit Niemeciae prope Wittebergam: ſed ea dein deſeruit caſtra, et ad Catholico-Romanam rediit Eccleſiam, duplice motus ratione, una, quod bonorum operum ſtudium nimis frigide urgeretur apud Proteſtantes, altera, quod Eccleſiam ſine ſchiſmate poſſe et debere reformari cenſeret, nec tamen uxori et conjugio renunciare voluit, a ſacerdote aliquo Graeco, ut fertur, propterea Presbyter factus, fuit quoque Inperatorum Ferdinandi et Maximiliani conſiliarius. Didicit autem ab Eraſmo formam reformandae Eccleſiae ſine ſchiſmate, et hoc opus ab eo tempore molitus eſt, ſed Lutheranis ſeſe acerbiorem praeſtitit, multa tamen in Eccleſia Catholica voluit mutanda et corrigenda, quorum ſpecimen exſtat in adpendice *faſciculi*, modo citati, ad calcem vitae ejus. Scripſit vero *viam regiam*, *et methodum concordiae*, quae Conſultationibus Caſſandri juncta eſt in edit. Conringiana.

§. DXXVIII. Subjungenda huic ſcriptorum catalogo quae-

dam de studiorum statu, cum ante Reformationem, tum post eam. Initio seculi res hac parte in eodem, si non deteriore, statu fuerunt, quo antea. Licet studia, quae vocantur humaniora, magis magisque fuerint a doctis exculta, novae etiam erectae Academiae, nec insignes defuerint Maecenates; ignorantia tamen, et barbaries, non fuit depulsa, in primis inter Clericos et Theologos. De quibus paulo distinctius est agendum. Fuerunt hoc intervallo Principes litterarum et litteratorum praeclari fautores, per omnes Europae regiones: uti Leo X. Papa Romae, apud Gallos rex Franciscus, de quo legendus est Sleidanus a. 1547., apud Hispanos Cardinalis Ximenius, apud Anglos Henricus VIII., apud Belgas Carolus V., in Saxonia Fredericus Elector, qui Wittenbergae erexit Academiam a. 1502., denique insignis ille litteratorum per totam Germaniam patronus Joachimus I., Brandeburgicus Elector, qui Francofurti ad Viadrum condidit Academiam a. 1506. Floruerunt quoque viri eruditi in omni scientiarum genere, magno numero, ut ex superiore catalogo patet, etiam litterarum ac studiorum statores, et propagatores, ut apud Germanos Erasmus, et Reuchlinus, inter Gallos Budaeus, apud Hispanos Antonius Nebrissensis, alii: de quibus supra. Attamen, his non obstantibus, continuavit inter Theologos, concionatores, et monachos, deploranda ignorantia, barbaries, et vanitas; qui, litteris, utilibusque studiis, neglectis, ipsa Scriptura S. passim spreta, toti incubuerunt vanis quaestionibus, definitionibus, distinctionibus, syllogismis et litibus. Qua de re vid. Erasmus in *moria* sua, et epist ad Martinum Dorpium, *barbaro-mastyx*; qui etiam apud Hollandos perstrenuum fuisse studiorum contemtum testatur epist. LIX. ad eos, et in notis ad Nov. Test. nullam ea de re conquerendi omisit occasionem. Addatur Ludovicus Vives de *corruptis disciplinis*, Reuchlinus in praefat. libri de *accentibus*, Gerardus Listoius in not. ad librum Erasmi de *moria*, Bullingerus de Episcoporum *institutione et functione*, denique ex re-

cen-

centioribus Hottingerus in *Analectis* diſſert. I., et hiſt. hujus ſeculi ſect. III.

§. DXXIX. Linguarum ignorantia, ut nonnulla memorem ſpecialia, et contemtus, ſummum fere adtigit gradum. Teſtatur ex. gr. Claudius Eſpenſaeus ad 1 Tim. III. tantam hac parte viguiſſe barbariem apud Clericos, ut Graece noſſe ſuſpectum fuerit, Hebraice prope haereticum. Quod ipſum exempla Zuinglii, et aliorum, edocent. Vid. Hottingerus in theſauro Philolog., et Amama in *Antibarbaro Biblico*. Sacrae quoque Scripturae lectio in linguis vernaculis ſevere fuit prohibita, etiam morte nonnunquam punita: quod multis exemplis demonſtrat Uſſerius de *Scripturis vernaculis*. Quid? quod librarius ob Biblia Avenione vendita fuerit combuſtus. Vid. J. Criſpinus in *actis Martyrum*. Inter ipſos Clericos, et Theologiae doctores, fuerunt plurimi, qui ne legerunt quidem Scripturam. Albertus, ex. gr., Archiepiſcopus Moguntinus, cum a. 1530., in Comitiis Auguſtanis codicem Biblicum inſpexiſſet, dixiſſe fertur, *equidem neſcio, quid hoc libri ſit, illud video, omnia, quae in eo continentur, eſſe nobis adverſa.* Farellus in colloquio Lauſannenſi a. 1536. adſerit, ſe nullum inveniſſe ſacerdotem, qui legem Dei cognoverit, apud Ruchat. reformat. Helvetiae l. XV. Sorbonici Doctores per Deum jurarunt, ſe pluſquam quinquaginta habuiſſe annos, antequam ſciverint, quid ſit Novum Teſtamentum. Vid. R. Stephanus in praefat. ad cenſuram Theolog. Pariſienſ. a. 1532. Heresbachius ICtus, de *laudibus Graecarum litterarum*, exemplum profert Monachi, palam dicentis, ex Graeca et Hebraea lingua oriri haereſes, et Novum Teſt. eſſe *novum plenumque rubetis et viperis.* Ipſe Caroloſtadius, jam octo annorum Doctor, ad Scripturae ſtudium demum acceſſit. Plura qui de hac barbarie velit, adeat Hottingerum in Analectis, et hiſt. Eccleſ., Hody de text. Origin. p. II. lib. III., et alios, ut Crenium animadv. Philolog. et hiſtor. p. III. Ipſe Zuinglius barbariem temporum praecedentium pluribus

ribus enarravit in *Oratione*, quae reperitur in Tempe Helvet. tom. VI. Denique studia Theologica intra cancellos Scholasticorum et traditionum fuerunt conclusa, nec se extenderunt ulterius; ipse Aristoteles pro concionibus magis fuit tractatus quam Scriptura S. De quo jam conquestus est Trithemius in Epist. in Miscellan. Lipsiens. nov. vol. II. Vid. hac de re Erasmus locis citatis, et in praefat. ad Hieronymum, Bullingerus in respons. ad Joh. Cochlaeum, Status Augustanae confessionis in libro, quo rationem reddunt, concilium Tridentinum a suis adiri non posse. Confer. etiam de Theologorum et Theologiae depravatione Hottinger. hist. Eccles, et de concionibus in Analectis, et Seckendorf. hist. Lutheran. a. 1511. Post inceptam, et propagatam, reformationem, Pontificii in initio sese litterarum studiis, tanquam haeresios fontibus, acriter quidem opposuerunt, sed cum hac via nihil non tantum efficerent, causam suam quoque deteriorem facerent, animos ad studia humaniora, et quasvis scientias, etiam Scripturae interpretationem, adpellere coeperunt, non sine insigni successu: ut ex superiore scriptorum catalogo liquet. Erecta etiam est a Philippo II. Academia Duacensis a. 1562.

## DOCTRINA ET FIDES.

§. DXXX. Seculum nostrum id hac parte habet singulare, quod doctrina et fides fuerit in Ecclesia Catholico-Romana per omnes partes definita, opinionibus contrariis sub anathemate rejectis, adeoque ita sancita et confirmata, ut omnem in posterum respuat mutationem, aut emendationem. Quae autem capita fidei sint, petendum est ex *canonibus* Tridentinis, confessione fidei a Pio IV. praescripta omnibus proselytis Ecclesiae Romanae adoptanda, et *Catechismo*, qui jussu Pii V. est editus ex Tridentinis decretis. Quae cum sint istius Ecclesiae monumenta publica, ex iis utique tutius et rectius de fide Catholica judicium fertur. Quae

autem

autem ea capita ſint, recenſere nihil adtinet; cum ex inſtitutionibus Theologicis ſatis nota ſint. Concilii Tridentini decreta, additis notis, luci expoſuit Heideggerus in *Anatome* iſtius concilii. De ipſo concilio poſtea ſuo loco agam. Etſi vero in Eccleſia Catholico-Romana nullum fuit doctrinae cauſa ſchiſma factum, continuarunt tamen veteres lites inter Scholaſticos et monachos, novae etiam cum Jeſuitis exortae ſunt, de quo poſtea, et, quod hic notandum, fundamenta ſunt *Janſeniſmi*, qui tot turbas deinceps dedit, jacta per controverſias *Baïanas*, quae circa tempus concilii Tridentini, ante et poſt, viguerunt. Quarum hiſtoria itaque hic eſt tradenda. Vid. noviſſima editio operum Baii, Du Pin in Biblioth. t. XVI., Leidecker hiſt. Janſeniſmi l. I., ubi propoſitiones Baïanae, quae damnatae ſunt, exhibentur: denique Baelius in Lex.

§. DXXXI. *Michael Baïus*, Belga, Doctor et Profeſſor Theologiae Lovanienſis, nec non Cancellarius Univerſitatis, etiam Inquiſitor Belgii Generalis, vir a peritia, pietate, et modeſtia, apud omnes laudatus, et celebris, defunctus a. 1589., una cum Johanne Heſſelio, quo tempore ſeniores Collegae, Ruardus Tapperus et Jodocus Raveſtein, eſſent abſentes, ad Synodum Tridentinam ablegati a. 1551., incepit a methodo ſcholaſtica, tunc recepta, diſcedere, et antiquam methodum Theologiam tradendi revocare, Theologiam ex Scriptura et Patribus, in primis Auguſtino, derivando, cum ut Proteſtantibus, ad ea principia provocantibus, os obtruderetur, tum Theologia Auguſtiniana, paſſim obſoleta, renovaretur. Qua ratione cum odioſum ſeſe et Collegis, a Synodo reverſis, et Franciſcanis, quorum magna erat in Belgio autoritas, praeſtitiſſet, collectae ſunt octodecim propoſitiones Baïo inputatae, et ad Sorbonam, ut cenſuram ſubirent, miſſae; ſimul ab eo collegio damnatae, licet forma inſolita, et diſſimulanter, ita ut ne quidem exemplar cenſurae conſequi potuerit Baius. Scripſit tamen in eam notas, quibus propoſitiones illas demonſtat partim

ſibi falſo eſſe adſcriptas, partim invidioſe et infideliter concinnatas, partim puras putas eſſe Auguſtinianas. Sed haec prima motuum initia brevi fuerunt ſopita, cura Cardinalis Granvellani qui, juſſu Pii IV., ſilentium partibus litigantibus inpoſuit.

§. DXXXII. Quo in ſtatu res manſerunt uſque ad reditum Baii a Synodo Tridentina, quando ab a. 1564. diſſidia, male compoſita, vehementius exarſerunt, non tantum, quod, Synodo ex votis finita, Papalis aula ſeſe litibus inteſtinis liberius opponere auderet, ſed inprimis, quod adverſarii non tenerent ſilentium, et libri tunc a Baïo fuerint in publicum miſſi. Excerptae itaque ex ejus ſcriptis ſunt ſeptuaginta ſex propoſitiones, partim ipſi adfictae, partim ita doloſe conceptae, ut et bonum et malum ferre potuerint ſenſum, ſicut Baïus ſaepe proteſtatus eſt, Romam miſſae, et mox, inaudito Baïo, damnatae a Papa Pio V. a. 1567., *bulla* hanc in rem edita, ſed quae, contra conſuetudinem, nec eſt Romae publice adfixa, nec Baii nomen expreſſit, aut cum ipſo communicata: imo cujus apographum ipſi negatum eſt, monſtrata tantum fuit nonnullis facultatis Theologicae Lovanienſis membris. Compulſus tamen ad earum damnationem, et ſubmiſſionem, eam, licet privatim, praeſtitit, ſive ex ſcrupulo, ſive ex humilitate. Cum autem bullam a Pio fuiſſe profectam, in dubium poſſet vocari, Gregorius XIII., nova publicata, genuinam eam eſſe declaravit. Jeſuita Toletus, cum ea Lovanium miſſus a. 1580., in eas miſerum Baïum conjecit anguſtias, ut privatim non tantum retractaverit, ſed et formulae confeſſionis ſubſcripſerit, qua faſſus eſt, multos ex illis articulis a ſe eſſe traditos, eo etiam ſenſu, quo docuerat, proſcriptos. Ceterum Jeſuitas fuiſſe praecipuos ejus adverſarios, qui propoſitionum damnationem procurarunt, ipſum Bellarminum, ut de quaeſtionibus illis cognoſceret, Lovanium miſſum, adſeritur quidem paſſim, ſed ſine ſolido fundamento. De quo vid. Baelius in *Bellarmino*. Hac ratione lites paulum requieverunt,

et Theologia Anti-Auguſtiniana caput erexit, uſque ad Janſeniſmi ortum ſec. ſequente: nec tamen penitus oppreſſa eſt in Belgio, quin publice defenſa in Academiis Lovanienſe et Duacenſe Auguſtiniana, adeo ut opiniones Jeſuitarum de praedeſtinatione a Leſſio et Hamelio renovatae, fuerint a. 1587. damnatae per Lovanienſes, et anno ſeq. per Duacenſes: quando Sixtus V. ſua autoritate interceſſit, ne lites ulterius procederent: ſtatuendo, ut cuique parti libertas ſentiendi et docendi relinqueretur integra. Vid. Bibl. Univerſ. Clerici tom. XIV. 1.

§. DXXXIII. Propoſitiones vero damnatae inter alia habuerunt 1. meritum unice convenire homini integro, nullum peccatori: nec ullum bonum meritum in redemtis per gratiam Chriſti inveniri poſſe, quod non ſit gratis indigno collatum, adeoque peccatorum remiſſionem omnem, et vitam aeternam, eſſe meritis Chriſti tantum adtribuendam. 2. nullum dari peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne mereri mortem aeternam. 3. Imaginem Dei in primo homine non fuiſſe donum ſupernaturale et gratuitum. 4. Omnia opera infidelium eſſe peccata, et Philoſophorum virtutes eſſe vitia. 5. Liberum arbitrium ſine gratiae adjutorio non niſi ad peccandum valere. 6. Libere fieri, quod voluntarie fit, licet neceſſario. 7. Voluntarium vero ad peccati rationem et definitionem non pertinere, adeoque peccatum originis in parvulo eſſe voluntarium habitualiter, quatenus non habet voluntatem contrariam. 8. Prava deſideria, quae homines ſentiunt inviti, eſſe legis inobedientiam. 9. Per eleemoſynas, aliaque poenitentiae opera, Deo ſatiſfieri pro poenis temporalibus, non meriti conſpectu, ſed quatenus aliquid facimus, cujus intuitu Chriſti ſatiſfactio nobis adplicatur. 10. Neminem, excepto Chriſto, eſſe a peccato originali inmunem, adeoque nec Mariam. Alias ejus opiniones mitto, uti adflictiones juſtorum omnes, etiam martyrium, eſſe ultiones peccatorum, perfectam poſſe in homine eſſe charitatem ſine remiſſione peccatorum, infidelitatem

negativam, esse peccatum in his quibus Christus non est adnunciatus, sacrificium Missae non alia ratione esse tale, quam generali illa, qua omne opus, quod fit ut sancta societate homo inhaereat Deo, denique sine baptismo non remitti peccata extra casum necessitatis et martyrii.

## CULTUS.

§. DXXXIV. Nihil novi hac parte accessit, nisi quod invictum acceperit superstitio robur per Synodum Tridentinum: quare paucis defungar. Quaestio de *maculata*, an *inmaculata*, conceptione Mariae strenue, magnisque motibus, adhuc agitata est inter Franciscanos et Dominicanos, non obstante, quod denuo fuerit jussu Papae inpositum silentium a. 1502. Adjunxit etiam sese aliis Academiis Schola Theologica Moguntina, ut est in addit. ad Nauclerum a. 1501., quae inmaculatam conceptionem tanquam summi momenti definivit. Accidit quoque hac in causa terribilis, et inpietatis plenus casus, qui singulare corruptionis seculi praebet specimen. Quatuor Dominicani Bernenses, Prior, Lector, Subprior, et Custos, pacto cum Diabolo inito, secum conspirarunt, ad maculatam conceptionem per fictas adparitiones Mariae, ac Catharinae Senensis, aliasque fraudes, firmandam. Qua diabolica fraude detecta, illi convicti et vivi combusti sunt a. 1509. Quam historiam ex authentico monumento exhibet Hottingerus hist. Eccles. sec. XVI. sect. III., et Ruchat. ad calcem histor. reformat. Helvetiae. Vid. etiam Lavaterus, qui hoc seculo vixit, de *adparitionibus Spirituum* l. I. Synodus vero Tridentina sess. XXXVI. doctrinam de inmaculata conceptione declaravit *piam*, et *consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicae, et rectae rationi ac Scripturae Sacrae. ab omnibus Catholicis adprobandam fore et tenendam:* prohibuit praeterea contrarium docere, jussitque ejus solennitatem celebrari. Nec tamen contraria sententia ab eo tempore proscripta fuit tanquam haeretica.

Vigue-

Viguerunt adhuc seculo sequente illae lites in Hispania, miserunt quidem ejus Reges varias ad Papas legationes pro inmaculata conceptione definienda, sed nihil inpetrarunt, nisi quod Paulus X. inmaculatae conceptionis inpugnationem inhibuerit, et Gregorius XV. illud ampliaverit ad privatorum colloquiorum et scriptorum prohibitionem, sibi tamen id permittendi, quibus voluit, reservata potestate: sicut mox Dominicanis fecit. Vid. Rivetus in *Apologia pro* Maria lib. I.

§. DXXXV. Praecipuae porro Deiparae imagines summa cum devotione hoc tempore sunt cultae, iisque multa adscripta miracula, uti Florentina, vulgo *adnunciata* dicta, Montisserrati in Catalonia, Eremitana in Helvetia, in primis Lauretana in Italia, de qua sec. XIII. egi, Halensis et Aspricollis, de quibus duabus postremis a se inpetrare potuit Lipsius ut scripserit, et miracula studiose collegerit. *Halensis* sedem tenet Halae in finibus Hannoniae, qua tangit Brabantiam, tertio ab urbe Bruxella miliari, eo translata a Sophia, Elisabethae, filiae Andreae II. Regis Hungari, filia, sec. XIII. *Aspricollis* autem nomen traxit ab *aspero colle* prope Sichemium, oppidum haud procul Lovanio. Est vero imago ibi initio seculi inventa a pastore, et quercui adposita, sed a. 1580., incertum quo casu ablata, postea nova restituta a. 1586., et dein in sacello modico, ibi exstructo, collocata a. 1602. Denique ingente lati sunt superstitione erga Mariam, Jesuitis eam maxime promoventibus. Fuit ex. gr. problema a Jesuitis agitatum, essetne utilius Mariae, an Jesu nomen inplorare? quod secundum Mariam est definitum. Mariae etiam est adtributum inperium in Filium suum: nec ullus fere est titulus in Scriptura magnificus, quo Maria non sit insignita et honorata: nihil est, quod non possit, non concedat. Vid. Rivetus l. cit. Inter superstitionis signa etiam est, quod *praeputium* Christi, Romae adservatum, indeque a milite, quo tempore Roma capta est a. 1527. surreptum, postea nar-

retur repertum Calecae, miraculis clarum, et adorationis objectum ab a. 1559., De quo vid. Toletus ad Luc. II. De reliquis cultus partibus seculum nihil suppeditat observandum, nisi quod Sanctorum reliquiarum, imaginum, et panis eucharistici studium viguerit prorsus stupendum, devotio et superstitio insana et intoleranda. De quo qui convinci velit, adeat, praeter Bzovium, in annal., Calvinum de *reliquiis*, Spanhemium in *Geneva restituta*, et Hottingerum in hist. Eccles., et Seckendorf. in hist. Lutheranismi a. 1522. ubi de ipso Frederico, Electore Saxoniae, et Spalatino agit.

## REGIMEN ET DISCIPLINA.

§. DXXXVI. Misso Pio III., simoniace quidem electo, sed haud mali animi Pontifice, qui vix mensem sedit, successor ejus Julianus Ruvereus Sixti IV. nepos, clarus simultatibus cum Alexandro VI. quas continuo gessit, et propter quas procul ab urbe vixit, cum maxime cognoscendus est. Asumsit nomen *Julii* II., ad Julium Caesarem verius quam Julium I. Papam respiciens; quod ipsis gestis, et splendore in omnium ingessit oculos. *Ipse spectavi*, inquit Erasmus ad Act. V., *primum Bononiae, dein Romae, Julium, Pontificem Romanum, ejus nominis secundum, splendidissimos agentem triumphos, ut cum Pompejanis aut Caesarianis triumphis conferri possint.* Praestitit sese virum perfidum, varium, truculentum, et belli cupidissimum. In principio sese contra Venetos, Romanae sedi rebelles, vertens, cruentum iis concitavit bellum, accensis et adunitis contra eos Ludovico XII., Francorum Rege, Maximiliano Inperatore, Ferdinando V. Arragoniae Rege, omnibusque Italiae Principibus. Cujus belli historiam eleganter conscripsit autor libri Gallici, cui titulus: *histoire de la ligue* de *Cambray* etc. Sed cum hostes per eos gravissime adflixisset, inmenso fuso cruore, pacem cum iis fecit, et arma contra ipsum Galliae

Regem

Regem vertit, inani ſub praetextu, ut, quod honorarium vectigal Rex non pependiſſet, et cum Ferdinando, Hiſpaniae Rege, ſine ſuo conſenſu, foedus pepigiſſet, ſed vera cauſa fuit, ut Galli tota Italia expellerentur, Rex in ſpecie ducatu Mediolanenſi, et Comitatu Aſtenſi ac protectione Genuae privaretur. Fuit illud bellum cruentiſſimum, et ingentem vaſtitatem ac caedem peperit. Ludovicus Galliae Rex, quod nummi praeferunt, dixiſſe fertur, *perdam Babylonis nomen.* Papa, cum exercitu egreſſus Roma Petri clavem dicitur projeciſſe in Tiberim, his additis verbis, *quia clavis Petri amplius nihil juvat, valeat gladius Pauli.* Quod Baelius tamen in dubium vocat, contra conſtantem illius temporis traditionem, et hiſtoricorum teſtimonia. Duxit Papa exercitum in agrum Ferrarienſem, et ipſe ſe contulit Bononiam, opem autem ipſi tulerunt Helvetii, Veneti et Hiſpani: Alphonſum, Ducem Ferrariae, cum adjutoribus, et Gallici exercitus ducibus, diris devovit. Cum vero intra Bononiam ab exercitu Gallico fere fuiſſet obſeſſus, accuſavit mox Regem Galliae apud omnes Principes, quod contra ſe et Cardinales, ut obſiderentur, exercitum miſerit. Mox juſſit, ut exercitus obſidione cingeret Ferrariam, ipſe expugnavit Mirandulam a. 1511., quae in Regis erat clientela. Interea Concordiam et Bononiam, Duce Trivultio, expugnavit exercitus Gallicus, et celeberrima habita, admodum cruenta pugna ad urbem Ravennam, ſuperior quoque fuit a. 1512. Sed adceſſerunt dein ad Julii partes Caeſar Maximilianus, et Henricus Angliae Rex, captumque eſt Mediolanum expulſis Gallis.

§. DXXXVII. Belli hiſtoriam contexere cum ab inſtituto ſit alienum, ad bellum Synodale, hac occaſione ſuſcitatum nos vertamus. Novem Cardinales, a Papa propter haec ejus facinora abalienati, Synodum indixerunt Piſis, Regis Galliae et Inperatoris Maximiliani autoritate freti; ut Eccleſia in capite et membris reformaretur, ſimul Conſtantienſis et Baſileenſis conciliorum decreta de Synodo Oecume-

nica singulis decenniis celebranda, executioni mandarentur. Adrogarunt vero sibi hanc potestatem, quod Papa secundum conventa Cardinalium, tempore electionis Julii facta, juratus promisisset, se intra biennium convocaturum Synodum, idque nisi praestaret, habendum esse perjurum et Ecclesiae perturbatorem, praeterea duabus tunc collegii partibus jus competere cogendi Synodum. Incepit quidem Synodus Pisis, a. 1511., sed, Pisanis se opponentibus, translata est Mediolanum a. 1512., unde Lugdunum confugere compulsi sunt Synodales, ubi tamen nihil Synodice gestum est. Praeter alia decreta, quibus autoritatem suam munierunt contra Papam, contumaciae accusatus est Papa a Synodo, et ab omni Papatus administratione in Spiritualibus ac Temporalibus suspensus: sed Papa ei aliam opposuit Synodum Lateranensem V. a. 1512. postea universaliter receptam, ab ipsis quoque Gallis sub Leone X., missa Pisana. Absoluta est duodecim sessionibus, quinque prioribus sub Julio, reliquis sub Leone X. ejus successore. Quinque prioribus sessionibus sub Julio, Pisana Synodus est abrogata, et monitorium contra *pragmaticam sanctionem* Gallicanam, ejusque adsertores, promulgatum. Praeterea interdicto sacro Regnum Franciae, in specie Lugdunum, quo conventus erat translatus, subjecit Papa, et Lugdunenses nundinas adsignavit Gebennae. Ceterum, Julium referunt tanto in Gallos flagrasse odio, ut obvium quemque eorum mactari ac trucidari jusserit, sicarios quoque praemiis ad id facinus invitaverit. Vid. praeter Hottinger. hist. Eccles., Budaeus in libris de *Asse*.

§. DXXXVIII. Julio, stante Synodo Lateranense mortuo, suffectus est, juniorum Cardinalium opera, Johannes Medicaeus, Florentinus e familia Principe, a. 1513. dictus *Leo* X., qui sedem usque ad a. 1522. tenuit. Lateranense concilium continuavit, eo scopo, vel praetextu, ut pax inter Principes Christianos conciliaretur, et sacrae contra Turcas expeditiones promoverentur. Cardinales, ob Pisanum concilium

concilium abdicatos, sed veniam supplices petentes, seseque Synodo Lateranensi submittentes, restituit. Quo etiam adduxit Ludovicum XII., Galliae Regem. Sed et alia in hac Synodo edidit constituta, ad reformationem Curiae, officia Cardinalium, et ad Concionatores, spectantia. Postremis injunctum est, ut non nisi a superiore examinatas ac probatas habeant conciones, nec Scripturam S., nisi secundum mentem Doctorum Ecclesiae, interpretentur, de tempore vero futurorum malorum, adventus Antichristi et ultimi judicii, nihil adserere et definire praesumant. Confirmata postremo est *pragmaticae sanctionis* abolitio, in ejus locum pactis Bononiae *concordatis* inter Leonem et Franciscum I. Galliae Regem, suffectis, quibus nominatio ad Praelaturas fuit, certis conditionibus adstricta, Regibus Galliae concessa, et Papis electorum confirmatio data est. Nec tamen hoc privilegium gratis fuit datum Regibus, sed obtinuit Papa, ut *annatae*, ex novo censu, qui vetere major erat, solverentur. Reliqua pragmaticae sanctionis capita firma manserunt in regno Gallicano. Aegerrime quidem haec concordata tulerunt Parlamentum, Academia et Clerus, et variae inde ortae sunt oppositiones, sed tandem acquieverunt.

§. DXXXIX. Cum vero sese per *Indulgentiarum* nundationes inprimis celeberrimum praestiterit Leo, indeque ansa reformationis per Lutherum fuerit orta, ea de re paucis est dicendum. Pecunia cum indigeret Papa, praetextu belli Turcici, et structurae Vaticanae, a Julio II. inceptae, perficiendae, sed vere, ut auri sacram expleret famem, debita quoque per Cardinalium electiones contracta solveret (acceperat enim pro electione illorum inmensos thesauros sub restitutionis promisso) denique sororem Magdalenam, aliosque nepotes ditaret, suisque profusionibus, splendori et luxui sufficeret, quae ex historicis satis constant: liberalissimas concessit indulgentias, nullo excepto peccato, quam enormi etiam et absurdo, veluti si quis vel ipsi Mariae,

matri Domini, stuprum intulisset, etiam ad purgatorii poenas tollendas, et finiendas; quas indulgentias quisque per pecuniarum largitiones sibi comparare poterat. Invidiosiores praeterea has nundinationes fecerunt praecones et collectores, quaquaversum ad eas promulgandas missi, per suam inpudentiam, pecunias collectas luxui et libidini inpendendo. Data fuit haec provincia per Germaniam Alberto, Archiepiscopo et Electori Moguntino, qui eum in finem misit Johannem Tezelium de ordine Praedicatorum et Inquisitorem, cujus formula absolutionis exstat apud Seckendorf, hist. Lutheranismi lib. I. in init. In Helvetia hoc munere est functus Samson, Franciscanus Mediolanensis. Qui qualisve motus hinc orti sint, postea in historia Reformationis narrabo.

§. DXL. In Politicis varium se demonstravit Papa, fortunam, non fidem et probitatem, secutus. Partibus Caesaris, Venetorum et Sfortiae Ducis Mediolanensis sese in principio adjunxit contra Gallos, eductis quoque contra eos, Mediolano inhiantes, Helvetiis in Italiam: dein, uno alterove habito praelio, Sfortia capto, et Mediolano in Francisci potestatem redacta, ad Gallos transiit, contracta cum Francisco amicitia, et inperii CPolitani corona scenice ipsi concessa. Multa dein cum contra Carolum V. in gratiam Gallorum esset machinatus, ad Caesarem defecit et foedus cum ipso in has peperit conditiones, ut Parma et Placentia sedi Romanae redderentur, Franciscus Sfortia in ducatu Mediolanensi restitueretur, Galli vero Italia expellerentur. Vitae denique et morum respectu, voluptuarium, lascivum et Papatu indignum sese praebuit, venationibus, aucupiis, luxui, splendidissimis conviviis, musicae et ludis theatricis deditum. Religionem vero ipsi parum curae fuisse, imo minus bene eum de Christianismo sensisse, constat. Petro Bembo, ex. gr., locum Scripturae citanti regessisse fertur, *quid mihi narras istam de Christo fabulam.* Illud tamen ipsi cedit laudi, quod studiorum et Litteratorum fuerit fautor et promotor.

motor. Romanam inſtauravit Academiam, viroſque doctos, undequaque conquiſitos, in eam tranſtulit, Santem Pagninum ad Latinam verſionem ex Hebraeo fonte adornandam incitavit, eique ſuppeditavit neceſſaria. Tandem, inmodico concepto gaudio, quod Galli Mediolano eſſent ejecti, incidit in febrim, et, ſumto potu medicato non ſine veneni ſuſpicione, animam efflavit. Ceterum hiſtoriam vitae ejus ex Antonii Varillaſii arcanis Florentinis ſummatim enarravit Seckendorf. l. cit.

§. DXLI. Excepit ipſum optimus Paparum, qui forte unquam ſequioribus ſeculis fuit, *Adrianus* VI. Trajectinus Batavus, e paupere et ignobili familia ad ſupremam hanc dignitatem per gradus evectus varios. Lovanienſi in Academia confectis ſtudiis, et Theologica ornatus laurea, munus Cancellarii in ea nactus eſt, indeque, Carolo V. educando praefectus a Maximiliano, in publicam venit notitiam. Denique Cardinalis ope Inperatoris creatus a Leone X. ipſi eſt ſuffectus; Julii Medicaei Cardinalis et Cajetani ſtudiis electus Papa, licet abſens, et paucis de facie notus. Vitam degit probam, animo fuit ſincerus, et a politicis artibus alienus, totuſque Eccleſiae in capite et membris reformandae incubuit. Quod ſtudium ſuum luculenter, una cum terribilis aulae Pontificiae corruptionis et abuſuum confeſſione, explicuit in mandatis, quae Franciſco Cheregato, ad comitia Norinbergenſia miſſo a. 1522., dedit. Vid. *Faſciculus rer. expetend.*, Wolfius memorab. centur. XVI. et Pallavicinus hiſt. concilii Tridentin.; qui illam memorabilem Legati inſtructionem luci expoſuerunt. Actum autem illis in Comitiis eſt de Eccleſiae reformatione, et Lutheranorum ad Eccleſiam reductione, conſcriptus quoque eſt, conciliis finitis, libellus juſſu Principum, et ad Papam miſſus, hujus tituli, *centum gravamina ſedis Apoſtolicae non ferenda Germanis.* Exſtat apud Goldaſtum *Conſtit. Inperial.* Sed omnes hi conatus in vanum ceciderunt per Adriani mortem, brevi ſecutam, ſive ex renum dolore, quo laboravit,

ſive veneno, ad ingentem aulae Pontificae laetitiam, quae talem Papam ferre non potuit. Praefuit annum tantum et octo menſes. Fidit vero nimium conſiliariis, parumque propterea praeſtitit, ſimul inimicos ſibi conciliavit. De quo legi meretur *itinerarium* ejus in Miſcell. Baluzii tom. III. quo iter ejus ex Hiſpania Romam deſcribitur, etiam multa ad vitam ejus pertinentia continentur: memoriam vero ejus luculenter vindicavit, et judicium Palavicini, qui eum *mediocrem* dixit Papam, refutavit Launoius p. IV. ep. VII. Illud addatur, eum fuiſſe a Nepotiſmo alieniſſimum, ita ut haec ſola ſuffecerit ratio, ad munus aliquod non conferendum, unicum etiam per vitam Cardinalem tantum creavit; ſed ſanctis adſcripſit Bennonem Miſnenſem Epiſcopum, cujus hoc praecipuum fuit meritum, quod Gregorio VII. contra Henricum IV. adhaeſerit.

§. DXLII. Julius Medicaeus Leonis X. patruelis, a quo etiam nothus fertur legitimatus, dictus *Clemens* VII., qui ſucceſſit, turbulentum admodum geſſit pontificatum per diſſidium cum Carolo V., et motus Anglicanos cauſa divortii regis Henrici VIII. cum Catharina, et novarum nuptiarum cum Anna Bolena. De poſteriore caſu poſtea in hiſtoria Reformationis acturus, prioris brevem dabo conſpectum. Bello inter Franciſcum I. et Carolum V. exorto, illoque ad Ticinum victo ac capto, Papa, qui a Gallorum partibus ſtabat, per Caeſarianorum in ditiones ſuas irruptiones et depraedationes adactus, novum quidem cum Carolo pepigit foedus a. 1525., ſed Franciſcum, duris conditionibus a Carolo dimiſſum, ab illis praeſtandis non tantum dehortatus eſt, et a juramento abſolvit, ſed et cum Gallis, Anglis, Venetis, Helvetiis et Florentinis foedus iniit contra Caeſarianos ad Sfortiam, Mediolanenſem Ducem, perduellionis nomine principatu a Caeſare exutum, et a Caeſarianis obſeſſum, liberandum ac reſtituendum, aliaque ad commune bonum perficienda. Quod Papae et Romae peſſime ceſſit. Caeſarei enim Ducibus Hugone Moncada,

prorege

prorege Neapolitano, et Carolo Borbonio, Romam ipſam expugnarunt, ſimul ſaeviſſime ac barbarice tractarunt, caedibus et rapinis graſſati, ne ſacris quidem perſonis et rebus exceptis. Vid. Adami Reiſneri, teſtis oculati, acta Fronſpergica lib. VI. Exſtat quoque captae, et diriſſime tractatae, Romae adcurata narratio in nova collectione monument. Hofmanni tom. I., quae ſine horrore legi nequit. Praebet utique ſingularis judicii divini in ipſam ſedem papalem ſpecimen, concurrentibus rapinis, caedibus, peſte, ac fame. Papa, in arce Aelia arctiſſime cuſtoditus, et ad incitas redactus, ſeſe dedere debuit, duriſſimis ſub conditionibus, Philiberto, Principi Arauſicano, qui Borbonio, in ipſo urbis ingreſſu tormenti ictu trucidato, ſucceſſerat Dux exercitus. Captivus autem retentus, donec promiſſa faceret, mercatoris ſumto habitu evaſit a. 1527. Cum vero Caeſar ſe Papae excuſaſſet, ſimulando, ſe inſcio et invito haec accidiſſe Papae, novo foedere ipſe et Papa ſociati ſunt, eo in primis ſcopo, ut unitis viribus exſtirparent Lutheranos: in quam ſocietatem reliqui Principes Pontificii etiam coaluerunt a. 1529. Carolus autem Bononiam profectus, ibi a Papa, incredibili pompa et luxu, accepit coronam Inperialem a. 1530. a quo anni ipſius, qua Inperatoris, duci ſolent. Quando de concilio indicendo egerunt Caeſar et Papa, illo ſuadente, hoc recuſante, concilium: quem rationum conflictum luculenter expoſuit Suavis Polanus in hiſt. concilii Tridentini a. 1529. Ceſſit quidem tunc Caeſar, ſed in comitiis Auguſtanis a. 1531., poſt confeſſionem Proteſtantium, eorumque conſilia audita, iterum promiſit Synodum, et de pace cum iis uſque ad concilium egit, promiſſa ipſis ad illud uſque tempus libertate. Quo Papa denuo irritatus ſeſe ad Franciſcum rurſus contulit, et foedus cum eo pepigit Maſſiliae, ubi a Rege ad pedes ejus proſtrato dicitur adoratus, firmavitque matrimonio proneptis ſuae Catharinae Mediceae, famigeratiſſimae foeminae, cum filio Regis Henrico, unde tres illi Reges, Franciſcus II., Carolus IX. et Henricus III.

 nati

nati sunt, per quos Catharina Galliam varie et misere turbavit, propterea dicta, *quarta Francorum furia.* De quo postea suo loco. Celebratae sunt inmenso splendore et sumtibus hae fatales nuptiae, et Papa, praeter nummos et gemmas, promisit nomine dotis Genuam, Mediolanum, et Neapolin: a quo tempore Franciscus suorum civium tyrannus et persecutor factus est.

§. DXLIII. Praestitit sese praeterea perfidum, inter alia etiam in Tigurinos, pro militia et opera stipendia promissa petentes, et repulsam ferentes, eo nomine, quod fidei Catholico-Romanae sese minus studiosos demonstrarent: litteras propterea a Tigurinis ad Papam scriptas recenset Hottingerus l. cit. Sed et ob avaritiam, austeritatem, ac crudelitatem, plurimis fuit odiosus, magnoque cum aulicorum gaudio, exquisitis doloribus diu excruciatus, exspiravit a. 1534. Successorem nactus Alexandrum Farnesium dictum *Paulum* III., qui usque ad a. 1549. sedit. Laudatur a multis virtutibus, in primis arte dissimulandi, et virtutibus aulicis, a Pontificiis, sed teterrimis depingitur coloribus in libro Italico, qui Ochini nomen praefert, licet alium forte habuerit autorem, quo, ut fide digno, usi sunt Sleidanus et Thuanus. Describitur autem in eo libro, tanquam parricida, veneficus, sacrilegus, incestuosus, stuprator, verbo, inpurissimus et inprobissimus hominum. Illud inter omnes constat, ipsum familiae ditandae, et extollendae, omnem dedisse operam. Parmam et Placentiam, ex. gr., tradidit Petro Aloysio, notho suo, et Sodomia infami, ex eo vero et filia spuria Constantia natos Alexandrum Farnesium et Guidonem Ascani Sfortiam creavit Cardinales, illum 14, hunc 16 annos natum.

§. DXLIV. Hic ipse tamen ad morum emendationem, ac curiae reformationem, instituit coetum quatuor Cardinalium et quinque Praesulum; qui scripto consilium exhibuerunt a. 1538., quod ad calcem Suavis Polani hist. concilii Tridentini exstat, et alibi, estque haud uno nomine valde

notabile,

notabile, etiam ad corruptum curiae, et urbis, ſtatum cognoſcendum. Duo praecipui abuſuum notantur fontes, unus, Papas eſſe omnium beneficiorum Dominos, adeoque jure vendere, nec Simoniam committere poſſe, alter, voluntatem Paparum, qualiſcunque fuerit, unicam eſſe actionum et operationum eorum regulam. Varii porro recenſentur abuſus circa ordinationem Clericorum, collationem beneficiorum Eccleſiaſticorum, maxime Curatorum, circa exſpectativas, reſervationes beneficiorum, abſentiam Clericorum ab Eccleſiis ſuis, exemtiones a juriſdictione Ordinarii, circa multitudinem ordinum religioſorum, inſtitutionem publicam in gymnaſiis, in quibus inpietatem adſeritur doceri, in ſpecie reprehenditur, pueros in ludis litterariis legere colloquia Eraſmi, quippe multis referta, quae rudes animos informant ad inpietatem. De ipſa urbe traditur, meretrices in ea ut matronas incedere, et media die adſectari nobiles familiares Cardinalium et Clericos. Sed et alia ſunt, quae Pontificatum ejus reddiderunt, vel celebrem vel famoſum. Praecipuas adhibuit curas in Principibus inter ſe conciliandis, in ſpecie Caeſare et Rege Galliae, iiſque ad haereſes eradicandas excitandis. Edictum Spirenſe a Caeſare promulgatum a. 1544., et libellum, dictum *Interim*, a. 1548. editum, utrumque, tanquam religioni, et dignitati Papali adverſum, reprobavit. Concilium primum Mantuae, dein Tridenti indixit, et celebrari incepit a. 1544., quod dein a. 1549. ſuſpenſum eſt. Henricum VIII. Angliae regem excommunicavit, regno ſpoliavit, illudque occupantibus tradidit. Denique ordines Jeſuitarum et Capucinorum confirmavit.

§. DXLV. Succeſſor quoque ejus Johannes Maria de Monte, Aretinus, qui, *Julii* III. nomine ſumto, ſedem tenuit ab a. 1550. ad a. 1555., laſcivae, luxurioſae, et libidinoſae fuit vitae, praeterea levibus ac inanibus verbis et jocis majeſtatem proſtituit Papalem, omnium hiſtoricorum conſenſu; ſicut et autoritas papalis haud parum, ipſo ſe-

dente, fuit debilitata. Concilium Tridentinum ab Ipso renovatum, iterum, post paucas sessiones, abruptum est. Bellum enim Parmense inter Inperatorem et Gallum, sicut Gallorum ad Synodum adventum, jussu Regis, intercepit, et ejus contra Synodum produxit protestationem, ita suspensioni Synodi ansam praebuit, cum Papa partes Caesaris sectaretur. Effectum denique Mauritii, Saxoniae Electoris, armis est, ut celeberrima pax Passaviensis a. 1552. fuerit inita, quae a. 1555. firmata est, qua libertas religionis est Protestantibus concessa. De quo postea. Laetius ipsi quidem accidit, non tantum quod Syri Nestoriani, per Patriarcham ad Papam missum, et litteras a Masio editas, subjectionem sedi Papali professi fuerint, sed in primis, quod post Eduardi VI. mortem Maria, facta Regina, ferro et igni in Reformatos saevierit, Philippo quoque II., Hispaniae Regi, nupserit: qua occasione monetam cudi fecit Papa, cum imagine *tricornifera*, et inscriptione, *gens et regnum, quod non servierit tibi, peribit*: verum haud diu illud duravit, cum Mariae conjugium fuerit sterile, et ipsa, brevi post defuncta a. 1558., locum cesserit Elisabethae, quae Papatui in perpetuum finem inposuit in Anglia: ut suo loco narrabo.

§. DXLVI. Misso *Marcello* II., paucorum dierum Pontifice, ad Ecclesiam reformandam prono, cujus hoc memorabile dictum memorat Onuphrius, *non video, quomodo qui locum hunc altissimum tenent possint salvari*; ad successorem ejus, *Paulum* IV., antea Johannem Petrum Caraffam, accedo, Papalis omnipotentiae, ut loqui amant, verum statorem, et tyrannum Ecclesiasticum: quo nomine Pontificatum secum reddidit celeberrimum dicam, an infamem. Cum Henrico, Galliae Rege, foedus contra Carolum V. iniit, et bellum cum Philippo, Hispaniae Rege, per Gallos gessit, qui Ducem Guisium in Italiam miserant. Erat enim a Caesarea domo alienissimus, ob suas et familiae Carafae injurias, a Caesare et Caesarianis illatas. Philippo itaque Siciliae

et Neapolis regna, beneficiario titulo sedi Romanae obnoxia, concedere noluit, unde funestum est ortum bellum. Ferdinandum, cui Carolus regnum Germaniae et Inperium voluntaria abdicatione tradiderat, admittere recusavit, nisi ante cessioni fratris, licet ab Electoribus adprobatae, renunciaret, et rem suo arbitrio permitteret, contendens, sine sua id confici non potuisse autoritate, cum sibi, ut vicario Christi, claves coelestis et terreni inperii sint creditae. Crimini vero Ferdinando in primis vertebat, quod, sede Romana non consulta, negotia religionis tractasset in Comitiis, pacem Passaviensem indulsisset, utriusque speciei in Eucharistia usum permisisset Austriis, denique filium Maximilianum inter haereticos educasset.

§. DXLVII. In Ecclesiasticis sese 1. a Tridentino concilio, utpote universali, sua sede inferiore, demonstravit alienum 2. Bulla a. 1558. publicata contra haereticos, superiorum Paparum contra eos decreta non tantum renovavit, sed et quoscunque Principes et Reges eo nomine declaravit regnis et inperiis privatos, ac ad ea inhabiles. 3. Romae erexit tribunal Inquisitionis, et moribundus illud officium, tanquam *sanctissimum, et unicum Apostolicae sedis firmamentum*, commendavit, teste Onuphrio, cui concinit Polanus hist. concil. Tridenti l. V., tradens, eum hoc officium dixisse *praecipuum nervum* et *arcanum Pontificatus*, nec non *arietem* in haeresi oppugnanda, et Apostolica sede propugnanda. Quae Papalis declaratio, sicut vera est, ita Antichristianae societati unice congrua. 4. Indicem librorum prohibitorum ab inquisitoribus confici jussit; qui a. 1559. prodiit. 5. Denique novos Episcopatus, fidei Catholicae propagandae ergo, instituit, cum in Orientali India, sub sede Goana, in Archiepiscopalem erecta, tum in Belgio, tribus Ecclesiis in Metropoles conversis, Cameracensi, Mechliniensi, et Trajectensi. Duras 6 denique leges contra Judaeos, in ditionibus Ecclesiae degentes, tulit, quibus, inter alia, mercaturae exercitio interdixit, et omni qualicunque com-

 mercio

mercio cum Christianis. Hic ipse tamen Papa constitutiones quasdam ad mores reformandos sancivit, simul Papas errare posse confessus est; ut ex Johanne Hayo adnotavit Natalis Alexander. Ex dictis facile patescit, populum Romanum ansam potuisse adripere, in ejus memoriam, post mortem, saeviendi, sicut fecisse narrant historici. Inpetum enim fecit in carcerem Inquisitionis, fores effregit, et captivos liberavit: dein ad Capitolium mox convolavit, et Papae simulacro nasum abscidit et brachium, dein edictum promulgavit, ut unusquisque stemmata tyrannicae familiae Carafensis, quae penes se erant, dejiceret. etc.

§. DXLVIII. Johannes Angelus Medicaeus, dictus *Pius* IV., successor ejus ab a. 1560. ad a. 1565., libidine, avaritia, et ambitione, ei quidem non cessit, sed in Pontificatus exercitio ei per omnia se demonstravit contrarium. Obtulit Ferdinando coronam Inperialem, quam Paulus ei negaverat, sed sprevit Inperator, se non indigere Papali coronatione dictitans, ad exemplum Henrici Aucupis, et Rudolphi Habsburgici. Johannem Moronum Cardinalem, et Thomam Stanfelicium, Episcopum Cavensem, in carcerem a Paulo conjectos, absolvit, post causam discussam. Saeviit etiam in Carafas, Pauli nepotes; sed quorum causa a Pio V. est retractata, ac justificata. Odetum Cardinalem, et sex alios Praelatos Gallicanos, ad Inquisitoris relationem, deponere adgressus, per Regem Galliae inpeditus est; sicut et cum idem in Reginam Navarrae tentaret. Denique Papatum ejus cum maxime celebravit Synodus Tridentina, sub ipso resumta et absoluta. De quo postea.

§. DXLIX. *Pius* V., antea Michael Gislerius, Insuber, vel Lombardus, qui ipsi ab a. 1566. ad a. 1572. successit, Papa creatus, dixisse fertur, *se religiosum adhuc bene sperasse de salute sua, Cardinalem factum coepisse timere, Papam factum pene de ea desperare*: vitam quidem duxit honestam, et, secundum fidei Catholicae placita, piam, sanctis quoque a Clemente X. adscriptus, sed praestitit sese Ecclesiae et sedis

suae

suae insignem statorem, et haereticorum, ac Protestantium, acerrimum persecutorem. Ex Tridentinis decretis confici jussit Catechismum, titulo catechismi *Romani* insignitum. Confirmavit etiam *breviarium missale*, et *officium Mariae*, secundum concilii emendationem. Nonnullos, qui inquisitionem adpellaverant *sicam in Litteratos districtam*, ad rogum damnavit, teste Thuano lib. XXXIX., inter quos fuit Aonius Palearius, vir probus et eruditus: cujus vita praefixa est editioni Operum ejus Amstelod. a. 1696., ubi inpius Pius vivis depingitur coloribus. Vid. etiam Schelhorn. Amoen. litter. tom. I. Maximilianum II., qui Protestantibus volebat libertatem dare, deterrere conatus est, inperiose dictitans, *se id nullo modo permissurum, nec ullius Principis secularis esse, sibi ejusmodi potestatem arrogare.* Parum tamen effecit. In Elizabetham, Angliae Reginam, exauctorationis sententiam tulit, et subditos a juramento fidelitatis absolvit. Famosam illam bullam, in *coena Domini* dictam, quia singulis annis die Jovis sancto in coena Domini praelegitur Romae, vulgavit contra haereticos non tantum, sed et omnes Papalem omnipotentiam non agnoscentes, eamque ubique et semper obtinere voluit. Quae bulla graves nacta est, inter ipsos quoque Catholico-Romanos, contestationes, et oppositiones. De quo legi meretur Giannone hist. Neapolit. c. XXXIII. Carolus cum in Gallia statuisset, ut Nobilibus in arcibus et saedibus suis, populo vero in Templis suburbanis, sacra libere agere integrum esset, Papa per Guisios omnia caedibus replevit; Regem dein in Protestantes incitatum adjuvit contra Ludovicum Condaeum. Praeterea foedus sacrum, *ligae sanctae* nomine notum, inter Philippum Hispaniae regem, et Carolum IX., Galliae Regem, de religione Tridentina adserenda, peperit, unde horribilis illa tragoedia per Belgium nata est. Furor denique eousque processit, ut Carolus, Infans Hispaniae, quia Belgis videbatur favere, in carcerem a Patre conjectus, et veneno exstinctus sit, cui fato etiam eandem ob causam succu-

buit Iſabella Regina, Philippi conjux: ob quae facinora auream roſam cum gladio Regi miſit Papa. Poſtremo, ne alia memorem, cum Coſmum Mediceum, ob praeclara geſta in ſedem Papalem, creaſſet magnum Etruriae Ducem, et regali corona honoraſſet, expoſtulationem Caeſaris hac ſuper re his verbis, arrogantiae plenis, repulit: *quo jure Inperatores vel ſunt vel dicuntur, niſi autoritate Apoſtolicae ſedis?*

§. DL. Pontificatum *Gregorii* XIII., antea Hugonis Boncompgani, Bononienſis, qui ſedem tenuit ab a. 1572. ad 1585., mirum in modum foedavit horribilis illa *laniena* Pariſienſis, quae papatum ejus initiavit, quam incredibili gaudio accepit, Deo actis gratiis, Jubilaeo promulgato, Rege laudato, aliiſque laetitiae ſignis. Quo ipſo ſe genuinum probavit Antichriſtum. Jeſuitis etiam inpenſe favit, et in eorum gratiam collegium Romae erexit, et dotavit. Praeterea Hiberniam conatus eſt ſubtrahere Eliſabethae, et indulgentias promiſit Belgarum oppugnatoribus. Emendatio Gratiani, et totius juris Canonici, ſub Piis IV. et V. coepta, ſub ipſo, et ejus juſſu, abſoluta eſt et publicata; nihil etiam non egit ad religionem Catholicam per miſſionarios propagandam per Indos, Iaponnenſes, aliaſque terras remotas. Ipſi denique accepta ferenda eſt Kalendarii emendatio, opera Aloyſii, inſignis mathematici, repugnantibus Proteſtantibus, qui tale quid a Papa proficiſci aegre ferebant, ad id etiam, ſatis temere, adplicantes Dan. VII: 25. Papa Kalendarium ſuum in Germaniam adgreſſus eſt introducere per Rudolphum II. Inperatorem, a. 1582., qui illud quoque decreto facto juſſit. Cui Saxo, aliique Principes Proteſtantes, ſe oppoſuerunt, libertati ſuae praejudicium creari contendentes, maxime, quia opus illud a Papa originem habebat, et urgebatur: unde etiam motus Auguſtae et Rigae orti ſunt, quos Godfr. Arnold. in Hiſt. Eccleſ. enarrat.

§. DLI. Eandem viam tenuit ejus ſucceſſor *Sixtus* V., antea Cardinalis Montaltus, e pauperrima conditione, varios per gradus et artes ad ſupremam hanc dignitatem evectus,

tus, Condeum Principem, et Henricum, Navarrae Regem, tanquam haereticos, exautoravit, ſubditoſque ab obſequii vinculo exſolvit, bulla edita a. 1585. Quod brutum fulmen non tantum flocci fecerunt, ſed Navarrus, programmate ad Marforii et Paſquilli ſtatuas, aliiſque in locis publicis, Romae adfixo, declaravit, ſe Papam pro mendace, haeretico, ſectario, Antichriſto, habere, donec ſibi inputata probaverit, ſeque porro ad liberum provocare concilium. Scripſit etiam, praeter alios, in hanc bullam Hottomannus librum, *brutum fulmen* dictum. Deinde cum Henricus III. fratres Guiſios, Ducem et Cardinalem, Regis vitae inminentes, occidi juſſiſſet a. 1588., Cardinalem quoque Borbonium, et Epiſcopum Lugdunenſem, detineret captivos, Papa, vehemente ira accenſus, monitorio emiſſo diplomate a. 1589., idem ei minatus eſt fulmen, ni captivos dimitteret, et diem dixit Regi, quo ſe Romae coram Papae tribunali ſiſtat, de geſtis rationem redditurus, ſimul addit, Regem a nemine niſi a Papa poſſe abſolvi, ne quidem in articulo mortis. Quae omnia ſpreta ſunt in Gallia, tanquam Majeſtati contraria, et injurioſa, cum Regi ſuo jus in ſubditos perduelles, et majeſtatis reos, competat, licet Epiſcopos, vel Cardinales. Rege dein, armis cum Navarro, ad rebelles ſubditos in ordinem redigendos, et pacem Galliae reddendam, junctis, in obſidione Lutetiae, a Clemente aliquo monacho cultro venenato ancipite occiſo, Papa inmane hoc facinus inpenſe laudavit, oratione etiam, ſecundum Thuanum, habita in conſiſtorio, quam tamen alii fictam putant, uti Servinus, advocatus Regius, in Senatu Pariſienſi, in *vindiciis Regis*, a. 1592. ſcriptis, apud Goldaſtum tom. III. *Monarchiae*, obſervat. Tandem, animo in Navarrum, Galliarum Regem factum, mutato, ejus amicitiam coepit Papa ambire, ipſius etiam Eliſabethae, Anglorum reginae, ut Hiſpanorum potentiae, in Italia ingraveſcenti, obicem poneret, teſtatus quoque in Henrico et Eliſabetha ſe mirari virtutem ἡγεμονικήν: quam ob cauſam *Navarriſtae* nomen ipſi eſt

ab Hispanicae factionis Jesuitis inpositum. Revocasset etiam fulminationes in Henricum, teste Thuano, ni mors inpedivisset. Quae ipsi est accelereta, odio Hispanorum, a Franciscano, ipsi aeque ac Henrico III. illata. Illud addatur, versionem Vulgatam, in concilio Tridentino authenticam declaratam, postquam fuisset emendata, jussu et cura Sixti correctam, et ita publicatam, fuisse, tanquam authenticam, et Apostolica autoritate confirmatam. Quam ipsam editionem Sixtinam Clemens VIII. postea interpolavit, additis demtis, saepe contra Sixtinam. De quo vid. Thomas Jamesius in bello Papali. Alia Papae acta ad mores corrigendos, aerarium supplendum, etc. silentio transeo.

§. DLII. Odium in Henricum IV., qui Protestantibus favere videbatur, resumsit *Gregorius* XIV., qui post Urbanum VII., brevissimi temporis Papam, sedem Papalem accepit. Partes enim Pontificiorum Regi rebellium in Gallia, misso exercitu cum Duce Sfondrato, nepote suo, strenue firmavit, et fulmen in Henricum, ejusque adseclas, vibravit, quo Regem exauctoravit, omneque obsequium ipsi praebendum interdixit subditis sub gravi poena. Quae monitoria per Landrianum legatum in Galliam missa, variis Senatusconsultis, sunt rejecta, tanquam *nulla*, *abusiva*, *seditiosa*, *inpietatis plena*, *sanctis decretis*, *juribus*, *et libertatibus Ecclesiae Gallicanae contraria*, praeterea a carnifice lacerata, et combusta in locis publicis: prohibitum denique, ne quis Gallorum aurum aut argentum mittat Romam: imo Legatus Papae jubetur comprehendendus, et carceri mancipandus, ipse Papa Ecclesiae Catholicae, Regis, et regni, hostis declaratur, rebellium fautor, inmanis quoque parricidii Henrici III. reus. Ipsi denique Praesules Gallicani monitoria illa papalia pronunciarunt *nulla*, *injusta*, et hostium Franciae suggestione facta. Tantum Senatus Parisiensis, qui, foederatis contra Henricum addictus erat, adprobavit Papae gesta. Hoc in statu rem reliquit Gregorius, a. 1591. mortuus. De Clemente VIII., qui post Innocentium IX.,

breviſſimi temporis Papam, ſedem conſcendit, et aliis, ad ſeculum ſequens agendum eſt.

§. DLIII. Hiſtoria Paparum ſummatim, convenienter inſtituto noſtro, tradita, clare evincit, Papas paſſim fuiſſe peſſimae vitae, et curiam Papalem corruptiſſimam, reformatione a Papis quidem ſimulata, ſed ſemper eluſa, de quo vid. etiam Thuanus, in adpendice *anatomes* concilii *Tridentini* Heideggeri, et Hottingerus hiſt. Eccleſ. Praeterea, Papas ſeſe ſeveros praeſtitiſſe Dominos et Tyrannos, qui ſupremam ſibi in ſacris et civilibus adrogarunt poteſtatem. Nec defuerunt adulatores, peſſimum hominum genus, qui nefanda in Paparum laudes effutierunt. In concilio Lateranenſe, ex. gr., ſub Leone X. Antonius Puccius, in oratione ibi habita, Pſalm. LXXII. verba, *omnes Reges terrae adorabunt eum*, *et ſervient ei*, ad Papam adplicuit, addens, *omnes Reges terrae ſciunt*, *quaenam poteſtas Tibi data ſit in coelo et terra.* Archiepiſcopus quoque Stephanus dixit, *omnis poteſtas tibi data eſt*, *qui omne dicit*, *nihil excipit.* Quid? quod Leo iſto in concilio adpelletur, *Leo de tribu Juda*, *radix Davidis*, *ſalvator et liberator Iſraelis.* Tetzelii blaſphemas voces poſtea proferam. Vid. Seckendorf. hiſt. Lutheran. ex Myconio lib. I. Legatus Pauli III. ad Carolum V. diſerte dixit in oratione ad Caeſarem, *privilegium non errandi ſolius Pontificis perſonae eſſe conceſſum*, *his* Chriſti *verbis*, *ego rogavi pro te*, *Petre*? Vid. Suavis Polanus hiſt. concil. Tridentini lib. I. Actum etiam eſt in Synodo ſub Julio de *poteſtate* Papae, qua *unici capitis*, et *jure omnia* officia diſpenſandi, Legato eam poteſtatem urgente, ſed contradicentibus Caeſarianis. Vid. Epiſt. Vargae. Diſputatum quoque eſt in concilio Tridentino inter Gallicanos et Ultramontanos de autoritate Pontificis, ſitne Eccleſia univerſali ſuperior an inferior? Canon erat in concilio propoſitus ſeſſione XXXIII., Papis fuiſſe a Chriſto traditam *plenam poteſtatem paſcendi*, *regendi*, *et gubernandi Eccleſiam Univerſalem;* cui ſeſe oppoſuerunt Gallicani, contendentes,

 Eccleſiam

Ecclesiam universalem, vel Concilium Generale, esse supra Papam. Unde variae concertationes ortae effecerunt, ut canon de autoritate Pontificis fuerit suppressus, nihilque de ea definitum. Manserunt itaque sententiae divisae. Renovata quidem fuerat in concilio Lateranensi sub Leone X. constitutio Bonifacii VIII. *unam sanctam* etc., qua Pontificis suprema autoritas inter fidei articulos est relata, sed ipsi Pontificii Principes ei multis modis contradixerunt, eamque infregerunt. Inminuta itaque hoc etiam seculo haud parum est Paparum potestas, cum per opiniones communiores factas de Episcoporum omnium divina missione, et Synodorum Universalium suprema autoritate, tum de potestate seculari Principum, qui Papae autoritatem in rerum suarum administratione susque deque habuerunt. Maximilianus quoque Caesar publice declaravit, ut Guiccardinus lib. VII. refert, *Caesaream coronam petere, pompa magis quam re contineri, cum Caesarea dignitas, ac autoritas, prorsus ex voluntate Principum Germaniae pendeat.* Interea nacta est autoritas Papalis hoc seculo inmobilia fulcra in Jesuitis et Capucinis, quibus stat inmota. Jesuitae in primis potestatem Papalem faciunt summam, absolutam, et infallibilem, cum reliqui Catholico-Romani plurimi eam restringant, relate ad Episcopos, Synodos universales, et infallibilitatem, nec non civilem potestatem supremam. De quo ad sec. praecedens distinctius exposui.

## SYNODUS TRIDENTINA.

§. DLIV. Petenda est Synodi historia ex *Paulo Sarpio*, Veneto, alias, nomine per anagrammatismum mutato, Petro Suavi Polano, et *Pallavicino* Cardinali. Qui duo historiam concilii diverso quidem scopo et animo conscripserunt, sed in factis satis conveniunt. Sarpius fuit a curia Papali alienior, imo apud multos Pontificios pro occulto reformato habetur; de quo vid. Bossuetus hist. Variat. l. VII.,

Pallavicinus

Pallavicinus vero ingens Paparum adulator. Conferendae cum his ſunt Epiſtolae Franciſci Vargae et Malvendae, a Mich. Vaſſorio editae. Ex recentioribus praecipue conſulendi ſunt Dupinius, Catholico-Romanus, de ſcriptor. Eccleſ., et in peculiari tractatu, et Heideggerus, Reformatus, in *anatome* concilii Tridentini *hiſtorico-Theologica.* Nobis ſumma perſtrinxiſſe capita ſuffecerit. Cum Lutheraniſmus magis magiſque invaleſceret, omnia etiam media, ſive comitia et colloquia, ſive edicta et Bullae, caruiſſent effectu, abuſus interea Eccleſiae Pontificiae indies fierent clariores et manifeſtiores, communi tandem voce deſideratum eſt concilium, licet diverſa intentione, a Caeſare, Antiſtitibus Germaniae, ipſis quoque Proteſtantibus. Curia autem Romana quidem ab eo non abhorrebat, modo autoritas Papalis nihil detrimenti pateretur, et omnia ad nutum ejus dirigerentur. Sed varia concurrebant, ut Conſtantienſis et Baſileenſis Synodi, perturbatus Eccleſiae, et orbis Chriſtiani, ſtatus, denique abuſus in omnium oculos incurrentes, quae metum injiciebant haud vanum, fore, ut ſedi Papali aliquid vulneris infligeretur. Quare diu tergiverſati ſunt Papae, maxime cum animadverterent, ejuſmodi a Caeſare peti concilium, quod, Proteſtantibus aliquid concedendo, viam ſterneret ad unionem. Clemens vero VII. proteum hac in re egit, nunc pronam oſtentando voluntatem ad Synodum habendam, nunc loca proponendo, quae omnibus partibus non placitura praevidebat, nunc diſſuadendo rurſus; ſicut in colloquio Bononienſe cum Carolo V. fecit, a. 1529., cujus diſſuaſionis rationes exhibet Polanus; haurienda vero colloquii notitia eſt ex tomo V. *declamationum* Melanchthonis. Denique ſub finem vitae a. 1533., ſcriptis ad Franciſcum I. litteris, ſe concilii convocationem in animo habere declaravit. Eo vero mortuo, rem ſerio adgreſſus eſt Paulus III. cum concilium amplius vitari non poſſe cerneret, ſimul metueret, ne Principes, ſine ſuo conſenſu, res Eccleſiaſticas tractare pergerent; quod ex ipſa Papae bulla

haud obscure elucescit. Venit itaque eo Papa, non sponte, sed coactus. Indixit Synodum Mantuae, cui cum se Fredericus, Dux Mantuae, opponeret, saltem ut praetendit Papa, Vicentiam elegit locum Synodi a. 1537. Nonnulla ad historiam horum conciliorum pertinentia reperiuntur in Biblioth. Bremensi class. VIII., ubi etiam class. V. exstant litterae Angliae Regis, et Parlamenti, de hoc Papae proposito, quibus illud acerbe perstringitur. Denique, cum novae emergerent difficultates, Synodum tandem indixit *Tridenti* a. 1542., edito diplomate, quo sequentes Synodi celebrandae recenset causas, 1. fidei firmationem 2. morum reformationem 3. Principum, et populorum, Christianorum unionem, et barbarorum ac infidelium propulsationem. Pontificiis quidem illud fuit ad palatum, sed non Protestantibus, qui liberum volebant concilium, nec a Papa coactum, nec in urbe ei subjecta. Dilata nihilominus est Synodus, propter varia obstacula, usque ad a. 1545., quo die 13*tio* Decembr. prima fuit habita sessio. Sed nec sine interruptione, nec uno eodemque in loco, continuavit.

§. DLV. Coepit *Tridenti*, quae Rhaetiae est urbs, sub clientela Inperatoris, tanquam Comitis Tiroli, Episcopus vero inmediate subest Papae, et octo primae sessiones habitae sunt, quando a. 1547. inde, ob morbum contagiosum, ut praetendebatur, verius ut Papae, ejusque directioni, melius consuleretur, translata est, autoritate Papae per Legatos, consensu plurimorum Synodi suffragiorum, *Bononiam*, ubi tres fuerunt sessiones, in quibus nihil fere actum est, quia nec Caesari, nec Hispanis Episcopis, placuit translatio. Oratores quoque Caesaris contra eam protestati sunt, et Episcopi illi manserunt Tridenti. Quo Paulus motus suspendit concilium, et Tridentinos aeque ac Bononienses *Romam* evocavit, ad Ecclesiae disciplinam ordinandam. Quo in statu res mansit ad obitum Pauli III. usque. Julius III., successor ejus, ut Caesari satisfaceret, et juramentum, quod recens electus fecerat, praestaret, revocavit *Tridentum*, diplomate

plomate a. 1550. publicato: noluit tamen, licet instaret Caesar, *continuationis* voce uti, ne legitimae translationi aliquid crearetur praejudicii; quare verba *resumere* et *prosequi* adhibuit, ita tamen, ut superioris Synodi decretis robur suum constaret, et ejusdem concilii continuatio, non novi indictio, intelligeretur. Resumta itaque Synodo Tridentina a. 1551. quinque sessiones sunt habitae, XII—XVI., quando rursus est suspensa, secundum plurima suffragia a. 1552., ob belli tempestatem. Rationes pro suspensione, et contra eam, exhibet Vargas in epistolis, qui scopum et artificia Papae quoque exposuit. Processit autem suspensio ob bellum Mauritianum. Decreta quidem ea erat, ad *biennium* tantum, sed ob Principum Christianorum discordias duravit per *decennium*, quando Pius IV. Synodum revocavit Tridentum, diplomate dato a. 1560. Qua ratione redintegrata est a. 1562., et novem ultimae sessiones habitae sunt, totumque concilium, viginti quinque sessiones complexum, est absolutum a. 1563. Ceterum historiam ejus sub Julio illustrant litterae Vargae, et Malvendae, sub Pio vero Thuanus enarravit; quae narratio in pluribus ejus editionibus desideratur, sed ad calcem Heideggeri in *anatome*, supra memorata, exstat.

§. DLVI. Quod ad *membra et modum* agendi adtinet; tres praesederunt Cardinales, et Papae Legati, tempore Pauli III., Johannes Maria de Monte, postea Julius III. Papa, qui totum direxit negotium, Marcellus Cervinus, postea Marcellus II. Papa, et Reginaldus Polus. Sub Julio III. Praesides fuerunt Marcellus Crescentius, legatus Apostolicus, et inperiosus Synodi dominator, et Aloysius Lippomannus, Veronensis Archiepiscopus. Denique sub Pio IV. praesidium tenuit Hercules Gonzaga, Cardinalis Mantuanus, eoque mortuo Johannes Moronus, Cardinalis, cum quinque aliis Apostolicis de latere legatis. Johannnis Moroni vitam, et Lutheranismi suspicionem, quam incurrit, ac capita accusationum exhibet Schelhorn. amoenit. Litterar. tom. XII.

 Reliqua

Reliqua membra fuerunt in principio parvo numero, non ſupra 25 Epiſcopos, dein magno, Regum et Principum oratores, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, et religioſorum Ordinum Praefecti. Ex Praelatis vero ſoli Itali adfuerunt 187, cum reliquae nationes unum, duos, tres, ad ſummum, ut Hiſpania, 31, habuerint praeſentes. Gallicani denique Epiſcopi Synodo ſub Julio non interfuerunt, Rege prohibente cauſa belli, quod cum Carolo V. et Julio confoederatis gerebat: ſed ſub Pio adfuerunt, quando ſuperiora decreta ſunt confirmata omnia. Nulli ex Proteſtantibus, licet dicis cauſa fuerint a Pio invitati, comparuerunt, quippe qui, Synodum non fore liberam, ſed Papae ſpiritum in ea dominaturum eſſe, facile praeviderunt. Nec Papa, ejuſque adſeclae, eorum praeſentiam ſincere voluerunt, veriti ne nimis libere loquerentur: quare ſalvum conductum, qualem petierunt Proteſtantes, dare recuſarunt. Tandem tamen admiſſi ſunt legati eorum et auditi a. 1552. Vid. epiſtolae Vargae. Ceterum, quod non erat negligendum, Epiſcopi fuerunt longe maximam partem vel inperiti, vel penſiones a Papa habebant; de centum vix viginti in Theologicis verſati erant. Doctores Germani quidem peritiores erant, ſed orationibus et diſputationibus tempus adeo triverunt, ut reliqua praecipitanter fuerint acta: Theologi ad canones formandos, aut doctrinam definiendam, nunquam fuerunt vocati. Epiſcopi dixerunt *placet*, licet quid propoſitum fuerit ſaepe ignorarint. Quae ex Epiſtolis Vargae ſatis conſtant.

§. DLVII. Synodus in ternos coetus particulares, ut de modo, et *proceſſu*, adcuratius exponam, diſtributa fuit, in trium Legatorum aedibus habendos, in quibus res decernendae primum proponebantur, et diſcutiebantur, et canones praeformabantur, quando in generali Patrum univerſorum congregatione revidebantur, et concludebantur. Quo facto, in publicis et ſolennibus ſeſſionibus, magna cum pompa, confirmabantur ſingulorum ſuffragiis; ut omnium

conſenſus

consensus ad externam speciem adpareret. Episcopi autem ad singulares illos coetus electi sunt, qui Legatis maxime erant devoti, mox ipsi Legati una conveniebant et deliberabant. Instituti autem sunt coetus illi, ut Synodum secundum sua placita facilius dirigere possent Legati, turbae praeveniantur, et ne quis eloquentia sua praevaleret, ac animos divideret. Duplex porro fuit in initio disceptatio et concertatio, una de titulo Synodi, altera, num a dogmatum definitione, an morum reformatione, auspicia essent sumenda. Titulo in principio proposito, *Sacro-Sancta Synodus*, Episcopi addendum esse urserunt, *universalem repraesentans Ecclesiam*, a quo Legati, et quotquot Papae erant devoti, abhorruerunt, quod Synodus ea ratione videretur Papis praeferri. Res eo tandem est adducta, ut per singulas sessiones scriberetur in actis: *Sacro sancta oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu S. legitime congregata, praesidentibus in ea Apostolicae sedis Legatis* etc. Quod ad *posterius* adtinet, Legati, et qui illis adhaerebant, prius de *fide*, dein, decretis illis absolutis, de *moribus* esse agendum, contenderunt, hoc scilicet scopo, ut morum reformatio eluderetur; sed a moribus esse ordiendum voluerunt Episcopi Caesaris, ut haereticis, in abusus maxime declamantibus, os occluderetur. Quaenam vero reformanda censuerint Germani Catholico-Romani, et Ferdinandi Caesaris Oratores, exhibet Schelhorn amoenit. hist. Eccles. tom. I. Conclusum denique est, ut fidei et reformationis tractatio conjungeretur. In quo Papa, qui Legatis dederat in mandatis, ut res fidei praecederet, tandem coactus est acquiescere. Hoc itaque ordine singulae materiae pertractatae sunt.

§. DLVIII. In specie adverti velim, omnia in Synodo fuisse ad nutum, et secundum arbitrium Papae, peracta per Legatos, qui duplicis generis instructiones habebant, alteras publicas, quas concilio ostendere poterant, alteras arcanas, quas sibi reservabant. Unde facile elucescit, litteras in Vaticana Bibliotheca adservatas, et a Pallavicino pro-

ductas, esse suspectissimas, cum, eas comprehendere publicas instructiones, sit probabile. Praeterquam quod Italorum fuerit inmensa multitudo, et continuae fuerint ad Synodum missae instructiones Papales 1. Legati sibi adrogarunt potestatem decidendi pro arbitrio, subinde etiam contra majora vota, saepe etiam oblocutionibus, blanditiis, aliisque artibus, votorum libertatem inpediendi. 2. Suffragiorum tempus prolongarunt, vel contraxerunt, nonnunquam ad ultimas horas protraxerunt, ut brevitate temporis dissentientes vel exclusi fuerint, vel confusi. 3. Rerum quoque proponendarum arbitrium ad se traxerunt, suffragii praerogativa gavisi sunt, ipsis quoque autoribus omnia sunt decreta. Quare haec formula fuit usitata, *proponentibus Legatis*. Unde populare natum est dicterium, *Spiritum S. Roma Tridentum in mantica deferri*. 4. Accedit occulta Julii cum Carolo V. pactio, qua Caesar promisit, se curaturum, ne reformatio ultra Papae voluntatem urgeatur, teste Varga l. cit. p. 76. Caesarem sese ad placita Papae adcommodasse, haud obscure ex epistola, quae ibid. p. 197. occurrit, elucescit. 5. Denique ministri, Secretarius et Notarii, fuerunt e domesticis et familiaribus Legatorum electi, qui nihil in acta retulerunt, nisi quae Dominis suis placere noverant; teste Varga l. cit. p. 78. Quae omnia ex citatis epistolis facile constant.

§. DLIX. Religio, fides, et disciplina Pontificia, ut sese adhuc habet, cum hic fuerit definita, et sub anathemate sancita, in specie contra Protestantes, quorum dogmata hic damnata sunt, eaque omnia ex institutionibus Theologicis satis nota sint, de *actis* et *decretis* Synodi non est quod pluribus agam; quare sessiones, et earum decreta, recensuisse suffecerit, cum religionis, et fidei, tum reformationis respectu. Sessione IV*ta* doctrina Catholico-Romana de Scriptura et traditionibus, aequali pietatis ac reverentiae adfectu recipiendis, de versione Vulgata sola authentica, de Scriptura Patrum, ac Ecclesiae, consensui convenienter interpretanda, fuitdefinita. Sessione V*ta* ejus Ecclesiae doc-

trina de peccato originali, et baptiſmo illud tollente, eſt ſancita, abſque ut de natura iſtius peccati, de modo propagationis, aut inmaculata conceptione Mariae, canon ſit cuſus: quaeſtionibus illis prudenter in medio relictis. Seſſio VI. fidem de juſtificatione, et certitudine gratiae ac ſalutis, determinavit, rejectis opinionibus contrariis. VII. comprehendit doctrinam de baptiſmo et confirmatione, et VIII. de euchariſtia. XIV. de poenitentia et extrema unctione, dein XXI. de communione ſub una vel utraque ſpecie, ac parvulorum, et XXII. de Miſſa, qua in ſeſſione articulus de calice nonnullis in caſibus concedendo Laicis, et non adminiſtrantibus ſacerdotibus, nec ne, judicio Papae eſt reſervatus. Seſſio XXIII. Sacramentum Ordinis definivit, ſed de Romani Pontificis autoritate nihil eſt ſtatutum. Seſſio XXIV. agit de matrimonio, et XXV. de purgatorio, invocatione, veneratione, et reliquiis ſanctorum, de ſacris imaginibus, ut et indulgentiis. Confirmatae quoque ſunt conſuetudines, ac ſanctiones Eccleſiae de ciborum delectu, jejuniis, et feſtis: de indice librorum prohibitorum, de catechiſmo, breviario, et miſſali, formatum quoque eſt decretum.

§. DLX. Praeter haec dogmatica et religioſa condita ſunt nonnulla, ſpeciem reformationis praeferentia, ſed cum hac clauſula, *ut in his ſalva ſemper autoritas ſedis Apoſtolicae et ſit, et eſſe intelligatur.* Sunt autem praecipua decreta, de lectione Scripturae in Eccleſiis, de concionibus habendis ab Epiſcopis, vel viris idoneis vice eorum, ſi legitime ſint praepediti; de Praelatorum et Clericorum reſidentia et manſione, de pluralitate beneficiorum, juriſdictione Epiſcoporum, et adpellationibus, aliiſque ſimilibus rebus, ad diſciplinam ſpectantibns. De morum emendatione nihil eſt concluſum. Declamarunt quidem nonnulli in aulae Romanae et cleri corruptionem, ſed ſine effectu. Inter alios, quod notatu dignum eſt, Nicolaus Pſaulmius, cujus vitam nuper dedit Hugo in *S. antiquitatis monumentis* tom. I. in praefa-

 tione,

tione, ubi ejus *medullam votorum concilii Tridentini* recenset. Episcopus Verdunensis, cum in aulam Romanam libere inveheretur, Sebastianus Vanzius, Urbevetanus Antistes, ad proximos conversus, dixit, *nimium cantat is Gallus*; quo audito, Petrus Danesius, Episcopus Vaviensis, regessit opportune et acute, *utinam ad hujus galli cantum excitaretur Petrus, et fleret amare.* Quod praeter Thuanum in adpendice *anatomes* Heideggeri, ipse refert Pallavicinus. Molimina denique Synodi in jura Inperatorum et Regum retardarunt Ferdinandus Inperator, et Carolus IX. Rex Galliarum: quare articuli de reformatione Principum, licet propositi, nec admissi nec decreti sunt.

§. DLXI. Haec est famigeratissima Synodus Tridentina, a Pio IV., edito diplomate, *Benedictus Deus*, a. 1564., confirmata, a Catholico-Romanis pro *universali* habita; ac promulgata in Germaniae regionibus, et provinciis Austriacis, in Hispania, Sicilia, reliquisque Catholici Regis ditionibus, in Lusitania, Polonia, Venetiis, et primariis regnorum Catholicorum Ecclesiis, absque tamen, ut regiminis et disciplinae respectu fuerit ab omnibus recepta; fuit enim in plurimis regionibus seposita: ut fuse deduxit Giannone hist. Neapolit. l. XXXIII. In Regno Gallicano, etsi Clerus ibi saepe supplicaverit Regi, ut Synodus admitteretur, et promulgaretur, imo, se eam recipere, salvis Ecclesiae Gallicanae libertatibus, professus sit a. 1615 , nondum tamen publice adoptata est. Cujus rei inpedimentum non est situm in fide, sed articulis regiminis et disciplinae, libertatibus et juribus Gallicanis adversis. Vid. *Apologia Catholica* etc. in *amoenit. hist. Eccles.* Schelhorni tom. I., ubi praecipua exhibentur capita, Regno Galliae minus consona. Ceterum haec Synodus, sicut religionem Pontificiam, et autoritatem Papalem, firmam reddidit et inconcussam in posterum, quod infelix est omnium ejusmodi Synodorum fatum, ita invincibile praebuit reformationi obstaculum, et Ecclesias reformatas a Catholico-Romana separavit in perpetuum.

§. DLXII.

§. DLXII. Proteſtantes vero concilium negarunt eſſe legitimum, et jam hoc ipſo tempore graviſſimas publicarunt rationes, quare coram eo comparere, et ſe ei ſubjicere, non poſſint; quae omnem merentur animadverſionem, licet multae in omnes ejuſmodi Synodos arietent. Legenda ſunt *oppoſita gravamina* Electorum, Principum, et Ordinum Inperii, a L. Tuppio ex Germanica lingua in Latinam verſa, et a. 1565. edita. Sunt autem rationes ſequentes. 1. Synodus a Papa, eoque adverſario, convocata, nequit haberi *legitima* 2. Locus eſt incommodus et intutus 3. non eſt Oecumenica, ſed Pontificia, ubi etiam ſoli Praelati et Clerici, nulli Laici, vota habent. nec ex omnibus orbis Chriſtiani Eccleſiis adſunt praeſentes. 4 Nec libera, ſed ſerva et obnoxia, ubi vota non feruntur libere, nec liberae, ſed ſacramento Papis obſtrictae, perſonae ſedent, quaeque jam ante damnarunt Proteſtantium doctrinas, et partes ſunt adverſae ac hoſtiles. 5. Nequidem *Chriſtiana*, cum quod ſola Scriptura non fuerit judicii norma, tum vota non ponderentur, ſed numerentur, ſecus ac in Chriſtiano concilio fieri oporteat, in quo vel unus prae reliquis valet, ſi Scripturae conſentiat, nec aliquis votum habere debet, qui non e Scriptura demonſtrat. 6. Curia Romana tota eſt corrupta, Simoniaca, adeoque non audienda. 7. etiam haeretica, quod verae et falſae doctrinae antitheſi prolixe adſeritur, idololatrico ejus cultu, ſuperſtitione, tyrannide, ceteriſque Paparum flagitiis, in lucem productis 8. decreta Synodi, ſuperioribus ſeſſionibus, ante haec gravamina edita, cuſa plena ſunt errorum, et inpietatis: quod per partes demonſtratur. 9. Papalia concilia nunquam non pernicioſos habuerunt effectus. 10. denique Papa cum ſociis fidei tyrannice egit, et agit. Legi etiam hanc in rem meretur libellus, docte conſcriptus, cui titulus, *examen Concilii Tridentini*: cujus autor eſt Innocentius Gentilletus, ICtus Delphinas a. 1589., ubi hiſtoria inmiſcetur, per ſingulos canones et ſeſſiones itur, et antiquis canonibus adverſari probatur, deni-

que nullitas Synodi variis demonſtratur rationibus. Nonnulla etiam notanda adfert Schelhorn. amoenit. hiſt. Eccleſ. tom. I., ubi Palearii epiſtolam de hoc concilio ineditam quoque recenſet.

§. DLXIII. Praeter hanc Synodum, ſic dictam univerſalem, et ultimam, multae quidem aliae ſunt celebratae, cum ante eam, ad fideles Catholicos muniendos contra Proteſtantes, tum poſt eam, ad decreta Tridentina firmanda, et executioni mandanda; utriuſque etiam generis, ante et poſt, ad diſciplinarum et morum ordinationem: ſed quas recenſuiſſe nihil adtinet. Pergendum itaque foret ad *diſciplinam* Eccleſiae enarrandam; ſed cum illa nihil ſingulare habeat, et tyrannidis Antichriſtianae ſpecimina in hiſtoria Reformationis et Waldenſium ſuis locis occurrent oppido multa, et atrocia, nec hic moras trahere neceſſe eſt. Paucis tantum Tribunalis Inquiſitionis hiſtoriam pertexam. Prodiit, ut illud ante obiter obſervem, a. 1519. ſcriptum ſatyricum, quo Inquiſitorum praxis admodum jocoſe adumbrata eſt, ſtilo *obſcurorum virorum* delineata. Exſtat in *faſciculo rer. expetend. et fugiend.* tom. II. Ferdinandus, Rex Hiſpaniae, cum ſacrum tribunal per omnia Hiſpaniae regna promoviſſet, illud in regnum Neapolitanum, quo plures Judaeorum, metu Inquiſitionis Hiſpanicae, confugerant, introducere conatus, effectui, propter multas obortas difficultates, dare non potuit a. 1504. Nec felicior in eo fuit Carolus V., qui idem tentavit a. 1547., populo furioſe reſiſtente, nec ipſo Papa Paulo III. probante. Rex enim Inquiſitionem voluit, ſupremo Senatui Inquiſitionis Hiſpanicae ſubjectam, Curia vero Romana ſibi obnoxiam, quia regimen Neapolitanum penes Papam eſt. Manſit itaque illud Regnum ab Inquiſitione ſemper liberum. Judaeis ex Hiſpania in Luſitaniam profugis, ibi bene receptis, ac valde multiplicatis, Rex Johannes III., ut huic rei obicem poneret, Tribunal quoque in regnum ſuum voluit introductum, a. 1521., nec tamen a Papa, Judaeis vehementer

reluctantibus,

reluctantibus, obtinere ante a. 1531. potuit; sed ne tunc quidem in omni forma, Judaeis suspensionem tribunalis a Papis obtinentibus. Tandem tamen sub Paulo III., instantiis Regis permoto, firmam ibi accepit sedem a. 1536. Primo Inquisitore generali facto Didaco de Sylva, Franciscano, et Regi a confessionibus. Vid. Limburg. hist. Inquisit. l. I.

§. DLXIV. Reformatione per Germaniam et Galliam vires acquirente, Inquisitio, quae diu obsoleverat, renovata est primum in Germania, dein in Galliam invecta, occasione Synodi Provincialis a. 1528. ab Archiepiscopo Senonensi, Galliarum Primate, et Franciae Cancellario, Antonio a Prato Cardinali, celebratae, a qua antiqui contra haereticos canones, et leges inquisitionis, in illis tribunalibus usitatae, renovatae sunt. Ab eo enim tempore viguit denuo in Gallia Inquisitio, selectis quoque Inquisitoribus a Francisco I. Galliae Rege. Sed dein rursus evanuit, libertate religionis ibi concessa Reformatis. Vidit quoque Inquisitionem in medio sui stabilitam jam a. 1524. Belgium, Inquisitoribus constitutis Francisco Hulsto, et Nicolao Egmondano, Carmelita: de quorum saevitia acerbe conqueritur Erasmus in epistolis, eo anno scriptis. Sed eam a. 1549. palam introducere conatus est Carolus V. ad formam Hispanicae: unde gravissimi sunt orti motus: ut postea narrabo suo loco. Commendavit quoque eam in Hispania Carolus in testamento suo Philippo II., qui strenue etiam executus est; uti constat; non tam ex innata indolis saevitia, quam superstitiosa devotione. Narrat utique Strada *de bello belgico*, eum, *humi prostratum*, *coram Crucifixi imagine*, in haec verba precatum fuisse. *Ego vero Divinam Majestatem oro*, *ut mihi mentem perpetuam velit*, *ne illorum*, *qui Te Dominum respuerint*, *uspiam esse me aut dici Dominum acquiescam*. Accessit, Theologos Regibus persuasisse Hispanicis haereticos esse regni Austriaci hostes, nec salvam eorum posse esse coronam, sine Inquisitionis tribunali, sicut Paulus V. Papa In-

quiſitoribus erat ſolitus dicere; *illorum opera ſibi Pontificiam adſciri tiaram:* ut Leonardus Vellius Jeſuita refert in epiſt. ad Caeſarem Carenam, tractatui hujus de *ſanctiſſimae inquiſitionis officio* praefixa. Exerceri quoque ſevere in Hiſpania fecit Inquiſitionem, ſicut antea in Mauros et Judaeos, ita nunc in haereticos. Statim enim ac in Hiſpaniam venit, *actus fidei*, ut adpellatur, habitus eſt Hiſpali ac Pinciae, multique ſunt combuſti, in ſpecie Pinciae viginti octo ex praecipua regionis nobilitate, ipſo Rege inſpectante a. 1559. ut tradit Thuanus. Imo ipſe Archiepiſcopus Toletanus, Barthol. Caranza, Vir eruditionis et probitatis laude conſpicuus, in carcerem conjectus, et vectigalibus ſuis privatus eſt: cujus cauſa poſtea eſt Romae tractata a Gregorio XIII., ut ſupra narravi. Eo uſque etiam furibundus Regis zelus proceſſit, ut copiis navalibus addiderit Inquiſitorem a. 1571. Hieronymum Manrique, qui publicam fidei actionem habuit in urbe Meſſana, multis varia poena adfectis. Quam Inquiſitionis in bellis navalibus inſtitutionem confirmavit Pius V. edito diplomate. Denique extra Europam in Fortunatas Inſulas, ac Americam, horrendum hoc tribunal invexit, erexitque, in Provincia ſcilicet Peruana Limae, et in Mexicana in urbe Mexico a. 1571.

## VITA ET MORES.

§. DLXV. Miſſo Ordine Clericorum regularium *Theatinorum*, quem condidit Johannes Petrus Caraffa, Epiſcopus Theatinus, in Regno Neapolitano a. 1524., poſtea Papa Paulus IV., cujus inſtitutum fuit, religionis vim renovare, conciones reformare, aegrotos conſolari, et adjuvare, haereticos oppugnare, denique, nec aliquid proprii poſſidere, nec mendicare, ſed ab aliorum liberalitate unice pendere, miſſis, et aliis ſimilibus Ordinibus, bene multis: duo in primis Ordines noſtram merentur animadverſionem, Capucinorum ſcilicet et Jeſuitarum. *Capucini*, de quorum

ordine vid. Zacharias Boverius Salutienſis, qui eorum *Annales* ſcripſit, a longis *caputiis*, ſeu cucullis, quibus uſi ſunt quadratis, cum prolixa barba, ſic dicti, eaque ratione, et vita auſteriore, a reliquis Franciſcanis diſtincti, congregationem *Minorum* Eremitarum conſtituentes, in initio Provincialium Conventualium, ſeu *Minorum obſervantium*, Generali ſubjecti fuerunt, et confirmati a Clemente VII. a. 1528., dein ſub regimine proprii Vicarii Generalis, ſed a magiſtro Generali Conventualium Franciſcanorum inſtituendi, confirmationem nacti ſunt a Paulo III. a. 1535., ſub nomine Fratrum Minorum *Capucinorum*, denique multis a variis Papis ornati privilegiis, cum poteſtate proprii miniſtri Generalis eligendi; ſeſeque ſedis Papalis eximios praeſtiterunt ſtatores. Autor ab aliis traditur Bernardus Ochinus, ab aliis Matthaeus de Baſſio, ex Umbria oriundus, denique ab aliis Gottfridus Varaglius Buſcanus, Pedemontanus, qui etiam fuit Ordinis Generalis, ſed poſtea Reformatis ſe adjunxit, et martyrio fidem obſignavit, Taurini combuſtus, a. 1557. Vid. hiſtoria *Reformationis Galliae* lib. I.

§. DLXVI. Autor Ordinis *Jeſuitarum*, de quo prolixior eſt inſtituenda narratio, *Ignatius de Loyola*, a quo ordior, filius Bertrandi Domini Ognis Loyolae, in Vetere Cantabria, verſus montes Pyrenaeos, natus a. 1491., cum adoleviſſet militiae adſcriptus vitam degit libidinoſam et inprobam, ſed Gallis in Navarrae regnum a. 1521. irruentibus, Pampelonam urbem defenſurus, in crure et manibus graviter vulneratus, et captus, incidit in libros *vitae Chriſti, et florum ſanctorum*, indeque ſerium vitae emendandae hauſit propoſitum. Cum vero litterarum eſſet rudis, et verae ſanctitatis ignarus, omnem ſanctitatem, et officii perfectionem, in vitae aſperitate, ac voluntaria corporis adflictione, poſuit, eruditus ex ſanctorum legendis, et viſionibus, ut imaginatione deluſus ſibi videbatur, coeleſtibus, in primis Mariae Virginis, cui ſeſe maxime coepit devovere. Virginis enim fanum in Mont-ferrato petens corpus flagellis per

plures noctes verberavit, seseque perpetuae castitatis voto obstrinxit, obtinuitque, Virginis, ut fertur, munere, perfectam inmunitatem ab omni libidinosa titillatione ad mortem usque. Quando, sparteis sumtis, calceis, lacera de sacco tunica vestitus, cum fune loco balthei, claudus pede, baculo innixus, cum cucurbita ad aquae usum, gladio, et pugione, Mariae dedicato, peregrinari coepit. In oppidum Minoressam cum venisset, egenorum et sordidorum hominum electo consortio, victum emendicavit ostiatim, seseque jejuniis, flagellis, aliisque devotionis ejus temporis exercitiis, adeo maceravit, ut omnem vigorem, ac virilis juventae formam, perdiderit: quare hunc excessum postea deposuit, commodiore electa vivendi ratione. Meruisse interea tanta devotione dicitur revelationes divinas, adeo ut de ignaro factus fuerit momento temporis divinarum rerum peritissimus. Vidit enim, ut putatur, in ecstasi adorandum Trinitatis mysterium, et modum, quo Deus creavit mundum, imo, quod magis adhuc superstitiosum est, in elevata hostia Christum Deum et hominem. Sumsit itaque ab eo tempore personam Doctoris et Concionatoris, et habitu quoque honestiore usus inter homines versari coepit. Imo librum de *Spiritualibus exercitiis* scripsit, editum lingua Hispanica a. 1548., dein Latine versum ab Andrea Frusio, Maria usus adjutrice et Magistra. In quo tamen libro hoc bene se habet, quod nihil in eo occurrat de sanctis, meritis propriis, aut indulgentiis, nonnullae etiam utiles praescribantur meditationes spirituales: sed cetera plenus est superstitionis, et haud male conscientiarum carnificina dicitur. Suscepta dein peregrinatione Hierosolymitana, propositum Turcas convertendi sumsit quidem, sed difficultate operis, et inhumanitate Monachorum Hierosolymitanorum absterritus, ei renunciavit.

§. DLXVII. Inde redux, instituta deliberatione, cum vasta animo concepisset molimina, sese ad litteras addiscendas contulit, ipse ille, qui a Deo se jactaverat edoctum.

Tradidit

Tradidit itaque ſeſe in ſcholarem diſciplinam Ludimagiſtro Ardebalo Barcinone, triginta tres annos jam natus, per biennium, indeque Academiam petiit Complutenſem, et phyſica ex Heberto, Theologica ex Magiſtro ſententiarum didicit. Cum autem, ſociis adſcitis, pueros informare, et quoſcunque ad pietatis ſtudium publice incitare, in popinis et circulis concionatus, non ceſſaret, incidit in ſuſpicionem Lutheraniſmi, et ſectae illuminatorum, ac ad Inquiſitionis tribunal raptus eſt. Unde brevi poſt liberatus, ſed veſtem, quam ex panno laneo, nondum tincto, gerebat cum ſociis, deponere coactus, ſex menſes poſt, cum a concionando non abſtineret, in eaſdem iterum incidit manus, et carceri mancipatus eſt: denuo tamen dimiſſus, ſub conditione, ut concionibus valediceret, et, ſcholaſtico ſumto habitu, quadriennium ſtudiis Theologicis inpenderet. Quibus neglectis, inde cum ſociis Salmanticam diſceſſit, et docendi munus continuavit. Quare in ſqualidum conjectus carcerem, ſed brevi liberatus eſt, accepta etiam poteſtate docendi populum, modo Theologica ſibi non ſumeret definire. Quarum moleſtiarum pertaeſus Lutetiam petiit, et Grammaticae rudimenta reſumſit, ab inſtituto tamen paupertatis et mendicitatis nihil remittens, tantum privatim, non publice, docens pietatem. Ex quo Philoſophiae per tres annos et dimidium operam dedit, et Magiſter creatus eſt, didicit quoque a Dominicanis Theologiam; iterum ad Inqniſitionem tractus, ſed mox dimiſſus.

§. DLXVIII. Jecit vero hic prima ſocietatis fundamenta, novem electis ſociis, inter quos Petrus Faber, Franciſcus Xaverius, Indica miſſione celebris, et Alfonſus Salmero, eminent, quibuſcum concepit votum a. 1534., cujus ſumma eſt, ſtudii Theologici continuatio, paupertas, peregrinatio Hieroſolymitana, infidelium converſio, et martyrii adfectatio: ſi autem peregrinatio non procedat, Pontifici opera addiceretur ad omnia. Quibus conſtitutis, ipſe, poſt iter in Hiſpaniam, ubi cum vita mendicante conciones

conjunxit, et instructiones, tetendit Venetias, quo socii etiam venerunt, a. 1537., ubi idem tenuit vitae institutum, adjunctis etiam vilissimis et sordidis ministeriis in Valetudinariis, ad usque leprosos, et Gallica lue infectos. Qui autem inter socios erant sacerdotes, missas administrarunt gratis; quorum in classem ipse Ignatius hoc tempore est relatus. Haud diu post Romam cum sociis profectus, et in itinere coelesti viso confirmatus, et animosior factus, sese in Papae gratiam insinuavit, et aliud vitae institutum, relicta infidelium conversione, et vili aegrotorum cura, adoptavit. Anno enim 1538. in Templis coeperunt concionari, sacras litteras publice profiteri, et catechesin habere vicatim, cum frequente confessionis et eucharistiae exercitio. Quando brevi post a Paulo III. Ordinis inpetravit confirmationem, eo in primis usus argumento plausibili, quod tempora, sedi Romanae periculosa per reformationem, indies ubique vires acquirentem, et monasticorum Ordinum inminutionem, vel corruptionem, Ordinem requirerent sedi Papali per omnia devotum, qui emendationis speciem praeferebat, et Verbi Dei praedicationes ac institutiones catecheticas gratis exercebat. Hac ratione confirmatus est Ordo, primum cum nonnullis limitationibus, et ad numerum sexaginta membrorum restrictus, a. 1540., sed dein sine illis a. 1543. Ipse Ignatius, a. 1541. Ordinis Generalis constitutus, Romae ab eo tempore moratus, et Judaeorum conversioni, ac foeminarum inprobae vitae emendandae incubuit, usque ad mortem; quae a. 1556. accidit. Post mortem est sanctis adscriptus a Paulo V. a. 1609., et canonizatus a Gregorio XV. a. 1622., die ipsius memoriae sacro constituto XXXI. Jul. In quem cum festum S. Germani incidat, et rixae essent in Gallia ortae, decretum est, ut narrat Heideggerus in *historia Papatus*, nescio quo fundamento, vel diem inter ipsos esse dividendum, vel Germanum relinquendum, ita ut anno Bissextili tantum eo die coleretur. Auxerunt dein ejus honores Papae Innocentius X.

et

et Clemens IX. Ceterum tres habiti ſunt in ejus laudem ſermones, tempore beatificationis ejus a Paulo V., qui acerrimam Sorbonae cenſuram meruerunt juſtiſſimam, cum Ignatius ſupra Moſen et Apoſtolos fuerit in patrandis miraculis evectus non tantum, ſed et effata de Chriſto ipſi adplicita, ut ex. gr. quod Heb. I. habetur, *noviſſime autem diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio ſuo Ignatio, quem conſtituit haeredem univerſorum.* Vitam ejus oppido multi concinnarunt, quorum celebriores ejus Ordinis ſunt Ribadaneira, Maffejus, Orlandinus et Bohours. Fuiſſe autem eum magnum fanaticum, egregie eſt evictum ab autore *Enthuſiaſmi Eccleſiae Romanae.* Vid. Clericus Bibl. Univerſ. a. 1688.

§. DLXIX. Regulae Societatis, ut ad Ordinis deſcriptionem veniam, quales poſt Synodum Tridentinam vulgatae ſunt, reperiuntur apud Hoſpinianum in hiſt. Jeſuitica, ubi legi poſſunt. Hiſtoriam Ordinis dedit accuratam, et prolixam, Elias Haſenmuller, ejus primum Ordinis, ſed dein acerrimus hoſtis; quam edidit Polyc. Lyſerus, addita praefatione, a. 1595. Nobis praecipua ſuffecerit notaſſe. Conſtat Ordo ex Generali et Profeſſis. *Generalis*, qui Romae reſidet, ſed ſine pompa, et privato ſimilis, ſoli ſubeſt Papae, et cum eo ſolo confert conſilia, habetque ſummum in totum Ordinem dominium, cui quatuor ex peritiſſimis adſiſtunt. De quo recte dici poteſt, quod etiam Generalis cuidam Gallo, ipſum inviſenti, dixiſſe fertur, ut narrat autor *pract. moral.* vol. I., *ex illo conclavi totum terrarum orbem, eo, quo nemo intelligit, modo gubernari.* Proxime vero Generali adſociati ſunt Praefecti Provinciarum, et Collegiorum Rectores. *Profeſſos* inter, qui omnes votis paupertatis, continentiae, et obedientiae ſunt adſtricti, aliqui ſunt honoratiores, qui *quarti* voti ſunt profeſſi, et lautius in domibus profeſſis habitant: quod quartum votum continet ſingulare obſequium Papae exhibendum, et qui eo vincti ſunt, fidei profeſſionem jurati praeſtare debent, quae totius religionis, ſicut in Synodo Tridentina definita eſt, animam continet.

Esse autem inter Jesuitici Ordinis viros, quibus conjugium contrahere licet, nonnulli quidem tradunt, sed sine ratione, et contra Jesuitarum protestationes. Praecipui Jesuitici Ordinis characteres sunt, Papae obsequium illimitatum, et coecum, propagatio religionis, sed Papisticae, subinde etiam pejoris, inter barbaros: de quo tot missiones Jesuiticae, mox memorandae, etiam testantur: praeterea litterarum, et scientiarum quarumcunque, indefessum studium, et denique haeresium exstirpatio quocunque modo, arte et Marte.

§. DLXX. Adcesserunt postea alii eorum characteres, et mores, quorum respectu illud dicterium ipsis adplicatur, *intus Nerones, extus Catones, toti horrenda monstra.* Vid. Heideggerus in hist. Papatus. 1. *Primus* est, Reges et Principes, si tyranni evaserint, a quocunque, et ubicunque, posse licite occidi: esse vero tyrannos, qui vel a Papa excommunicati sunt, vel Doctorum judicio, aut populi voce communi, pro talibus habentur, quod sint vel haeretici, vel iis faveant, iisve exterminandis operam non dent. Quam hypothesin in opinione de Regum a populo dependentia non tantum, sed in primis in haereticidio fundatam, publicam in lucem dedit Johannes Mariana, et Jesuitae adprobarunt, licet eam incrustent, ejusque publicationem nimis crudam damnent in speciem. Vid. Rivetus in *Jesuita vapulante* cap. 12. 2. *Secundus* continet *reservationes mentales*, seu *aequivocationes*, quibus, ad veritatem occultandam, aliud ore profertur, aliud pectore clausum tenetur. Quarum legitimum contendunt esse usum in judicio, confessionibus, etiam ipso juramento: si nimirum judex contra justitiam petat responsum, aut juramentum, sique religionis intersit, ut veritas occulta maneat: adeo ut in causis forensibus, seu secularibus, si judex juridice procedat, aequivocationes sint illicitae. 3. *Tertius* habet, opinionem probabilem esse sufficientem actionum moralium regulam: probabilem vero existimandam esse, quae vel unius doctoris autoritate, vel non modica ratione innititur. Quocum arcte cohaeret, bo-

nam

nam intentionem, ſive ad gloriam Dei, ſive ad commoda hominum, reſpiciat, peccatores a culpa excuſare et crimine. 4. *Quartus* diſtinctionem comprehendit, inter peccatum *Philoſophicum*, et *Theologicum*; quorum *illud* eſt actus humanus, repugnans naturae humanae, et rectae rationi, *hoc* vero, libera legis Divinae tranſgreſſio. Illud ab homine Dei ignorante committitur, vel de Deo actu non cogitante, nec peccatum mortale eſt, nec offenſam Dei, aut mortem aeternam, meretur. 5. *Quintus* ad *attritionis* doctrinam pertinet, habetque, dolorem, ex ſolo poenae metu ortum, modo voluntas peccandi abſit, et cum ſacramento abſolutionis conjunctum ſit, ſufficere ad juſtificationem, licet amore Dei, et omni actu dilectionis Dei, careat. 6. Hiſce addantur, hypotheſes α. de gratia interna, ejuſque neceſſitate, natura et efficacia, quam Jeſuitae ad liberum arbitrium, et vires in homine ſuperſtites, adcommodant, ſecundum doctrinam Ludovici Molinae, a. 1588. prolatam in libro de *concordia gratiae et liberi arbitrii*, β. de poteſtate Papae, quam Jeſuitae ſummam faciunt, et abſolutam, etiam infallibilem, nec in jure tantum, ſed et facto. De quo ſupra jam monui. γ. de ſacramentis, quae per ſe, et inſita virtute, operantur ſecundum Jeſuitas; ſumentium adfectione, et praeparatione, non neceſſario accedente. Alia mitto.

§. DLXXI. Quod ad Jeſuitarum *mores* adtinet, ut de illis aliquid addam, etſi per regulam ſuam adſtricti ſint paupertati, et humilitati, eamque etiam praetendant: moribus ſuis ab ea ſe multum alienos praeſtant, cum opum ſint, et divitiarum; ſicut inhiatores inſatiabiles, ita poſſeſſores ditiſſimi, negotiorum quoque aulicorum et politicorum adfectatores indefeſſi, ita ut ſumma fere orbis Pontificii gubernatio penes Ipſos ſit. In hiſce enim conſequendis, et retinendis, toti ſunt, nihilque tam ſacrum aut bonum, quod huic ſuae rapacitati, ac ambitioni, non offerant. Interea honeſtatis ac devotionis magnam praeferunt ſpeciem, artem ſimulandi ac diſſimulandi egregie callent, ſuntque in bonis

artibus et ftudiis promovendis infatigati. Quos Jefuitarum mores ipfi Catholici agnoverunt, publicarunt, et perftrinxerunt, uti inter alios hoc feculo fecit Antonius Majoragius, eximius Rhetor, cujus elogium exftat apud Thuanum a. 1555., quo mortuus eft. Ipfe cleri, in fpecie Jefuitarum, avaritiam falfe perftrinxit in Oratione, quam infcripfit, *Philochryfum*, five de *laudibus auri*. Initio feculi fequentis vivis coloribus Jefuitas depinxit *Hieronymus Baptifta de Nuza*, Dominicanus, Epifcopus Albari, in regno Arragonico, prophetiam quoque S. Hildegardis fec. XII., de *Monachis mendicantibus*, ad eos adplicans. Quales praeterea fefe inter Infideles in miffionibus fuis praeftiterint, ex multis ipforum Pontificiorum relationibus conftat. Vid. etiam Seckendorf. *Hift. Lutheranifmi* a. 1540. Denique quantopere regna turbaverint, civitatefque, et Ecclefiam, ipfam quoque Catholico-Romanam, bella fufcitando, Principes occidendo, haereticos perfequendo, lanienas efficiendo, ex eorum hiftoria fec. feq. nemini non notum eft.

§. DLXXII. De *progreffu et fatis* eorum longa inftitui poffet tractatio, fed a fcopo noftro aliena: quare duo notaffe contentus ero. *Unum* eft, Ordinem fuiffe per totum orbem Pontificium, per utrafque etiam Indias, incredibili fere modo propagatum, ita ut, fpatio 150 annorum, ad viginti millia excreverint, quorum maxima pars ftudiis exculta, facris initiata, et fcholis fere omnibus, fub Hierarchia Romana, praefecta eft, praeterea orbem diviferint in triginta fex provincias, quas Praepofiti, fub Generali Romae refidente, gubernant, denique plufquam octingenta collegia, eaque ampliffima et opulentiffima, habeant. *Alterum* eft, Ordinem ipfis Catholicis paffim effe odio. De quo Principum contra eos edicta, et multi adverfus eos fcripti libri, abunde teftantur. Magnam illorum copiam recenfuit jam Hottingerus hift. Ecclef. fec. XVI., ne alios memoram.

§. DLXXIII. De vitae et morum vero corruptione inter omnes

omnes hominum ordines, nec non miserrima Ecclesiae conditione, praecipue antequam reformatio vires acquisiverat, multa proferri possent testimonia, quae cum doctorum et piorum querelae, tum Comitiorum et Synodorum confessiones, tum reformationis desideria communia et publica, suppeditant; sed haec jam produxerunt Protestantes, ut Wolfius in *Lectionibus Memorab.*, et epistola nuncupatoria ad eas, *Catalogus* testium veritatis, Hottingerus hist. Eccles., et in tractatu de *necessitate Reformationis*, Seckendorf. hist. Lutheran. in principio, et quae ex Guttelio adfert a. 1522., alii; ita ut hic moras non necesse sit trahere. Exstat quoque in Scrinio Gerdesiano tom. VI. epistola G. Herveti, viri Docti et Catholici, ad A. Salmeronem, in qua Ecclesiae Romanae corruptela fuse describitur; notabilis etiam eam in rem oratio Francisci Pici ad Leonem X. et Synodum Lateranensem, apud autorem Paralipomen. Ursperg. a. 1517. Ignorantia utique, et studium Scripturae S., et scientiae salutaris neglectum, quin spretum, vanae disputationes, superstitio, hypocrisis, luxus, libido, avaritia, fraudes, ambitio, tyrannis, aliaque vitia et crimina, per totum Ecclesiae corpus grassata sunt.

## WALDENSES.

§. DLXXIV. Waldenses cum inter antiquos in Ecclesia Catholico-Romana fuerint haereticos, et singularia hoc seculo subierint fata, de tyrannide Antichristiana testantia, eorum historia hic videtur tradenda, pro ordine hucusque observato. Waldenses *Pedemontii et Delphinatus*, qui primi sese nobis offerunt, omnium antiquissimi, et reliquorum per orbem dispersorum origines, statum suum Christianum, et fidei et vitae respectu, per omnia tempora huc usque recte tuiti sunt, adeo ut hoc etiam adhuc seculo egregiis meruerint ornari testimoniis, ab ipsis Catholico Romanis: quae jam collegit Leger hist. Waldens. p. I. Verba Thua-

ni, insignis illius historici, quae a. 1550. reperiuntur, notabiliora sunt, quam ut ea silentio praeteream. *Observant*, inquit, *decalogi praecepta, quibus regula sancte et pie vivendi traditur, omnem a se, ac coetibus suis, iniquitatem eliminant, illicitas pejerationes, perjuria, diras inprecationes, contumelias, rixas, seditiones, crapulas, ebrietatem, scortationes, divinationes, sacrilegia, incantationes, furta, usuras, praestigias, et id genus alia, aversantur, ac toto pectore detestantur*: addit, lites, et controversias forenses, adeo ignotas fuisse inter ipsos, ut hoc demum seculo primus processus juridicus inter ipsos fuerit, a filio aliquo ditioris coloni suscitatus, qui studia juris excoluerat Taurini, suaeque scientiae experimentum dare gestiebat. Lites vero componi per arbitros solebant. Tempore Ludovici XII., Galliarum Regis, circa finem seculi praecedentis, cum a Zelotis Pontificiis ad regem essent delati tanquam venefici, incestuosi, et scelerati, Rex, ut veritatem exploraret, misit ad eos Adamum Finnaeum, Libellorum supplicum Magistrum, et M. Parvum, Ordinis Dominicani, confessionarium Regis, qui cum omnia inter eos adcurate perlustrassent, et ad Regem retulissent, is dixisse fertur, *et me, et cetero meo populo Catholico, homines isti meliores sunt.* Vid. Petri Wensenbacii Oratio de Waldensibus ad calcem Camerarii hist. Bohem. Hoc ipso seculo cum Senatus Aquensis horribile de illis exscindendis formaverat decretum, de quo mox, Franciscus I., Galliarum Rex, de eo certior factus, in mandatis dedit Gulielmo Bellaio Langejo, Proregi Taurini in Pedemontio, ut, quo in statu Merindolensium, et reliquorum Waldensium, res essent, sciscitaretur quam adcuratissime. Missi ab eo in Provinciam duo viri, probitate, integritate, et fide praestantes, retulerunt, *esse eos laboriosos, pacis et tranquillitatis studiosos, morum suavitate, confirmationeque singulari, nec non aequabilitate vitae, ac perpetuatione praeditos, dictorum conventorumque veritate et constantia commendabiles, mansuetos, beneficos, et omni parte probos, nec temere se ad jusjurandum*

*jurandum pati adigi, a ſermone etiam obſcoeno ac vitioſo ita abhorrere, ut quoties alicubi verſentur, ubi hoc fiebat, ſe ſtatim ſubmoverint.* Vid. *lugubris narratio*, de excidio Waldenſium ad calcem Camerarii l. cit. Confeſſus quoque eſt Philippus VII., Princeps Pedemontii, qui ſe ad eos perſequendos paſſus erat permoveri, cum finem bello inponeret, ſeculo praecedente, *ſe non habere tam bonos, fideles, et obſequioſos ſubditos, quam Waldenſes.* Vid. Perrin. hiſt. Waldenſ. c. 4. Ratio vero ſtatus tam praeclare conſervati quaerenda eſt, ſi cauſarum ſecundarum ratio habeatur, cum in diſciplina exacta, quam tenent, tum quod plerique longius ſint ab urbibus remoti, neglectoque commercio intenti ſint colendis agris et gregibus paſcendis. Quod Leger. l. cit. non neglexit obſervare.

§. DLXXV. Inficias tamen ire non licet, eos, licet fidei tenaces Chriſtianae, ſeſe praecedente jam ſeculo, metu Catholicorum, eos perſequentium, et continuo infeſtantium, aliquatenus adcommodaſſe Eccleſiae Catholicae, adeo ut a publica doctrinae ſuae profeſſione aliquandiu abſtinuerint, et ſacramenta ſua e manu ſacerdotum Eccleſiae Romanae acceperint. Cujus adſerti haud unum exſtat indicium; ut 1. in confeſſione cujuſdam Thomae Quoti apud Boſſuetum *Variationum hiſtor.* p. II. ex Mſſ. Bibliothecae Marchionis de Seignelai. 2. in Bohemorum fratrum hiſtoria, qui eam diſſimulationem ipſis ob oculos poſuerunt, et propterea cum ipſis in unam ſocietatem coaleſcere recuſarunt. De quo ex Camerario et Rudigero ſatis conſtat, et ſupra in Bohemorum hiſtoria expoſui. Vid. et hiſtoria *perſecutionis Bohemorum*, quae Comenium habet autorem cap. 20. 3. Accedit Legatorum Waldenſium ad Helvetios, Zuinglium, Oecolampadium, et Bucerum, propria confeſſio apud Aegid. Gillis hiſt. Wald. cap. 5. 4. Denique ad reformationem Waldenſium, poſt hanc legationem brevi factam a. 1532., hoc ipſum diſerte refertur, in poſterum eſſe vitandam omnem diſſimulationem, omneque commercium cum ritibus ſuperſtitioſis Pontificiorum. Vid. Gillis l. cit.

§. DLXXVI.

§. DLXXVI Nec haec tantum inter Waldenſes accidit mutatio, verum et alia, ad fidem, aliaque capita, pertinens, qua ad Proteſtantes Helvetios ac Genevenſes propius acceſſerunt. Miſſis enim ad eos Georgio Maurelo, et Petro Latomo, *Barbis* ipſorum (quae vox *avunculum* denotat) ſeu paſtoribus, viris peritis et probis, intellexerunt, ex eorum, et aliorum, poſtea miſſorum, relatione, nonnullis ſe infectos eſſe erroribus, in primis circa ſacramenta, juramentum, officiumque Magiſtratus. Quibus ut medelam adferrent, generale aliquod convocarunt concilium in Angrongia a. 1532., in quo ſequentes articuli, poſt inſtitutum examen, admiſſi, et dein a. 1533. confirmati ſunt. 1. Praedeſtinatos eſſe, qui ſalvantur, eoſque certo ſalvari 2. Praedeſtinationem et gratiam ab iis abnegari, qui liberum arbitrium in throno collocare volunt. 3. Bonum opus tantum eſſe, quod Deus praecepit, et malum, quod vetat, cetera eſſe indifferentia, quae licite aut omitti, aut obſervari, poſſunt, 4 juramentum in nomine Dei eſſe licitum 5. auricularem confeſſionem non eſſe a Deo praeceptam. 6. Die Dominico eſſe ab opere ceſſandum, rebuſque Divinis tantum vacandum. 7. Vindictam eſſe illicitam, at Magiſtratus officium eſſe legitimum et bonum, nec a Chriſtiano alienum 8. Jejunia non eſſe certis adligata temporibus 9. Conjugium eſſe cujuſcunque generis aut ſtatus hominibus licitum 10. Miniſtris Euangelii licere proprias habere poſſeſſiones etc. 11. Duo tantum dari ſacramenta, Baptiſmum, et S. Coenam. Vid. Gillis et Perrin l. cit. Circa hanc reformationem notandum eſt, 1. Capita illa, nunc definita, non fuiſſe antea inter eos ignota, ſed minus recepta tantum, et magis controverſa, 2. definitionem eorum non ſine diſſenſu, et aliqua diviſione, fuiſſe factam. 3. Inde cum Boſſueto l. cit. colligendum non eſſe, Waldenſes ab hoc demum tempore diſſentire coepiſſe ab Eccleſia Catholico-Romana in rebus fidei, fidemque ſuam a Proteſtantibus accepiſſe: quippe quo nihil falſius eſt, ut ex ſuperiorum ſeculorum hiſtoria manifeſtum eſt, et ſuo

loco

loco a nobis etiam demonſtratum. Illud tantum hinc cogi poteſt, Waldenſes adcuratiorem tantum in nonnuilis capitibus, minus principalibus, inſtructionem eſſe conſecutos a Proteſtantibus, quibus, quoad, ſummam doctrinae, conveniebant, quam ſemper et a longo tenuerant. Ipſi illi Legati Waldenſium in colloquio cum Oecolampadio, quod integrum repraeſentat Scultetus in Annalibus, a. 1530., ſtatum et fidem Eccleſiarum ſuarum exponentes, illud, quod dixi, ſuo teſtimonio confirmant.

§. DLXXVII. Cum autem Waldenſes ſeſe hac ratione magis palam oſtenderent, et cum Lutheranis, jam valde odioſis, confunderentur, ſimul valde eſſent, non obſtantibus continuis infeſtationibus, multiplicati. ita ut hoc tempore a. 1530., teſte Georgio Maurelo in *memoriis ſuis* apud Perrin, ſupra 800 millia eſſent, qui hanc religionem profitebantur: paſſi quoque ſunt majorem inpetum a Pontificiis, variaſque ſubierunt perſecutiones, ab Epiſcopis non tantum et Inquiſitoribus, ſed et aperto marte et bello. Cujus triſtiſſimae ſortis fuſior et adcurata notitia petenda eſt ex Perrino, Gillis, et Legero, ſupra citatis, brevior et generalior hic tradenda. Cum Carolus, Dux Sabaudiae, et Princeps Pedemontii, inſtigationibus Archiepiſcopi et Inquiſitoris Taurini compulſus, a. 1534. Waldenſium excidium, niſi ad religionem Catholicam redirent, demandaſſet Pentaleoni Breſſour, Domino communitatis Rocheplatte, ipſe, zelo quoque religionis inflammatus, a. 1535., quingentis ſtrenuiſſimis militibus ſtipatus, in Vallium regiones inproviſo irruit, obvios quoſcunque trucidavit, omneſque replevit terrore: ſed mox a Waldenſibus in unum coactis, et animos reſumentibus, adeo eſt exceptus, cum vallem Lucernenſem tentaret invadere, ut milites partim occiſi, partim fugati ſint. Quo Princeps ab invaſione aperta deterritus, et ad alia eos deſtruendi media compulſus, in eos inmiſit latrones, qui vias obſederunt, et quotquot capere poterant crudeliter necandos tradiderunt, abſque ut conſtantiam eo-

rum fregerint, aut voterum compotes facti fuerint hostes, Waldensibus e contra magis magisque multiplicatis.

§. DLXXVIII. Bello dein inter Regem Galliae Franciscum I., et Ducem Sabaudiae, orto, Pedemontio maximam partim a Rege Galliae occupato, Waldenses varias quidem, praeter communia belli mala, passi sunt molestias, sed spatio viginti annorum non adeo illis in regionibus infestati sunt causa religionis; nisi quod egregium suum Pastorem Martinum Gounin perdiderint, qui Geneva, ubi cum Protestantibus contulerat, redux a. 1536. in Delphinatu captus, et aquis suffocatus est. Confirmarunt itaque res suas, eoque fini curarunt, ut Biblia sacra, in linguam Gallicam per Petrum Robertum Olivetanum, a Calvino, cui conjunctus erat, adjutum, translata, in Helvetia fuerint inpressa, et inter fidei socios dispersa. Quae prima inter ipsos fuit Scriptura vernacula typis expressa, quae insignes ipsis adtulit fructus. Sed, dum in Vallibus aliqua essent halcyonia, tractati sunt admodum crudeliter in Provincia, terribili illa laniena exercita in *Merindolenses et Caprierenses*, vicosque vicinos, a. 1545. Quae valde notabilis est historia, digna quae paulo adcuratius narretur, petenda ex Sleidano a. 1545., Thuano a. 1550., et in primis ex *lugubri narratione* de excidio Waldensium et Albigensium, e monumentis Martyrum, ad calcem Camerarii histor. Bohem., et Wesenbachii Oratione de Wald. et Albig. ibid. Exstat quoque in *actis martyrum* Crispini lib. III. fusa et exacta hujus tragoediae narratio.

§. DLXXIX. Loca *Merindolii et Cabrieriae*, antea inhabitata et inculta, data jam fuerant ante 200 fere annos Vallensibus Pedemontii, emphiteusis, et perpetuae locationis, titulo; illique e Pedemontio in Provinciam profecti, sedibus ibi fixis, civitates ibi condiderunt, varios formarunt pagos, agros excoluerunt, et rem pecuariam exercuerunt, tanto cum successu, ut incolis non tantum regiones illas repleverint, sed et opibus ac proventibus ditarint. Quibus in locis cum satis tranquille longo tempore degissent, in

prae-

praesentissimum periculum atrocis persecutionis a furioso Clero conjecti, tempore Ludovici XII., Galliarum Regis, ejus jussu liberati, et in tutelam suscepti sunt, postquam de eorum innocentia, accurato instituto examine, informatus fuisset; uti supra notavi. Sed hoc seculo, regnante Francisco I., cum reformatio in Gallia vires acquisivisset, et Waldenses sese purius ac apertius in lucem dedissent, de quo modo dixi, varias passi sunt ab a. 1534. persecutiones, et dein horribili, et plus quam barbaricae, expositi sunt lanienae. Monachus aliquis Dominicanus, Johannes de Roma, inquisitionis potestate ab Episcopis, et Legato Avenionensi, inpetrata, saevus et crudelis indole, Waldenses, Lutheranismi suspectos, omnibus vexavit viribus, exquisitisque tormentis cruciavit, ocreis, ex. gr., adipe fervescente plenis, et miserorum tibiis adaptatis etc., ac morte adfecit acerbissima. De quo certior factus Rex, supremae curiae Provinciae mandavit, ut crudelem hanc bestiam refraenaret, et pro merito puniret. Ipse vero se Avenionem recepit, et spoliis, latrocinio illo partis, spoliatus est a domesticis, et morte, divinae vindictae teste, inter gravissimos cruciatus, ac intolerandum faetorem, miseram efflavit animam.

§. DLXXX. Continuavit dein, vel resumsit, persecutionem Episcopus Sextiensis per Officialem suum, non minus saevum, Peironetum, qui multos in carcerem traxit: quorũm qui constantes manebant, traditi sunt in manus Meirani, ordinarii tunc judicis, a quo, sine ullo examine, omni misericordia abnegata, terribilem passi sunt mortem. Ipsum quoque Parlamentum Sextiense, seu, quod idem est, Aquense, quo tempore Dominus Revesti locum primi Praesidis in eo teneret, martyrio adfecit haud paucos. Sed et uterque manum divinam vindicem expertus est. Revestus honore et potestate privatus, ac Revestum domum suam reversus, saevissimo est correptus morbo, et furibundus occubuit. Nec meliorem sortem nactus est Meiranus. Sed terribilior oriri coepit tempestas a. 1540. Quo anno, ad postulatio-

nem Procuratoris Regii, a Senatu Aquensi, Praeside Bartholomaeo Chasanaeo, citati sunt nonnulli Merendolii pagi cives, ut se, causam dicturi, sistant coram Senatu: qui Aquas Sextias profecti quidem sunt, sed a patronis de summo periculo, si compareant, admoniti, et exemplis deterriti, se subduxerunt. Quando horrendum hoc est factum Senatusconsultum, citatos non tantum illos, si comprehendantur, flammis esse addicendos, possessionibus eorum fisco addictis, sed et omnes Merindolii, ac vicinorum locorum incolas, ad unum omnes, nullo sexus aut aetatis habito discrimine, trucidandos esse. Merindolium, ubi octoginta circiter urbana praedia fuisse dicuntur, dirutis aedificiis, solo aequandum, arbores etiam resecandas, et locum penitus reddendum desertum. Cujus decreti, tam injusti et inhumani statim ac percrebuisset fama, Waldenses in summas conjecti sunt angustias, sed et omnium ora resoluta, ipso decreto passim damnato, tanquam barbarico.

§. DLXXXI. Sed Archiepiscopus Arelatensis, Episcopus Aquensis, Abbates nonnulli, ac Priores, aliique, conspiratione ad decretum Merindoliense, ut vocabatur, executioni mandandum facta, Avenionem sese contulerunt, Episcopos, virosque istius civitatis potentissimos, in unum convocarunt, et, deliberatione instituta, nequicquam contradicente Bassineto, Dominicano, et Doctore Theologo, quin cum minis ejecto, juramento interposito concluserunt, se, ut Senatusconsultum Merindoliense effectum sortiatur, omnem daturos operam, polliciti quoque omnes sunt, ut certum militum numerum, quantum satis erat, colligerent, et stipendium solverent. Dederunt praeterea ante discessum insigne saevitiae ac tyrannidis specimen in librario quodam peregrino, qui Bibliorum Latinorum et Gallicorum, aliorumque librorum, auctionem ibi publicam habebat. Hunc enim cum inter deambulandum, et inpudicas tabulas cum foeminis, quas secum habebant, contemplandum, increpuissent, sed animose respondentem, ac Biblia defendentem, deprehendissent,

mox

mox contumeliose habitum in carcerem duci jusserunt, et postridie ad rogum condemnarunt. Quod a judice seculari, licet reluctante, executioni quoque mandatum est. Ductus est miser librarius ad supplicium, duos Bibliorum codices gestans, unum a gutture porrectum ad stomachum, alterum a cervice spectantem ad humeros, ignemque inter admonitiones populi, ut Scripturam legant, animose sustinuit, multis etiam Scripturae studio inspirato.

§. DLXXXII. Episcopus Aquensis, cui executio rei, modo memoratae, erat demandata, Aquas Sextias redux, omnia cum Praeside Chasanaeo communicavit, ursitque Senatus decreti executionem. Praeside vero tergiversante, caussatoque, decretum magis terrendi, quam efficiendi, causa esse factum, nec definitivae adhuc esse sententiae, sanguinis innocui effusionem esse magni momenti, Regem quoque aegre laturum: Episcopus acrius institit, sanguinem sibi et sociis inputatum volens, Regem facile per Cardinalem Turnonium in partes trahendum dictitans, et votorum tandem compos factus est. Delectus itaque tota Provincia habentur, exercitus in unum cogitur, omnibusque praeparatis in loca memorata mittitur, sed, cum prope ab illis abesset, subito revocatus pedem retulit, singulari admodum casu interveniente, qui rei executionem inpedivit, relatu digno, ipsi quoque Thuano, qui prolixe narravit, judicato. Cujus summa huc redit.

§. DLXXXIII. Dominus Alencius, vir in jure et Theologia probe versatus, ac Chasanaeo familiaris, rei indignitate permotus, ipsum adiit, et admonuit audacter, contra Merindolienses, indicta causa, nulloque nocentium et innocentium facto discrimine, armis, contra communem fori consuetudinem, dimicari non oportere, sed id Chasanaeo adhuc minus licere, qui *litis contestationem*, a Praefectis jurisdictioni Episcopi Heduensis contra *mures* olim factam, tanta cum laude olim persecutus fuisset, et in libro, cui titulus, *catalogus gloriae mundi*, descripsisset, cui nunc directe, ad

propriam ignominiam, adversaretur. Cum mures, meretur enim hic casus ut paucis narretur, in tota fere jurisdictione Leussensi infinito numero corrosissent frumenta, decretumque esset, ut excommunicarentur: Officialis Heduensis judicavit, ut mures ante ad tertium diem, ut se sistant, citarentur publice et solenniter. Quo elapso spatio, cum Procurator fisci excommunicationem murium, qui non comparuerant, urgeret, iterum ex aequo judicatum est, ut aliquis iis in patrocinium daretur, qui causam eorum agat. Electus Chasanaeus, patronus tunc Regius apud Heduos, priorem citationem esse irritam demonstravit, et novam impetravit: qua de suggestu facta, Chasanaeus sistendi tempus, muribus praestitum, justo brevius esse docuit, tot praeterea feles in villis agere excubias, ut mures non sine causa cogerentur abesse, absque ut contumaciae locus esset: non enim temere inferendam esse muribus injuriam, sed totas consulendas scripturas, ut constare possit, quomodo se gerere debeant. Qua occasione omnes juris anfractus persecutus est, quos judices in causis criminalibus ex officio sequi tenentur, et ingentem laudem consecutus: quam nunc nimium obscuraret, et sibi ipse adversaretur, si Merindolienses ea ratione persequeretur, nec in iis observaret, quod ipse in causa murium custodiendum tam egregie erat exsecutus, maxime cum miseri illi homines nihil habeant, quare Christiani non censerentur. Qua ratione commotus Chasanaeus exercitum jussit regredi, ad summum Merindoliensium gaudium; licet ad breve tempus.

§. DLXXXIV. Quae cum per totam Galliam percrebuissent, et ad aures Francisci Regis quoque pervenissent; ipse Bellaio Langeio, proregi Taurini, in mandatis dedit, ut in totam hanc causam, et statum Merindoliensium, sociorumque, accuratius inquireret, et ad Regem referret. Missi ab ipso duo periti et probi viri, omnibus exacte pervestigatis, famosum illud Senatus-consultum adtulerunt, et res post secutas narrarunt, iniquitates scilicet, exactiones, rapinas, op-

pres-

pressiones, et crudelitates, Merindoliensibus per Judices Ecclesiasticos et Civiles continuo fere illatas, de ipsis vero Merindoliensibus, et sociis, omnia praeclara, vitae et morum respectu, retulerunt: nihilque in iis reprehendendum, nisi quod ritus Romanae religionis nonnullos non observarent, nec missam facerent, nec crucem aut sanctos adorarent. Quibus omnibus Regi perscriptis, ipse facto diplomate Senatusconsultum cassavit, incarceratos dimitti, et omnes vexationes inhiberi, jussit: tantum haeresios insimulatos voluit via rationali convincendos, et ad abjurationem cogendos. Quo diplomate Aquas Sextias delato, Senatus effectum ejus conatus est variis modis inpedire, tandemque decrevit, *ut qui errores abjuraturi essent beneficio Principis uti quidem possent: reliqui vero, qui manerent in sententia, eodem supplicio, quo haeresios convicti, adficerentur, nulla amplius informatione habita.* De cujus decreti iniquitate conquesti sunt graviter Merindolienses, et libello supplice edito, petierunt secum ex aequo et justo agi, haeresin suam sibi accurate demonstrari, et defensionis praeberi occasionem, se paratos professi ad omne illud abjurandum, quod Scripturae S. deprehenderint contrarium. Publicarunt dein, ad Senatus postulatum, amplam et accuratam fidei confessionem, Cardinali Sadoleto, Consulibus Avenionensibus, aliisque, missam, et cum omnibus, qui petierint, communicatam, cum ipso etiam Rege Francisco, qui cum tota coram Ipso esset praelecta, quaesivit, *ecquid in illa desiderandum videretur?* sed a nemine tulit responsum. Exstat confessio in *narratione de excidio Vallensium*, supra laudata. Cardinalis quoque Sadoletus, Episcopus Carpentoratensis, epistola, propria manu obsignata, ad eos missa, confessionem laudavit, nihilque fere carpsit, *quam quod in Pastores Ecclesiae nimis aperte inveherentur*: testatus insuper est benevolentiam suam erga ipsos, et significavit, se ad praedium suum prope Cabrieram propediem esse venturum, ubi ipsum, qui velint, adire possint, cum ipsis consultaturum, quid e re ipsorum

 esset,

esset. Praestitit porro ipsis insignae beneficium, inpediendo, quominus Vice-legatus Avenionensis, qui a. 1542. cum exercitu contra eos tendebat, et prope Cabriera abesset, ulterius sit progressus, quin faciendo, ut retrocesserit. Locutus mox cum Cabrierensibus suasit iis prudentiam, et spem fecit, se, confessione cum Cardinalibus Romae, quo tendebat, communicata, aliquam in melius mutationem esse effecturum. Sed Cardinalis, Roma redux, nihil boni ad Ecclesiam reformandam exspectandum esse, sed omnia ad perniciem adversariorum Ecclesiae Romanae spectare, retulit. *Ipse etiam*, verba sunt Wesenbacii in Oratione supra citata, *nihil pacati, nihil fidi, nihil eorum, quae de emendando Ecclesiae statu pollicitus erat, ad effectionem perduxit unquam, licet esset multae doctrinae, et veritatis non per omnia nescius: sed illud unum egit, ut blanditiis, et promissionibus mellitis, de medicina Ecclesiae morbis facienda, Orthodoxos a recto cursu disturbaret, eoque pacto Romanae amplitudinis*, (ad quam adspirabat) *ruinam sisteret.*

§. DLXXXV. Urgentibus deinde Episcopis, Aquensi et Cabillonensi, decreti exsecutionem, constitutum est a Senatu, ut, secundum Regis diplomata, Johannes Durandius, consiliarius Curiae, cum Secretario quodam, ipso etiam Episcopo Cabillonensi, ac Doctore aliquo Theologo, adiret Merindolium, et incolas de erroribus in confessione argueret, convictos etiam ad abjurationem adigeret: quod si recusarent, tunc exsequendum esse decretum. Sed Cabillonensis, non exspectato die a Senatu praefixo, eo cum Doctore perrexit, sed nihil obtinuit, cum nullos posset ostendere errores, et generalem tantum exigeret abjurationem. Doctor vero, confessione adtente lecta, dixisse fertur; *se tota vita tantum in divinis Scripturis non profecisse, quam illis diebus, quibus Scripturae loca, ibi citata, excutere debuit.* Re infecta cum discessisset Episcopus, haud diu post cum famulis suis rediit, pueros tentaturus. Quorum ex catechesi responsionibus, cum praesentium, inter quos quatuor erant

religiosi,

religiosi, recentes ab Academia Parisiensi, admiratione auditis, unus religiosorum dixit, *se saepius quidem interfuisse disputationibus Theologicis Sorbonae, nunquam tamen ex iis tantum profecisse, quantum nunc audiendo puerulos illos.* Quae, et quorum similia, tentamina, blanditiis quoque et promissis munita, cum frustra cecidissent, tandem Consiliarius Curiae cum Episcopo Cabillonensi, Doctore Theologo, et Scriba, ad eos venit, eandem rem acturus. Sed cum, errores sibi monstrari, peterent Merindolienses, Episcopus vero et Theologus nihil in medium proferre possent, re infecta discessum est, non sine contumelia Episcopi et Doctoris, quod victi obmutuissent, aliorumque utilitate, qui, confessione secum sumta, manus dederunt veritati. Inter quos fuerunt ipsi illi tres Doctores, qui eos saepe ad defectionem compulerant, quorum ministerio Deus deinceps usus est in Euangelio puriore adnunciando.

§. DLXXXVI. Licuit Merindoliensibus ab eo tempore paulisper respirare, hostibus etiam ab ulteriore persecutione, per singularia Dei judicia in persecutores, absterritis; quae sibi visi sunt observasse in Chasanaei non tantum morte repentina, sed et plerorumque Provincialis Curiae primariorum virorum terribili obitu; donec a. 1544. et 1545. horribile illud decretum, initio a Senatu Aquensi factum, fuerit effectui datum a Johanne Minerio, ex infimo loco ad praesidentiae summam dignitatem, mortuo Chasanaeo, evecto, cui adhuc accesserat Praefecturae Regiae potestas, qua, absente Domino Griniano, in Germaniam legato, gaudebat. Copiis itaque undequaque collectis sese Ducem praebuit, ad exscindendum Merindolium, Cabrieram, et alia oppida, ac pagos, numero viginti duo. Quo audito, Merindolienses denuo quidem a Rege, oblato libello supplice, inpetrarunt exsecutionis inhibitionem, donec, in eorum statum accuratius inquireretur: sed Cardinalis Turnonius, eorum infestissimus hostis, captatis atrocissimis calumniis, autore Philippo Cortino divulgatis, Merindolienses esse ad

15000 in armis, et ſuperioris poteſtatis regiae deſtructionem moliri, ſuiſque in terris intendere Rempublicam erigere, Regem circumvenit, ac contrarias prioribus litteras ab eo extorſit, quibus inmanis ſententiae executio inperatur. Quas cum recepiſſet Minerius, eas non mox, ſed commodo rei gerendae tempore, menſ. April. a. 1545., in Senatu recitavit, ab eoque inpetravit delectos a Senatu, qui rem quantocyus peragant, quibus ſe Ducem vel adjutorem adjunxit. Suſcepta expeditione ſancivit Minerius ſub capitis poena, ne quis eos ulla re juvaret, deditque militibus poteſtatem diripiendi et incendendi omnia, omneſque ſine diſcrimine ſexus et aetatis trucidandi. Quod idem fuit publicatum in locis finitimis ditionis Pontificiae, cujus Epiſcopi magnam copiarum partem eum in finem alere ferebantur.

§. DLXXXVII. Copiis itaque diviſis, Minerius Merindolium petiit, reliquae copiae in loca ad Druentiam fluvium, et ultra montem Libronem, irruunt, et direptiones, incendia, caedes, foeminarum violationes, aliaque horrenda, quaquaverſum circumferunt. Merindolienſes autem, nihil ſpei reliquum habentes, cum mulieribus et liberis in Sylvam Lauram aufugerunt omnes, ſed cum nec ibi ſe tutos deprehenderent, copiis hoſtilibus eo tendentibus, inde diſceſſerunt, conjugibus cum liberis ibi relictis, quod miſericordiam hoſtium viderentur conſecuturi inbelles miſeri, ingente cum luctu, mutuiſque lacrymis et precibus. Sed res longe aliter, ac putarunt, cecidit. Hoſtes enim efferatis animis ad inbellem turbam accedentes, omnia ſpoliarunt, mulieres violatas, verberibus caeſas, aliiſque modis inſolenter tractatas, in vita tantum reliquerunt, Centurione quodam equite caedem inpediente. Erant autem mulieres numero fere quingentae. Venit interea Minerius Merindolium, illudque incolis vacuum, dereptioni tradidit et vaſtationi, ſed edito prius crudeli exemplo in juvene inbecillioris animi, quem arbori adligatum globulis tormentorum miſſilibus confici

juffit. Cabrieram dein obfeffam cepit deditione, pollicitus inmunitatem: fed quam e veftigio violavit, omnibus inmaniter trucidatis. Viginti quinque, qui fe occultaverant, inventi, et in pratum producti, veftibufque nudati, ad unum fere omnes occifi funt, nec viri tantum, fed et mulieres, pleraeque gravidae. Quadraginta aliae foeminae, in horreum inclufae, ftraminis et foeni plenum, igni fubjecto, mifere perierunt. In reliquos omnes fimili modo faevitum eft ad mortem. Caeforum numerus in oppido et foris fuit ad 800. In cujus tam inmanis facinoris memoriam adminiftri Papae columnam ibi curarunt erigendam, die et anno capti, et direpti, oppidi per Johannem Minerium Dapedae Dominum, incifis litteris notato.

§. DLXXXVIII. Inde profecti hoftes Coftam, a civibus, fuadente Domino urbis, qui, fi id facerent, gratiam Minerii ipfis pollicitus eft, quatuor diverfis locis, muris difjectis, nudatam, eam, fruftra deprecante Domino, oppugnarunt, alteroque die occuparunt, plerifque civibus fuga dilapfis, caedibus et rapinis repleverunt, mulieres atque puellas, quae in hortum, caftello vicinum, confugerant, conftuprarunt, tanta cum violentia, ut quae uterum gerebant, et natu minores puellae, brevi poft fuerint exftinctae. Merindolani praeterea, aliique plures, iis adjuncti, qui per Sylvas et rupes oberrabant, intercepti, ad triremes relegati, vel confoffi funt. Alii, haud procul Muffio, in caverna fub rupe latitantes, detecti, et igni ac fumo fuffocati funt. Reliqui, qui tot cafibus fupererant, in fumma rerum penuria per fteriles faltus, et inhofpita faxa, vagabantur, nullum videntes exitum. Quando truculenti graffatores fubito haec loca reliquerunt, et reliquiis occafio fedes fuas, mifere vaftatas, recipiendi data eft. Qua arrepta, res fuas ftrenue inftaurarunt, in fide et religione fua conftanter perfeverantes: quod etiam ipfis per fingularem Dei gratiam feliciter fucceffit.

§. DLXXXIX. Barbaricae hujus fcenae fama per Germa-

niam divulgata, multorum animi vehementer commoti, Helvetii quoque reformati ad intercedendum pro iis, qui profugerant, excitati sunt, ut erga eos uteretur misericordia Franciscus, sed responsum ab eo retulerunt, justis de causis ita esse actum, nec eos magis de suis oportere negotiis esse solicitos, quam ipse sit de eorum. Ipse Carolus V. in publicis Ordinum Germaniae Comitiis fertur Regem perstrinxisse, quod *subditum populum, nulla sexus aut aetatis habita ratione, integrum vastaverit.* Ipsi Galli, qui humanitatem non exuerant, facinus illud destati sunt, uti Thuanus, et alii plures. Abbas Langetus, occasione historiae Auberianae, in hanc tragediam scriptae, contulit ad nuptias Bartholomaeas, *cum quibus pari passu ambulare* dixit. Ipse Henricus II., Galliarum Rex, et Francisci successor, invidiam conatus est a Patre publice amoliri. Jussit utique, ut per Procuratorem et advocatum Regium innocentia miserorum, et Patris sui, publice in Parlamento propugnaretur et justificaretur. Quod a. 1552. factum est. Duravit actio per mensem, et orationes, pro, ut dicitur, et contra, habitae sunt, apertis valvis, ingente hominum frequentia a duobus celeberrimis causidicis, altero Auberio, Minerium Praesidem in vinculis accusante, altero Roberto, eum defendente. Sed tota haec actio in fumum abiit, nec majorem habuit utilitatem, quam quod Waldensium fidei confessio publice ibi fuerit praelecta, praesente et urgente Carolo Molinaeo, libellorum supplicum in Regia Magistro; ut ipse testatur in tractatu de *Monarchia Francorum:* unde excerpta de Albigensibus exstant ad calcem Camerarii l. cit. Ipse Minerius fuit ea conditione vinculis solutus, et in integrum restitutus, fide etiam data Carolo Lotharingiae Cardinali, *ut novos illos Christianos tota provincia expelleret* Quod, in Provinciam redux, strenue exsequi adgressus est, majoribus, quam antea crudelitatis datis speciminibus. Sed brevi poenas dedit, terribili correptus morbo. Inusitata enim per posticam corporis partem sanguinis effluxione,

ac

ac gravi ἰσχυρίᾳ inguina computruerunt, ipſeque inter crudeles ac horrendas voces miſeram efflavit animam.

§. DXC. Corripuit dein eadem flamma perſecutionis, etiam per vim armatam, et copias militares, Vallenſes in *Pedemontio* a. 1555., et deinceps, in primis a. 1560., quando, bello inter Regem Galliae et Ducem Sabaudiae finito, regiones illae ad Ducis inperium redierunt. Durante dominatu Gallico, non ceſſarunt quidem vexationes, et perſecutiones, ſed per Inquiſitores potiſſimum, qui, quotquot in poteſtatem redigere potuerunt, violenta adfecerunt morte, more ſolito per brachium ſeculare. Inprimis id operam dedit Senatus Taurinenſis a. 1555., poſtquam Bartholomaeus Hector, librarius quidam, fuiſſet mirabili conſtantia in urbe Regia Taurini publice combuſtus, multorumque animos commoviſſet, quippe quo Senatus magis eſt irritatus, et ad ſectam illam funditus exſtirpandam excitatus. Miſſus itaque eſt Praeſes Julianus cum Collaterali de Eccleſia ad Vallenſes, mandatumque Regis Galliae inter eos eſt promulgatum, quo intra triduum juſſi ſunt, ſub poena mortis, intereſſe miſſae. Vallenſibus nihilominus in fide ſua, ſpreto edicto, permanentibus, plures coram ipſo quidem citati et adducti ſunt, ſed nec minis, nec pollicitationibus, eorum fides frangi potuit. Singulare eſt reſponſum, ipſi a quodam ruſtico datum, cum filium ejus vellet rebaptizatum more Catholico, quo, poſt preces, praeſente Praeſide, fuſas, dixit, *ſe paratum eſſe, ſi Praeſes, ſponſione ſcripto data, in ſe ſuſcipere vellet peccatum luendum, quod hoc faciendo committeret.* Quo Praeſes abſterritus, ipſum abire juſſit. Tentavit dein ipſorum converſionem per praecones Monachos, ſed quos vix audire voluerunt. Omnibus itaque perluſtratis rediit Taurinum, et retulit, tantam ſe inveniſſe unionem et conſtantiam, ut nihil, niſi per expreſſam Regis poteſtatem, effici poſſit. Cauſa ita dein ad Regem delata, et novo ejus mandato anno ſequente inpetrato, quo ſub poena mortis et confiſcationis bonorum adire jubentur miſſam,

iterum se ad ea loca contulit Praeses, sed idem accepit responsum, *Deo magis, quam hominibus esse obediendum;* addiderunt, tolerari Judaeos et Turcas, se magis mereri, religionis verae Christianae studiosos, cui, nisi de falsitate convicti, renunciare nequeant. Quo responso, quantopere modesto et vere Christiano, exacerbatus Senatus Taurinensis, comprehendi jussit, quotquot inveniri poterant. Quae tristis sors duobus egregiis contigit viris, Gothofredo Varallio, et Nicolao Sartorio. Quorum prior, minister Ecclesiae Angrunniae, flamnis est Taurini publice combustus, singulari constantia et laetitia a. 1557. Pater ejus, dux copiarum latrocinalium, in Vallenses inmissarum, a. 1488. fuerat, et filius ipse primum Monachus, et emissionarius inter Vallenses ad eos convertendos: cui, quo magis in eo opere versaretur, eo clarius sese offerebat veritas, donec ei manus dederit, et inter Vallenses pastorem dignissime egerit Angrunniae. Alter, Genevae, inpensis Bernensium, tanquam eorum alumnus, studiis incumbens, cum suos in Vallibus visitare vellet, in itinere detectus, captus et eadem poena adfectus est in urbe Episcopali Vallis unius.

§. DXCI. Sed haec graviorum adflictionum fuerunt tantum praeludia. Vallibus enim a. 1559. per pacificationem redditis Duci Sabaudiae, Emanueli Philiberto, ipse se a Monachis mox induci passus est ad eos destruendos, licet bonus alias esset Princeps, et uxor ejus Margareta soror Henrici, Regis Galliae, religionis Reformatae non ignara, nec ab ea aliena, per amitas ejus, Reginas Navarrae et Galliae. Quo multum contulit Nuncius Papae, cum, Regis Galliae exemplum ipsi ob oculos ponendo, tum, nisi eos deleret, metum incutiendo, quia in suspicionem fautoris haereticorum incurreret apud Papam. Promulgari itaque inter Vallenses fecit, ut, nisi ferro et igni vellent vastari, frequentent missam. Confugerunt quidem libellis supplicibus ad Ducem, ejusque uxorem, qui apud Legerum exstant, sed operam luserunt. Constituit itaque Dux, copiis Papae,

et Regum Hispaniae ac Galliae, adjutus, eos armis in ordinem redigere, executione demandata Philippo Sabaudo, nepoti Ducis, Domino Raconis, et Georgio Coste, Comiti Trinitensi, adjunctis Monachis Inquisitoribus Toma Jacomello et de Corbis. Philippus vero et de Corbis, pietate et constantia Vallensium in persecutionibus, quam oculis usurpassent, ad animum revocata, rem non tantum non urserunt, sed et eos adjuvare conati sunt. Reliqui duo, in primis Comes Trinitatis, nihil non ad eos destruendos egerunt. Cum enim urgerent, ut, ministris suis expulsis, novos ipsis dandos reciperent, et Papam agnoscerent, nihilque inpetrarent, hostiles in eos fecerunt inpetus a. 1560. et 1561., omniaque caedibus, rapinis, et incendiis repleverunt, nullo saevitiae genere omisso. Ad quas angustias redacti Vallenses, se ad justam sui defensionem pararunt, et vim vi repellere coeperunt: adeo ut inter ipsos, et copias Ducis, sub Comite Trinitatis, apertum fuerit bellum ortum, Vallensibus faustum, et valde gloriosum: hostes enim, licet ipsi pauci essent numero, ubique cum ignominia et clade in fugam conjecerunt praecipitem, licet milites essent exercitati, et ingente numero. Cujus belli historiam ex Gillis, et historia martyrum, supra citatis, facile petendam, hujus non est loci enarrare. Hostes vero instar rabidorum canum in miseros, ubi potuerunt, saevierunt. Miles quidam ex. gr. dimidiam fidelis aurem dentibus avellens, *ex perditorum horum*, inquit, *Lutheranorum aliquid mecum in patriam deferam.* Hominis sexagenarii, manibus ad tergum religatis scamno adfixi, *umbilico scarabaeum, testa tectum, admoverunt, qui rodere non desiit, donec in alvum penetrasset, et miserum horribili mortis genere necasset.* Senex aliquis 103 annorum, in spelunica cum filia 18 annorum, quae Patrem alebat, deprehensus, nefarie obtruncatus est, filia vero, vim passura, se proripuit, et e rupibus praeruptis dedit praecipitem. Fideles e contra exactam servarunt disciplinam, sanguini hostium, quantum licebat, pepercerunt, eos repulisse

 contenti;

contenti: patrarunt autem mirabilia, et singularem plane ac stupendam exseruerunt virtutem, ita ut pauci, et inexperti, male armati, hostes magno numero, exercitatos, et strenuissimos, Duces fuderint continuo, nulla fere cum sua clade. Caesi nonnunquam sunt 900 hostes, ipsi vix quindecim perdiderunt. Octo quoque praestantissimorum Ducum ceciderunt, inter quos fuit Carolus Truchetus, Dominus pagi Reoclaret, singularis fortitudinis. Ducenti et plures subinde ab ipsis caesi sunt hostes, absque ut vel unius fecerint jacturam. Gestum maxime est hoc bellum in convallibus Angrunia et vicinis regionis Pedemontanae. Multis praeterea fraudibus usus est Comes Trinitatis, pacta cum iis octo aut novem iniit, quae violavit omnia. Prima clade accepta, ut unum proferam exemplum, cum Comes, negotium a se susceptum, videret periculi plenum esse, nec facile perficiendum, omnia amica Vallensibus ostendit, et liberum religionis exercitium, a Principe inpetrandum, est pollicitus, modo arma deponerent, pastores extraneos ad tempus dimittant, mox revocandos, missam in locis suis permittant celebrari, licet ipsi non interessent, denique deputatos praecipuos populi mittant ad Principem, veniae et pacis inpetrandae ergo. Quae omnia licet fecerint fideles, etsi inviti, et multis dissuadentibus, hostilitates non omisit Comes, deputati etiam sunt detenti, et male admodum tractati, nihilque est inpetratum: adeo ut Comes nihil aliud habuerit in animo, quam ut eos facilius opprimeret. Quo animadverso, animis resumtis, bellum strenue renovarunt.

§. DXCII. Tandem cum votorum compotes fieri non possent hostes, multosque perdidissent, pro uno Waldensi quidem centum de suis, animos ad bellum tam inglorium, et damnosum, finiendum, pacemque faciendam, serio adplicuerunt, paxque facta est intercessione Philippi Sabaudi, Domini Raconis, et in primis Margaretae, uxoris Ducis, a. 1561. Mens. Jun., posteaquam apertum bellum septem, et persecutio, quae praecesserat, octo, in universum adflic-

tio quindecim menſes duraſſet. Qua pace venia geſtorum eſt conceſſa, ipſi in tutelam Ducis recepti ſunt, liberum religionis exercitium datum, exules revocati, et incarcerati liberati, bona amiſſa reſtituta ſunt etc. Aegre illud quidem tulerunt Pontificii, Papa quoque effectum inpedire voluit pacis; ſed in caſſum. Nec majore ſucceſſu alia via eos tentarunt vexare, uti per diſputationes et calumnias, etiam publicato edicto, quo omne commercium et negotiatio Pontificiis vetatur cum Waldenſibus a. 1593.; Ipſe enim Dux interceſſit, commercium jubens fore liberum. Inſtaurarunt praeterea res ſuas Vallenſes, quantum pote, adjuti quoque ſubſidiis Genevenſium, Helvetiorum, et Proteſtantium in Germania. Sed ne ſic quidem pace ipſis permiſſum eſt frui, cum ſaepius dein vexati, et multas paſſi ſint perſecutiones, per totum hoc ſeculum: quarum accurata notitia peti poteſt ex Gillis.

§. DXCIII. Anno 1565., ut aliquas earum lineas ducam, cum Vallenſes pacti male obſervati accuſarentur apud Ducem, ad eos miſſus eſt Toſcanus aliquis, nomine Sebaſtianus Gratiolus de Caſtracaro, poſtea Caſtralarus dici ſolitus, qui antea inter Praefectos copiarum ſub Comite Trinitatis locum tenuerat, a Vallenſibus captus, bene exceptus licet et dimiſſus, verum propterea, et ob alias rationes, hoſtili in eos erat animo. Obtinuit dignitatem et poteſtatem Gubernatoris Vallium Lucernae, Angruniae, S. Martini, et Rocheplatae, egregia uſus fraude. Duciſſae enim promiſit, ſe curaturum, ut pactum obſervaretur inviolatum contra Vallenſium hoſtes, Archiepiſcopo vero Taurinenſi, et aliis Praelatis, ut religio Pontificia inſtauraretur. Statim ac ad eos venit, pactum ab iis violatum ipſis objecit, propoſuitque, nomine Ducis, ſi in pace vivere vellent, ut extraneos paſtores habeant nullos, eoſque recipiant, quos Dux ipſis dederit, nullas cum aliis Principibus aut hominibus ineant ſocietates, nullas litteras aut libros de religione in alia mittant loca, Duci ſubjecta. Quibus cum ex vo-

to non responderent, omnibus modis, variisque sub praetextibus, eos adflixit. Accessit eodem anno 1565. novum edictum, a Duce, ad Papae instantias, publicatum, quo omnes per totum Ducis principatum, nisi intra decem dies missae celebrationem promittant, jubentur terras Ducis deserere intra duos menses. Intercesserunt quidem pro ipsis Protestantes Germaniae, in specie Saxo et Palatinus, legatione et litteris ad Ducem et uxorem, quae apud Gillis et Leger exstant, sed exiguo successu, tantum minus urserunt decreti executionem. Castracaro vero publicavit edictum inter Vallenses Lucernenses de emigratione omnium, qui istius regionis non erant originarii, et alterum, quo ad conciones audiendas vetuit adire communitatem S. Johannis. Incarcerati tum sunt varii, multumque vexati, at intercessione Ducissae dimissi, injunctumque simul est Gubernatori, ut Vallenses gaudere sinat pacto pacis.

§. DXCIV. Sed Castracaro haud diu a persecutione cessavit, quin vehementius eam resumsit, variis justitiae praetextibus usus a. 1571., plures occidendo, alios expellendo, alios spoliando, alios carceri mancipando. Ipsum quoque Ducem calumniis adeo inflammavit, ut ad novam persecutionem publicam omnia spectaverint, sed intercessit denuo Ducissa, effecitque, ut Gubernatori quoque omnis vexatio sit prohibita. Sed vexati sunt denuo eo praetextu, quod tempore belli cum Gallis sese his adjunxerint. Quo audito, ipse Rex Galliae Carolus IX. causam eorum efficacius egit apud Ducem, eosque liberavit. Litteras Caroli, lectu dignas, recenset Leger. Cum vero brevi post terribilis illa laniena Parisiensis contigisset, pluresque Protestantes e Gallia ad Vallenses confugerent, Castracaro, hac arrepta ansa, novum in eos fecit inpetum, adeo ut plures ad asyla sua in rupibus debuerint confugere. Sed succurrit ipsis rursus Ducissa, litteris a Duce inpetratis, quibus potestas ipsis data est domos repetendi, etiam fratres profugos e Gallia recipiendi. Qua ratione gavisi sunt pace usque ad mortem

Ducissae

Ducissae a. 1574. Novum quidem inpetum, ea mortua, in miseros hosce homines facere inceperunt, sed, illustrium personarum, religioni ipsorum faventium, interventu effectum est apud Ducem, ut furor iste suffocatus sit, usque ad ejus mortem, a. 1580. Successor vero ejus Carolus Emanuel cum Ducatum Salucensem invasisset, et Gallus in villas Pedemontii irruisset, easque teneret occupatas, fideles Vallenses deinceps rei sunt acti perfidiae in Ducem, adeo ut certa spargeretur fama, Ducem eos esse exstirpaturum. Sed res in eorum favorem vertit. Causa enim a Senatu Sabaudiae discussa, secundum Vallenses est pronunciatum, qui Ducem quoque ab eo tempore nacti sunt patronum, omnibus privilegiis, antea concessis, ab eo confirmatis. Quo in statu res manserunt ad finem seculi, licet per zelotas Pontificios et Inquisitores nunquam cessaverint variis modis vexari.

§. DXCV. Vallensibus Pedemontii a meridie adjacent *Salucenses*, incolae Marchionatus ditionis Regis Galliae usque ad a. 1595., quando ex pacto Henrici IV. cum Carolo Emanuele, Duce Sabaudiae, in potestatem Ducis venerunt. Waldenses vero, jam ante aliquot secula e vallibus Pedemontii, praecipue Lucernae, migrarant in vallem Marchionatus, maxime septentrionalem, dictam *Padanam*, a fluvio Pado, eam trajiciente, sedibus in locis Vilhem, Biollet, et Bictonet fixis; qui fidem suam ac religionem constanter tenuerunt, ac professi sunt, seseque dein per totum Marchionatum diffuderunt, adeo ut hoc seculo maxime fuerint, et ubique, multiplicati, nec graviter adflicti, quandiu sub Gallorum fuerunt inperio. Tentarunt quidem Pontificii Zelotae, a quibus saepe sunt infestati, eorum Ecclesias destruere, sed sine magno successu. Inpetrarunt quoque hostes a. 1567. edictum a Duce Neverrense, *locum tenente* Regis in illis regionibus, quo extranei, religionem eam professi, jubentur intra triduum cum familiis et bonis emigrare, nunquam redituri, sub poena mortis, eo scopo, ut gre-

gem pastoribus, maximam partem alienigenis, orbarent: sed parum obtinuerunt, pastoribus manentibus, et in officio continuantibus. Duo quidem capti sunt, et in carcerem conjecti, sed, misso Pastore suo Galatio ad Regem Galliae, ut liberarentur, et sibi libertas religionis relinqueretur, et Primorum Galliae, qui ipsis, eorumque religioni, bene cupiebant, nacti intercessionem, inpetrarunt a Rege a. 1571. litteras, pro incarceratorum dimissione, et libertate religionis. Laniena vero Parisiensi a. 1572. facta, jussit Rex per litteras Gubernatori Biraco, ut istius religionis praecipuos istis in regionibus mox occideret; sed re, convocato concilio, in deliberationem a Gubernatore missa, conclusum est, suadente Archidiacono Salucae, ut caperentur tantum, non trucidarentur, donec nova petiissent a Rege jussa. Scripserunt itaque Regi, et egregio fideles illos ornarunt testimonio; sed, antequam litterae ad Regem delatae sunt, nova accepit Gubernator mandata de superioribus jussis non inplendis, tantum ut adtenderet, ne motus concitarentur, nec publicum religionis exercitium renovaretur. Quae per Marchionatum divulgata ingentem pepererunt consolationem, et tranquillitatem, usque dum a. 1588. regionem istam sibi rursus vindicaverit Dux Sabaudiae. Reliquit quidem eos Dux aliquo tempore in pace, sed dein eos partitim coepit inminuere, et ad religionem Pontificiam transferre. Citati sunt praecipui Ecclesiae Dronierensis, quae egregie florebat, Taurinum, quorum haud pauci partim minis, partim promissis, ad missam frequentandam permoti sunt: quod fideles quidem commovit vehementer, sed non deturbavit, aut fidem inminuit. Scripsit etiam sine successu ad eos litteras Princeps a. 1597., ut eos ad Ecclesiam Romanam compelleret. Retinuerunt itaque statum suum ad finem seculi usque, donec in certam et plenissimam Ducis potestatem, pace cum Rege Galliae facta, ut modo memoravi, redierint: quando novae, etiam atrociores, exórtae sunt persecutiones, seculo sequente.

§. DXCVI.

§. DXCVI. Gravem quoque passi sunt persecutionem Waldenses alii a. 1570., in *terra nova*, in confiniis Pedemontii, Provinciae, et Delphinatus, cujus primaria urbs est Barcelonetta. Fuerant ibi a longissimo tempore tranquilli, Ducibus Sabaudiae ad eos parum adtendentibus, donec sacrificuli, nihil ab iis habentes lucri, Ducem in eos incitarint. Jussit itaque dicto anno, ut vel terram desererent, vel missae interessent. Intercesserunt quidem pro ipsis Principes Protestantium Germaniae, ad quos confugerant, in primis Palatinus, missa legatione, sed praeter bona verba nihil inpetrarunt. Imo severius jussi sunt religionem Pontificiam amplecti, aut exire. Quare ad incitas redacti, cum nusquam asyla in locis vicinis reperirent, cum uxoribus et liberis, media hyeme, ad montes se contulerunt, ut ad Frissinerienses venirent: sed multi frigore perierunt. Postea tamen, cum nemo eorum terras occupare et colere vellet, licentiam redeundi receperunt, modo religionem, ipsis relictam, exerceant extra ditiones Ducis. Plura de iis non constare tradit Perrin. l. VI., ex quo haec sumsi.

§. DXCVII. Succedant denique Waldenses in *Calabria* degentes, qui circa initium sec. XIV., ab aliquo Dominorum Calabriae invitati, ingentibus promissis privilegiis, eo migrarunt e vallibus Pedemontii, et deinceps, novis accedentibus coloniis, valde aucti, terras illas egregie excoluerunt, ac aedificarunt, pagis non tantum, sed et urbibus, exstructis, ut Ultramontani, S. Sixti, Vacarisso, Argentina S. Vincenti, et Guardia, haud procul mari Mediterraneo, aliisque. Manserunt ibi tranquilli, a Dominis territorii defensi, ab ipso quoque Rege Apuliae, Ferdinando Arragoniae, privilegiis confirmatis, sese quantum pote occultantes, subinde etiam quaedam contra voluntatem dissimulantes, propter vicinos Catholicos, usque ad a. 1556. Quando, Pedemontanorum studio excitati, publicum religionis exercitium coeperunt introducere, nequicquam eos prudente Pastore Aegidio dehortante, periculis ob oculos

positis; qui ipsis etiam suasit, ut, dum ad huc tuto possint, alio secederent. Nonnulli salutari consilio aurem quidem praebuerunt, alio se conferentes, sed longe maximam partem manserunt, et in proposito exsequendo perseverarunt. Quod ut rectius succederet, insignem a Genevensibus impetrarunt Pastorem, Johannem Ludovicum Paschalem, Pedemontanum, qui opus egregie perfecit, maxime adjutus a simili viro, collega ejus, Stephano Nigrino. Quae statim ac in vulgus emanassent, Pontificii sese ad eos exstirpandos adcinxerunt a. 1560. Quam tempestatem ut averteret Dominus territorii, Marchio Salvator Spinelli, alias bene in eos adfectus, praecipuos eorum ad se arcessivit, ut iis persuaderet, tempori servire, ac Catholice vivere. Qui cum ad eum venissent, secum sumto Paschali, viro erudito et modesto, ut sibi adesset, Pastor, nequidem auditus, in carcerem est conjectus, reliqui, licet constantes manserint, dimissi sunt domum, nec rem ulterius ursit Marchio.

§. DXCVIII. Papa vero Pius IV., eorum exitio intentus, executionem ejus commisit crudeli eorum adversario Cardinali Alexandrino, Inquisitori generali, cui alii inquisitores adjuncti sunt. Contulerunt sese mox ad locum S. Sixti, blanditiis usi. Unde cum fideles sese maximam partem in sylvas et montes subduxissent, tetenderunt Guardiam, promulgaruntque, S. Sixti incolas sese Ecclesiae Romanae submisisse, eo cum successu, ut fideles Guardiae, illud pro vero habentes, eorum secuti exemplum, idem fecerint; sed, intellecto illud falsum esse, mox, resumtis animis, retractarunt, et ad sylvas quoque confugerunt, pluribus tamen per Marchionem permotis, ut manerent. Missi mox, sed irrito conatu, sunt milites ad delendos profugos. Cum enim ad incitas redacti, nequidem libero sine bonis discessu impetrato, vim vi repulerunt, eo cum successu, ut hostes cum eorum clade in fugam conjecerint, seseque ab eorum impetu liberaverint, verum ad breve tempus. Prorex quippe Apuliae, de eo certior factus, magna cum militum copia, promissis

promiſſis etiam indulgentiis, in eos irruens, undequaque cinxit, partim cepit, partim occidit. Quando mox inſtituta eſt inquiſitio in omnes eorum locorum fideles, omni parte inmanis et ſaeva, cruciatibus etiam eo ſcopo adhibitis, ut conventus nocturnos libidinoſos confiterentur, ut majore praetextu eos punirent. Longum foret omnium enarrare martyria. Ludovicus Paſchalis Romae, coram oculis Papae et Cardinalium, vivus eſt combuſtus, poſteaquam fidem et fiduciam luculenter demonſtraſſet, et peroraſſet, adeo ut, teſte Perrino, Papa dixerit, ſe optaſſe, aut ſe ſurdum fuiſſe, aut Paſchalem mutum. Collega ejus Nigrinus, omnibus ſuperatis tentationibus, Coſentiae, quae eſt urbs Epiſcopalis, mortuus eſt, vel per cruciatus, vel per famem, in ipſo carcere. Alius pice obductus flammis eſt abſumtus, alius vi tormentorum effudit viſcera, alius de alto eſt deturbatus, alii alio modo perierunt: pauci ad fratres in Pedemontium evaſerunt. In ſignum furioſae crudelitatis adhuc notetur, octoginta ſex fuiſſe excoriatos, dein ſingulos in duas ſiſſos partes, et palis ita per longiſſimum ſpatium 36 milliarium juxta viam adligatos, in ſpectaculum tranſeuntium. Qui vero in Apulia erant Waldenſes, non tam cito deleti, hac fratrum laniena intellecta, terras ſuas deſeruerunt, et alio ſeceſſerunt. Hac ratione Eccleſiae Waldenſium illis in oris plane ſunt deletae, nullis relictis reliquiis. Qui enim fugitivi redierunt, ſeſe ad religionis Pontificiae placita conformarunt. Deſcripſerunt vero hanc tragoediam Perrinus cap. VII. et Gillis cap. XXIX.

## PROPAGATIO ECCLESIAE.

§. DXCIX. Novus cum Ordine Jeſuitico incepit Chriſtianiſmum inter Infideles propagandi ardor, Jeſuitis peculiari voto ad id obſtrictis, qui reliquos Ordines ea ratione ad aemulationem excitarunt. Unde hoc jam ſeculo variae ſunt ortae *miſſiones* in utramque Indiam, et Africam, multa

etiam erecta *ſeminaria* Miſſionariorum. Primus eſt Gregorius XIII., qui ejuſmodi condidit ſeminaria, in quibus miniſtri ad fidei propagationem inſtruerentur, et aptarentur. Qualia diverſis in locis orbis Chriſtiani erexit viginti tria, et annuo reditu locupletavit. In *Miſſionibus*, quae plures fuerunt, Jeſuiticis praecipuas habuit partes *Xaverius*, unus e primis Ignatii ſociis, quare novarum Gentium, et novarum Indiarum, *Apoſtolus* adpellatur, in bulla canonizationis ejus ab Urbano VIII., ubi magnam quoque hominum copiam traditur convertiſſe, et, praeter Indos, Brachmanes et Malabares, primus dicitur euangelium adnunciaſſe Paravis, Malais, Jais, Arenis, Mindanais, Malacenſibus, et Japonibus. Miſſionem Japonicam ſuſcepit a. 1549., tantoque cum ſucceſſu cum ipſe, tum alii, poſt ſecuti, eo in opere fuerunt occupati, ut quinquaginta annorum ſpatio numerus Chriſtianorum, ſic dictorum, ad 200 hominum millia excreverit; ſi relationibus ſit habenda fides. Vid. etiam Xaverii epiſtolae, Joh. Maffeus hiſt. Indic. l. XIV. etc. et Hor. Turſelinus in vita Xaverii. Qua vero ratione, et methodo, uſi fuerint Jeſuitae in Euangelio adnunciando, diverſae exſtant Franciſcanorum et Jeſuitarum relationes, ut ex epiſt. Ludovici Soteli, Franciſcani, ad Papam a. 1624., et Joh. Philippi Marini, Jeſuitae, hiſt. miſſionis Japonicae a. 1663., Alexandro VII. dedicata, conſtat. Illud utrinque in confeſſo eſt, univerſum Eccleſiae Romanae caerimoniarum adparatum hiſce neophytis fuiſſe obtruſum, uſque ad ſummam ſuperſtitionem circa Mariam, Sanctos, Imagines, Cruces etc., praeterea per *munera* magis, quam miracula, aut etiam media rationalia, miſſionarios ſeſe in animos infidelium inſinuaſſe, in ſpecie per imaginum, eleganter pictarum, oblationem, imo per catellos delicatiores, quorum magiſtros, ut ludicra doceant, non dedignati ſunt agere. Jactat quidem autor *hiſtoriae Eccleſiae Japonicae* miracula, ſed nimis ridicula, et ſuſpectae fidei. Ipſe Marinus clare ſatis indicat, miracula non patrari a Miſſionariis, cum eos hac

hac parte excuſet. Verius eſt, quod Sotelus diſerte teſtatur, Jeſuitas non crucifixum, ſed glorioſum tantum Chriſtum adnunciaſſe, utpote infidelium genio, et proprio inſtituto, convenientiorem. Tradit praeterea idem autor, non niſi triginta Jeſuitas eſſe in 66 Japoniae regnis, et pluſquam 200 provinciis; nec tamen ex alio ibi ferri Ordine praedicatores, utpote diverſo longe inſtituto uti ſolitos. Unde multa ſunt orta diſſidia, quae infidelibus ſcandalum dederunt, et Chriſtianiſmi propagationi obicem poſuerunt. Reliqua ad ſeculum ſequens pertinent. Illud tantum addo, de ſtatu Catholicae religionis in Iaponia, et Monarchae Iaponici trucidatione, duas exſtare epiſtolas, a. 1595. datas, a Jeſuita Aloyſio Frois: quae etiam ad calcem Rubeni de falſis Prophetis reperiuntur.

§. DC. Paulo recentior eſt miſſio *Sinica* in regnum Chinae, a Xaverio a. 1552. procurata, ſed a Matthaeo Riccio cum ſociis effecta a. 1600. De qua vid. Nicolaus Trigautius in *expedit. Sinica* a. 1615. edita. Aditum illi ſibi ad hoc regnum pepererunt peritia ſua Mathematica. Incubuerant jam diu antea huic operi fratres Minores, ab a. 1293. uſque ad 1369., quo Europaeis introitus in hoc regnum eſt intercluſus. Primus autem Minorum, qui eo penetravit, eſt Johannes de Monte Corvino. Nec tamen eo demum tempore ibi innoteſcere coepit Chriſtianiſmus, licet Latini tunc primum intraverint: ſed longe ante eo delatum fuerat euangelium. Utique ante ſeculum XII. ibi fuiſſe Chriſtianos, ex Vincentio, Paulo Veneto, et aliis, conſtat. Quid? quod ab a. 714. religionem Chriſtianam ibi floruiſſe, monumenta Sinarum doceant: ſed num ante Neſtorianos ibi fuerit, non liquet. Coſmas Indopleuſtes *topogr. Chriſt.* lib. III. fatetur, ſe ignorare, num ultra Taprobanam ſeſe religio Chriſtiana porrigat. Supereſt antiquum monumentum lapideum Syro-Sinicum, a. 1625. repertum, quod habet, Euangelii praecones regnum illud a. 636. intraſſe. De quo ſuo loco ad illud ſeculum egi. Vid. de eo, et

Christianismi propagatione per Sinenses, Asseman. Bibl. Orient. tom. IV.

## ECCLESIA GRAECA.

§. DCI. Constantinopoli a Muhammede occupata, regno quoque Trapezuntino destructo, multisque subjectis oppidis, Inperio dein latius a Bajazethe extenso, et magis a Selymo propagato, Mammalucorum quoque Inperio in AEgypto deleto, circa finem seculi superioris, denique Turcarum regno per Solymannum, qui diu regnavit, hoc seculo dilatato et firmato, totus fere Oriens, cum Graecia et Insulis, Aegypto, et Africa, in eorum fuit potestate, et Christianismus, varie adtritus, et obscuratus, miserabilem praetulit faciem, durissimo Turcorum jugo oppressus, ita ut studia collapsa, et sensim fere exstincta, sint. Petenda vero est notitia status Graecorum Catholicorum, de quibus hic agimus, ex Martino Crusio in *Turco-Graecia*. Ubi, praeter varias epistolas, a Graecis ad Crusium, aliosque Germanos, et ab his ad Graecos, scriptas, occurrit praecipue *historia politica CPol.*, ab a. 1391. ad a. 1597., a Theodosio Zygomala ad Crusium delata, ejusque epistola ad Crusium de urbis obsidione, et expugnatione, rebusque hodiernae Graeciae; praeterea historia Patriarcharum CPolitanorum, a capta per Turcas urbe a. 1453., autore incerto, sed ab Emanuele Malaxo descripta, qui libris describendis, et pueris ac adolescentibus Graecis sub Patriarcheio docendis, se sustentavit, a. 1581. defunctus. Accedunt variae epistolae Graecorum inter se, a Zygomala selectae, et ad Crusium missae. Quae omnia edidit Crusius Graece et Latine, cum eruditis notis. Fuit autem ipse utriusque Linguae Graecae, et priscae, et hodiernae barbarae, Professor Tubingensis ab a. 1559., qui primus in Germania hanc novam linguam docuit, mortuus initio seculi sequentis a. 1607. Prodiit vero ejus liber Basileae. Addi autem ei debet Christophorus

ſtophorus Angelus, Graecus, qui, Peloponneſo, patria ſua relicta, in Angliam venit, initio ſeculi ſequentis, et Cantabrigiae publicae expoſuit luci *enchiridion* de inſtitutis, et ritibus Graecorum, et Eccleſiae Graecae, ſaepe recuſum, cum verſione et commentariis Georgii Fhelavii. Denique ingentis ſunt utilitatis, quae David Chytraeus in lucem protraxit. Offerunt ſeſe ibi, praeter ejus orationem de ſtatu Eccleſiarum in Graecia, Aſia, et Bohemia, variaſque doctorum ad eum epiſtolas, et alios, diverſorum Graecorum epiſtolae ad Chytraeum, et alios. Conſuli poſtremo meretur Leo Allatius de *conſenſu* etc. et in *Graecia Orthodoxa*, nec non Richard. Simonius, cum in epiſtolis ſelectis, tum in notis ad Gabrielis Severi, Philadelphiae Metropolitae, quaedam opuſcula ab ipſo edita, etiam ſub nomine de Moni in hiſtoria Critica de *Orientalium fide et moribus.*

§. DCII. Eccleſiam Graecam, quod tractationi de ejus ſtatu praemittendum eſt, in doctrina et ritibus continuaſſe a Latina eſſe diverſam, adeoque ſchiſma, uti antea, manſiſſe, et Florentinam unionem, ſeculo ſuperiore initam, communiter fuiſſe repudiatam, exceptis illis, qui, Latinorum ope indigentes, vel a miſſionariis allecti, a Graeca religione deſciverunt, quos *Latinizatos* adpellant, multa evincunt indicia: de quo vid. Spanhemius in *perpetua diſſenſione in Miſcellan. Sacrae antiquitatis*, l. IV. 1. Epiſtola Eccleſiae CPolitanae ad Bohemos a. 1451., apud Chytraeum ad calcem *orationis* ejus, modo laudatae, et Leonem Allat. l. III de *conſenſu* etc., nec non Moyne Var. S. tom. II. unionem Florentinam diſerte rejicit, tanquam a *veritate alienam*, *et periculoſas Romae innovationes* perſtringit. 2. In apologia Manuelis Holoboli, magni Rhetoris CPolitani, ad quaeſtiones et poſitiones Franciſcani Monachi, ibid. apud Moyne, fides Romana de proceſſione Spiritus S. ex Patre Filioque, panibus azymis, primatu Papae, purgatorio etc. reprehenditur, et in S. euchariſtia tantum admittitur Spiritus in-

vocati unio cum pane et vino, nec per verba tantum Chrifti, fed preces liturgicas facta. 3. Jeremias II., Patriarcha CPolit. ab a. 1572., in prolixa refponfione ad Confeffionem Auguftanam, a Wirtenbergenfibus Theologis ad Graecos miffam, Gr. et Lat. in *Actis et Scriptis* Theologorum Wirtenberg., mentem de graviffimis fidei capitibus explicat fecundum fidem Graecorum, a Latinorum placitis longe diverfam. Contendit quidem in euchariftia non effe τύπον *figuram*, fed ipfum Chrifti corpus, fed μετουσίωσιν *transfubftantiationem* rejicit, et corpus effe ftatuit, plane ut Veteres, τεθεωμένον *deificatum.* Ceterum de Jeremia vid., praeter Fabricium Bibl. Gr. vol. X., Joh. Lamius, in *deliciis Eruditorum* a. 1740.

§. DCIII. 4. Eundem in cenfum, prae reliquis, referendus eft *Meletius Piga*, πηγᾶς, toto Oriente circa finem feculi clariffimus. Creta oriundus, pro more Cretenfium, cum Venetiis effent obnoxii, ftudia confecit Patavii in Italia: unde in Graeciam redux monafticum induit habitum, dein Alexandriam adpulfus, ab Alexandrino Patriarcha Sylveftro facerdos, et poftea Protofyncellus, eft creatus a. 1582. denique, Sylveftro mortuo, Patriarcha Alexandrinus, fimul Exarchus factus Patriarchae CPolitani, ut ejus nomine Ecclefiafticas dirimeret controverfias, intra ex extra dioecefin. Varia fcripfit, ut homilias, Catechefin ad Graecos, et epiftolas ad exteros, quarum aliquae ad Polonos exftant apud Regenvolfchium in *hift. Ecclefiaft. Sclavonicarum Ecclefiarum.* Plura de ipfo fuppeditat, praeter Fabricium Bibl. Gr. vol. X., Renaudot., qui duas ejus edidit epiftolas poft Gennadii homiliam, et Georgius Douza in *Itinerario CPolitano.* Fuiffe eum Ecclefiae Romanae infenfiffimum, et Latinos acriter infectatum, ipfi Catholico-Romani teftantur, ut R. Simon praef. ad Gabrielem Severum, et Leo Allatius de *Confenfu* etc. l. III. Huc etiam 5. pertinet *Manuel*, deinceps Maximus dictus, *Margunius* Cretenfis, circa finem feculi celebris, et variis in Italiae locis verfatus. Initio quidem

dem non fuit a Latinorum placitis alienus, sed postea Cytherorum in Creta Episcopus ab a. 1574. ab iis summopere abhorruit. Dialogum ejus nomine editum Londini, de *processione* Spiritus S. contra Latinos, ei abjudicat Leo Allatius. De scriptis ejus vid., praeter Fabricium l. cit., Joh. Lamius in *deliciis eruditorum* a. 1739. in praefatione: quo in tomo epistolas aliquot ejus in lucem misit. Omittendus non est *Gabriel Severus*, Metropolita Philadelphensis, ditionis Venetae; cujus aliqua opuscula publicavit R. Simonius: de quo modo monui. Scripsit, inter alia, quoque contra quinque capita Florentina, et eos, qui Ecclesiam Graecam dicunt *schismaticam*. Prius opus publicatum est Venetiis. Retinuit quidem vocem μετουσιώσεως, sed fidem Latinam non admittit. Desino 7. in *Georgio Doressio* Chio; quem virum doctum adpellat Demetrius Procopius Moschopolita in *recensione eruditorum Graecorum* superioris seculi, apud Fabricium Bibl. Gr. vol. XI., sed addit, eum Scholastico modo plura scripta Theologica composuisse, ut alia, sine ordine passim et recto judicio. Lucem adspexit Londini opus ejus in *propugnationem schismatis*. Aliorum scriptorum ejus contra Latinorum dogmata titulos exhibet Leo Allatius. Haec sufficiant. De Cyrillo vero Lucari, et aliis, agendum est ad seculum sequens.

§. DCIV. De studiis, fide, cultu, regimine, et statu Graecorum, paucis defungi potero, cum plura non sint magni momenti. *Studia* fuisse minus in Graecia exculta, e misera Graecorum conditione facile colligitur. *In tota Graecia*, inquit Crusius l. cit. *studia nullibi florent. Academias et Professores publicos nullos habent, praeter scholas triviales, in quibus pueri* ὡρολόγιον (quod Latini *breviarium* vocant, vel horarias preces) ὀκτώηχον *psalterium, aliosque libros, quorum in missa usus est, legere docentur. Qui vero eos intelligunt, inter Presbyteros et Calogeros paucissimi sunt. Quidam Italiae Academias adeunt, in quibus antiquam linguam, principia Philosophica, et Patrum Theologiam, percipiunt. Hi reversi do-*

*mum alios interdum erudiunt.* Quae omnia confirmat Chytraeus in *Oratione*, et litterae ad eum ex Oriente miſſae, ad calcem Orationis, adteſtantur. Nec tamen inter eos aliqua eruditione clari, et ſcriptis celebres, deſiderantur. Quorum nonnullos modo recenſui, alios plures exhibet Fabricius l. cit. vol. X. Multorum nomina ex relatione Gerlachii, tunc in Oriente verſati, dedit Cruſius l. cit. Dabo et hic nonnullis locum, praeter modo memoratos.

§. DCV. Circa medium ſeculi adhuc floruit, quem Zygomala in epiſt. ad Cruſium viri docti elogio ornat, *Antonius Eparcha*, Corcyraeus, qui Venetiis Graecas litteras aliquandiu eſt profeſſus, et poſtea receſſit Corcyram. Epiſtolas ſcripſit, ad concordiam ſpectantes, miſitque ad Doctos et Potentes, etiam ad Melanctonem, quae proſtat in adpendice *Turco Graeciae.* Elegia quoque ducentorum verſuum luxit Inperii Graeci everſionem. Denique Franciſco I., Galliarum Regi, Mſſ. codicem obtulit, qui variorum autorum lucubrationes, quarum indicem poſt alios dedit Fabricius l. cit., continet. Quorum nonnullas publicavit Steph. Moyne Var. Sacr. tom. I., qui in prolegomenis plura de Eparcho profert. Eodem fere tempore vixit *Joannicius Cartanus*, hiero-monachus, et Protoſyncellus Corcyraeorum, autor libri varii argumenti, qui dicitur *ἄνθος florilegium*, et ab ipſo in carcere ſcriptus eſt Venetiis, in quem ab Arſenio, Monembaſienſi Epiſcopo, conjectus eſt, *ob ſtudium veritatis et pietatis*, ut ipſe teſtatur. Meminit ejus Cruſius, eumque citavit Leo Allatius, qui *ſermones* ejus, Venetiis cum Damaſceno Studita editos, et expoſitionem *divini officii*, memoravit. Denique circa a. 1570. floruit *Johannes Zygomala*, Rhetor, et Interpres Patriarchii Eccleſiae CPolitanae; cujus varia reperiuntur apud Cruſium, qui etiam precationem ejus, ad Mariam fuſam, ad quam tempore morbi maxime confugit, recenſet.

§. DCVI. Licet in diſſenſu cum Latinis, etiam in nonnullis fidei capitibus, ut *doctrinae* eorum aliquem praebeam intel-

intellectum, perseverent, ut supra demonstravi, legalibus tamen et Philosophicis opinionibus fidem, inprimis de peccatoris justificatione coram Deo, haud parum obscuratam, profitentur, nec a Latinorum Scholastica Theologia longe absunt, leguntque studiose Tomae Aquinatis *summam*, Graece conversam. Justitiam nostram coram Deo a bonis, seu devotionis, operibus nimis repetunt, et adplicationem sacrificii Missae pro vivis et defunctis nonnulli eorum etiam receperunt, licet saniores sint, et puriores, Basilii M. et Chrysostomi Liturgiae, quibus utuntur. Purgatorium, aut liberationem animarum ex eo, etsi non credunt, *medium* tamen aliquem statum inter coelum et gehennam statuunt, in eorum maxime usum, qui sub vitae finem convertuntur; unde eos per eleemosynas, et preces, vivorum liberari posse censent. Acta septem Synodorum Graecarum Oecumenicarum, scripta Basilii et Chrysostomi, ac Joh. Damasceni, eorumque traditiones, tanquam divina oracula amplectuntur, et ad ea remittunt eos, qui de fide et religione eorum sciscitantur. Conferatur epistola responsoria Zachariae Cretensis, ad duodecim interrogata Cardinalis Lotharingi, apud Lamium, l. cit. vol. III. Vid. etiam, praeter Hottingerum hist. Eccles. hujus seculi, Chytraeus l. cit. Sed, commercio dein inter eos et Protestantes orto, per litteras, primum cum Wittenbergensibus sub Josepho, Patriarcha CPol. ab a. 1559., dein cum Tubingensibus, in primis Gerlachio et Martino Crusio, ab a. 1574. ad 1581., sub Jeremia Patriarcha, ut ex *Turco-Graecia* Crusii videre est, Graeci mentem clarius explicuerunt, et ad Protestantes propius deprehensi sunt adcessisse. Jeremias maxime consensum in multis exposuit, manente praecipue dissensu in capitibus de *processione Spiritus S.*, *libero arbitrio*, *justitia fidei*, *et bonis operibus*, *numero septem sacramentorum*, *sanctorum invocatione*, *et vita Monastica*. Vid. Hottingerus et Chytraeus l. cit. Denique magis serio agi de unione Graecorum et Protestantium coepit ab a. 1595., Graecis etiam puriorem fidem professis: uti sub

Meletio et Cyrillo Lucari. Quod ad sequens pertinet seculum.

§. DCVII. Pergamus ad *Cultum* religiosum Graecorum, sed nonnullis tantum observatis illustrandum. Ad *objectum* ejus pertinet, superstitiosam invocationem sanctorum, maxime Mariae, et imaginum cultum, quas tamen non sculptas, sed pictas tantum, habent, haud minus apud Graecos vigere quam Latinos. Imo *magna pars vulgi et sacerdotum*, inquit Chytraeus, *pietatis summam in cultu Mariae et imaginum collocat, nec tantum intercessioni et precibus, verum etiam meritis et auxiliis sanctorum confidunt.* Cultus *publicus*, ut de partibus ejus dicam, utique CPoli, situs fere est in sola missarum celebratione, et conciones sunt rarissimae, uti in litteris CPoli ad Chytraeum datis habetur. Sed additur, in Cypro et Candia aliquos esse, qui populum publice doceant; unum vero CPoli fuisse Calogerum, qui tempore Quadragesimali, feriis Natalitiis, et Paschatis, nonnunquam est concionatus. Narrat praeterea Crusius, conciones passim haberi lingua Graeca, non vulgari barbara, sed antiqua, adeoque vulgo ignota, quod facilius esse putant, et sufficere, si duo aut tres intelligant. *Legendarum* vero, ut adpellantur, ingentia habent, eodem referente, volumina, quas officia quotidiana peragentes Monachi in Templis legunt, habentque pro veris. In *Baptismo*, eodem teste, tertiam personam in pronunciatione formulae usurpant, dicentes *baptizatur servus Christi in nomine Patris, Filii et Spiritus S.*, totumque hominem in aquam inmergunt. Missas privatas sine Communicantibus ignorant, integram porro sub duabus speciebus celebrant eucharistiam, ut ex litteris ex Oriente apud eundem patet. Prius tamen *cum pompa*, ut ibidem habetur, *e sacrario procedunt, panem et calicem per medium Templi portant, populus, quasi sacramentum adoraturus, se totum inclinat, quidam etiam ad ejus ostensionem in genua provoluti terram exosculantur.* Ritum vero celebrandae missae in urbe Cairo recenset Hottingerus ex relatione Demetrii

metrii Theſſalonicenſis, a Patriarcha CPolitano miſſi. Illud denique notatu dignum eſt, miſſam tam ſolenniter non niſi quater in anno celebrari, die nativitatis Domini, die Reſurrectionis, Pentecoſtes, et decimo quinto Auguſti, quando omnes communicant: verum in quotidianis conventibus, ut ibibem traditur, hunc morem ibi tenent Chriſtiani. 1. Orditur ſacerdos a benedictione, ut in miſſa. 2. Fiunt preces publicae, recitatur aliqua lectio ex ſacris litteris, et brevis fit concio. 3. Diſtribuitur, precibus finitis, ſine vino *panis*, ſed *quem panem* dicunt *non eſſe corpus Domini*, *ſed tantum dari in ſignum mutuae fraternitatis*, *ut*, *hoc ſigno admoniti*, *ipſorum animi coaleſcant*, *qui de eodem pane participant.* Vid. etiam ſupra laudata epiſtola Zachariae. 4. Percepto hoc pane populus, cum hac ſolenni benedictione, ἡ εὐλογία κυρίε ἐφ' ὑμᾶς *benedictio Domini ſuper nobis*, dimittitur.

§. DCVIII. Ceterum in canone Graecorum, teſte Chytraeo, nulla fit mentio *ſacrificii corporis et ſanguinis Chriſti*, *pro redemtione vivorum et mortuorum oblati*, ſed preces, gratiarum actiones, laudes Dei, et eleemoſynae in uſus pauperum, praecipue offeruntur: et ſacra coena habetur *pro ſacrificio euchariſtico, et commemorativo.* Fidem vero de praeſentia Chriſti in euchariſtia retinent antiquam, in liturgiis antiquiſſimis, quibus adhaerent, expreſſam. Voce μέλεσιώσεως non utuntur, niſi qui cum Latinis conſueverunt, ſed antiquitus receptis vocibus inhaerent, nec Latinorum Tranſubſtantiationem norunt, tantum *realem* agnoſcunt converſionem fieri per conſecrationem, ſed ſenſu Spirituali, per *illapſum* Spiritus S., fierique credunt corpus τεθεωμένον *deificatum*, ut ſupra ex Jeremia obſervavi. Vid. etiam ſupra laudata epiſtola Zachariae apud Lamium l. cit., et qui a Spanhemio citantur l. cit. p. V.

§. DCIX. Supereſt, ut *Regiminis* aliquem dem conſpectum. Habent adhuc, ut olim, *quatuor* ſuos *Patriarchas*. De quibus, praeter alios, vid. Le Quien in *Oriente Chriſt.* Quorum primus eſt *CPolitanus*, cujus dioeceſis omnium longiſſime

 patet,

patet, complexa Ecclesias per Graeciam, Mysiam, Bulgariam, Thraciam, Walachiam, Moldaviam, Russiam, Moscoviam, insulas maris Aegaei, et Asiam Minorem; Vid. Chytraeus l. cit. Sedem tenet CPoli, ubi plura quam viginti adhuc habent Templa Christiani. Adest ipsi Senatus, seu collegium duodecim virorum, nobilium et eruditorum, quorum utitur consilio: et cum hoc Senatu regit Ecclesias, dioecesi subjectas, per Archiepiscopos, et Episcopos; sed nulla gaudet jurisdictione politica in civitatibus et oppidis; nec est apud Turcas multum venerabilis. *Ab iis praetereuntibus*, inquit Crusius, *non honoratur, sed, contra, a malignioribus omni conviciorum genere proscinditur, — — — nec inter purpuratos Inperatoris locum habet, nisi quando tributum* 4000 *ducatorum, et tantundem fere Bassis, praecipuisque officialibus Regis, adfert, tunc misero inter ipsos locus datur — — nec autoritas ejus apud Inperatorem amplior est, quam alicujus Legati Christianorum, munera illi offerentis: alium ei honorem non habet; nisi quod eum admittere dignetur, ut, ad pedes Inperatoris provolutus, pallium ejus osculetur: quod et omnes Legati facere, et pro magno honore reputare, solent.*

§. DCX. Secundus Patriarcha est *Alexandrinus*, sed cujus sedes Alcairum est translata, et ei subsunt Cophti ac Aethiopes. Tertius est *Antiochenus*, qui sedem in pulcherrima omnium, quae in Asia Turcis parent, inquit Chytraeus, urbe Damasco tenet, et sub se habet Syros Mesopotamenos, et alias regiones vicinas. Quartus est *Hierosolymitanus*, cui subsunt Palaestini, et Arabes. Sed hoc seculo accessit quinta sedes Patriarchalis *Moscovitica*. Pertinuerunt Moscovitae antea ad sedem Patriarchae CPol., et Metropolitam, ab ipso constitutum, habuerunt, Moscoviae residentem: sed hoc seculo, regnante Basilio, a CPolitano vexati, proprium elegerunt Patriarcham, ita tamen, ut in memoriam pristinae subjectionis, Inperator quotannis adhuc CPolitano mittat, licet eleemosynae titulo, quingentos aureos. Primus eorum Patriarcha fuit Jobus, a Jeremia CPolitano consecratus a.

1588.

1588. Ceterum ei ſubſunt quatuor inſigniores Metropolitani, et octo Archiepiſcopi. Tenent vero Moſcovitae, a Latinis valde alieni, fidem Graecorum, et reliqua ſacra, uſque ad libros Eccleſiaſticos ac Homileticos, cum iis habent communia, ipſos etiam ex parte characteres, Graecis quippe adfines, ac Sclavonicis corruptos. Regnat autem inter eos ſumma ignorantia, morum corruptio, et ſuperſtitio, a Graecis in primis recepta. Sunt autem mira religione in S. Nicolaum Myrae olim Epiſcopum, et Michaelem Archangelum: ſimul monaſticae diſciplinae ſunt ſtudioſiſſimi. Exſtat Pauli Odorbornii de religione Ruſſitarum egregia epiſtola ad Chytraeum l. c., et accuratiorem nuper notitiam Eccleſiae Ruthenicae dedit. Cl. Reuſſ. in *opuſculis Theologicis* faſcic. I. Alios plures, qui hac de re ſcripſerunt, recenſet Fabricius in *Luce Salutari Euangel.* cap. XXIII. Ceterum, quod obiter obſervandum, hos quinque Patriarchas Graeci per *Sigla* denotant, voce *καϱαι* (h. e. *κεφαλαὶ capita*) ex quinque litteris initialibus, quibus Graece ſcribuntur, CPol., Alexandrinus, Ruthenus, Antiochenus, et Ieroſolymitanus Unde Graecorum natus eſt luſus, *Romano* nullum locum eſſe in *καϱαις capitibus* Eccleſiarum, quatenus, eo expuncto, nunc locum ceperit Ruthenus, qui Romani defectoris locum ſupplet.

§. DCXI. Patriarchae in principio libere, ſecundum mores Graecorum electi, poſtea redimere quaſi debuerunt Patriarchatum, tum honorario, tum tributo, quod dein etiam auctum eſt. Munus, quod novus Patriarcha dat Sultano, adpellatur *πεσκεσιον Peskeſium*, ſed tributum annuum *Χαϱατζιον Charatzion.* Fuit autem honorarium in initio 500 Ducatorum, dein ſub Solymanno a. 1557., factum 3000 Ducatorum, ſicut tributum a. 1522. eſt auctum ad 4000, et dein 4100. Cujus utriuſque anſa ab ipſis Graecis, de Patriarchatu contendentibus, et aliis alios extrudentibus, eſt repetenda. Vid. Tournefort in Itiner. apud Lamium l. cit. a. 1740. Ut enim ambitioni ſuae litarent, et votorum fierent com-

potes, Sultano primum obtulerunt pecuniam, ut eum in partes traherent; quod dein in morem tranſiit, et legem, ut pro Patriarchatu honorarium ſolvant et tributum. Primi quatuor Patriarchae, inquit Malaxus apud Cruſium, poſt captam urbem a Turcis, *Gennadius Scholarius*, *Iſidorus*, *Joaſaph*, *et Marcus Xylocarabes*, *ita creati ſunt*, *ut nullum Turcico Principi munus ipſorum promotionis cauſa offerretur*, *liberis prorſus ſuffragiis*, *ut olim ſub Romanis Inperatoribus*. Sed Marco, a factione Trapezuntiorum accuſato, quod a Sultano mille aureis emiſſet munus, et eo nomine, licet falſum eſſet crimen, ejecto, Trapezuntii, ut Symeonem, gentilem ſuum, facerent Patriarcham, ſimilem ſummam obtulerunt Sultano, qui ab eo tempore hoc onus inpoſuit Graecis, adeo ut tunc venalis coeperit fieri Patriarchatus. Acceſſit deinceps annuum tributum, tempore Raphaelis I., qui 2000 aureorum tributum obtulit Sultano, ut Symeoni eriperet Patriarchatum, et ſibi vindicaret. Ceterum Patriarcha, ſecundum canones Eccleſiaſticos, a Metropolitis et Archiepiſcopis, ſedi huic ſubordinatis, eligitur quidem, ſed a ſupremo Baſſa, Vicario Inperatoris, confirmatur, et ab eo accipit privilegia, poſteaquam aliquot millia ipſi et Inperatori promiſerit; ut tradit Gerlachius in epiſt. ad Cruſium apud Chytraeum. Ex quo facile colligitur, Patriarchas conſtitui et removeri facillime et frequenter, pro Sultani arbitrio, et ipſorum Graecorum ambitione.

§. DCXII. Ceterum Eccleſiaſticarum dignitatum apud Graecos hi ſunt gradus, teſte Cruſio, Patriarcha, Metropolita, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Hieromonachus, Preſbyter ſeu Papas, quibus omnibus conſecrare, hoc eſt miſſas celebrare, licet, dein monachus (non conſecrans), diaconus, hypodiaconus (qui ſacerdotibus et altari miniſtrant) et anagnoſtes, qui legit epiſtolam dominicam, et alia quaedam. Habent quoque Monachi ſuos ἡγȣμένȣς, ſeu Archimandritas. Qui vero inter Monachos ſenectute aut devotione

eminent,

eminent, adpellantur *Calogeri*, ſeu καλοὶ γέροντες, aut καλοὶ καὶ ἱεροί. Vid. et Cangius in Gloſſario Latino. Salarium denique Cleri eſt valde modicum, *ſacerdotes ſtipem ab auditoribus habent*, verba ſunt Cruſii, *ſunt enim certae domus cuique Eccleſiae adnumeratae, a quibus ſingulis deputatum, quod ipſi χρονικὸν vocant, quovis anno accipiunt. Ex ſepultura etiam, ex equiis, aliiſque officiis ſacerdotalibus (ut miſſis, quas Laici pro ſe et defunctis cognatis emunt) pecuniam lucrantur. Quidam interea domi ſua opificia exercent. Quibuſdam quoque Eccleſiis fundi certi a moribundis dedicati ſunt.* Denique notandum eſt, ſacerdotibus licere uxores habere, ſed nec poſt conſecrationem ducere, nec prima defuncta novam, fas eſt, niſi officio privari quis velit. De monachis, et nobiliſſimo omnium monaſterio montis Atho in Chalcide, Macedoniae Provincia, qui plura velit, adeat praeter alios Lamium in *deliciis eruditorum* a. 1740.

§. DCXIII. Ad miſerabilem Eccleſiae Graecae ſtatum, qui ex ſupra dictis facile eluceſcit, et illud facit, quod non ſolum variis modis a Turcis expilentur, multis ubique priventur Eccleſiis, ſed in primis quod pueri iis eripiantur, ut Turcice educentur, et inſtituantur. *Quemadmodum*, inquit Chytraeus, *olim Chriſtiani Inperatores ex ſingulis Graeciae oppidis certum numerum liberorum, in quibus egregiae indoles prae ceteris elucebat, delegerant, quos ad publica officia, militiae togatae et bellicae, in aula educari curarunt, ita Turci, occupato Graecorum regno, idem jus eripiendi Patribusfamilias liberos, ingeniis eximiis praeditos, uſurpant, qui ad Turcicae religionis ritus, et ad militiam inſtituuntur. Veruntamen hos pecunia redimere a conquiſitoribus ſaepe Parentibus licet. Reliqui, cum virtutis ſpecimen in bellis egregium praebent, ad ſummos dignitatis et honorum gradus evehuntur. Et multos haec exempla, et gloria militaris, quae in generoſis naturis acerrimus ſtimulus eſt, ad Mahometicam religionem invitant* De quo etiam vid. Cruſius, qui totum hoc negotium accuratius expoſuit, additis etiam regionibus, ab hac

exactione liberis. Capiuntur ex tota Asia et Europa, ex reliquis regionibus non ita promiscue.

§. DCXIV. Praeter hos Christianos Catholicos sunt, haud exiguo numero, multi alii in Oriente, ab Ecclesia Graeca separati, uti *Nestoriani*, *Monophysitae*, *Maronitae*, praeterea Semi-Christiani, seu *Sabiani*, aut *Johannitae*, qui sese frequenter lavant, acsi essent Hemerobaptistarum, sic dictorum, reliquiae, sive a Johanne Baptista nomen traxerint, sive ab alio Hemerobaptistarum antiquorum principe; inhabitant Persiam et Arabiam. *Jasidiani*, seu *Jezdeani*, in montibus Gordianis et Curdistanis deserto, duplici principio, bono et malo, aliquatenus adhaerentes, quatenus, *boni* principii licet cultores, unde et nominis forte *Jezdaeorum* origo repeti potest, Jazed enim, vel Jezda, *bonum* Deum in lingua Persica denotat, a *malo* principio contumeliose tractando sedulo sibi cavent, nec illud indigne tractari ab aliquo patiuntur. Adpellant illud *Karubin*, forte cum adlusione ad nomen *Abrine*, aut *Ariman*, quo malus Deus apud Persas vocatur. Denique *Druziani* in Monte Libano, gens bellicosa ac saeva, originem suam a Francis sec. XI. in Palaestina, sine solido fundamento, repetens, et paucas tantum reliquias Christianismi ostendens; ab aliis cum Manichaeis confusa. Sed de his, aliisque, nihil adtinet agere; nec aliquid nostrum seculum suppeditat, adtentione nostra dignum.

§. DCXV. Nihil restat, quam ut, pro more ex *Methodo Prophetica* nostra, periodi *quartae*, a fine seculi XI. ad seculi XVI. medium, vel finem, sese porrigentis, notitiam, instar adpendicis, subjungam.

## PERIODUS QUARTA,

### *a Sec. XII. usque ad Reformationem Sec XVI.*

§. DCXVI. Casum Ecclesiae, secundum externam faciem considera-

consideratae, characteristicum per omnia haec secula in bello Papali pono, a Papis, ut summis Civitatis et Ecclesiae Dominis, publice gesto cum Imperatoribus vel Regibus, et sic dictis Haereticis, ac infidelibus: idque Fidei suae ac Religionis, seu defendendae et tuendae, seu propagandae, ergo: vel, eo sub praetextu, omnipotentiae Papalis, ut loqui amant, fundandae et vindicandae ergo. Gestum vero hoc bellum est per fulmina Excommunicationum et Anathematum, per depositiones Regum, et solutiones subditorum a vinculo fidelitatis, Persecutiones ac vivicomburia, et per Exercitus Cruciatorum. Qui casus ut in clariore luce collocetur,

A. Cognoscendae sunt *Personae belligerantes*: quae sunt ab *altera* parte Imperatores et Reges, ut et Haeretici, ac denique infideles; ab *altera* Papae Romani, tanquam qui se extollebant supra quicquid augustum aut sanctum erat in Civitate ac Ecclesia. Imperatores vel Reges fuerunt Henricus IV. et V., Fredericus Barbarossa, Philippus Suevus Henrici VI. frater, Fredericus II., Philippus Pulcher Galliae Rex, Henricus VII imperator, et Ludovicus Bavarus: Haeretici praecipue Waldenses, Albigenses, Wiclefitae, et Hussitae. Infideles Turcae, Palaestinam et Hierosolymam tenentes. Ab altera parte Papae fuerunt, tanquam supremum dominium in Ecclesiasticis, et eo quoque nomine in Politicis, sibi arrogantes, et reapse quoque exercentes, quatenus sibi statuerunt, tanquam Vicariis Christi, et Capitibus Ecclesiae, competere, 1*mo*, Reges, si mereantur, deponere, et subditos vinculo fidelitatis solvere; 2*do* coronam Imperialem conferre; 3*tio* de credendis et faciendis pro autoritate disponere; 4*to* de Personis, quae errarunt vel peccarunt, judicium ferre, iisque peccata remittere vel imputare; 5*to* de personarum illarum Munere, Bonis, Libertate et Vita, prout meruerunt, disponere; 6*to* omnem subjectionem, quae obligat conscientiam, omnes honores et adorationem exigere et admittere. Hujus animi coeperunt esse Papae a temporibus Gregorii VII, Sec.

XI, qui primus hanc potentiam et autoritatem publice jactavit et exercuit. Hae sunt Personae belligerantes.

§. DCXVII. B. *Causa* belli in genere fuit Fidei et Religionis Papalis defensio, et propagatio: *prior* bellum peperit cum Principibus et Haereticis, *posterior* cum Turcis. Concitarunt contra se Principes, quod investituras illis eriperent, et de coronis illorum ausi sint disponere: Haereticos oppugnarunt, quod a fide eorum discederent, et Religioni eorum, Ritibus, et Potentiae, se opponerent: Infidelibus bellum intulerunt, ut illis Terram S., seu Palaestinam, eriperent, sibique subjicerent.

§. DCXVIII. C. Ad *Modum*, quo bellum gestum est, pertinent

א. *Ministri* Papae, et Exercitus ejus: illi fuerunt varii ordinis, Militares et Monachales, praecipue Dominicani et Franciscani: Exercitus fuerunt Cruciati Milites, qui Sec. XI. in fine coeperunt conscribi contra Infideles, sed dein collecti quoque contra Haereticos. Huc quoque referendi Ministri Inquisitionis.

ב. *Arma* Papalia fuerunt Excommunicationes, Anathemata, depositiones Regum, et Clericorum, inquisitiones, carceres, tormenta, confiscationes bonorum, bella, ac quaevis supplicia capitalia.

ג. *Effecta*, quae facile se offerunt, fuerunt quaevis mala hujus, et futurae vitae quoque ex opinione eorum, sed hujus vitae mala omne genus, contemtus, infamia, commercii civilis privatio, paupertas, fames, exilia, carceres, tormenta, mortes, vastationes terrarum et populorum, et quae sunt similia.

§. DCXIX. Hunc casum, cujus nunc dedi conspectum tantum generalem, cum in Institutionibus Hist. Eccles. prolixius ea omnia tractavi, appello characteristicum Ecclesiae per omnia illa secula, quia omnia habet ejusmodi casus characteristici criteria, quae nunc in lucem proferam:

A. Primum Criterium casus characteristici

est, quod sit *continuus* et *perpetuus*, per omnia illa secula, licet nunc hic, nnnc illic, bellum magis obtinuerit: incepit hic casus cum initio Periodi, et per totam Periodum duravit; dein haud diu post cessavit, et minus fuit conspicuus. Sec. XI., ut hujus rei brevem dem intellectum, versus finem, erupit bellum Papale sub Gregorio VII. cum Henrico IV., et dein bellum cum Turcis sub Urbano II. Sec. XII. idem bellum continuavit, cum Henrico V. sub Paschali II. et Callisto II., cum Frederico Barbarossa sub Alexandro III., ejusque decessore Hadriano IV., et cum Turcis: quando cum Waldensibus quoque coepit et Albigensibus. Seculo XIII. bellum fuit cum Philippo Suevo, sub Innocentio IV., et cum Frederico II. sub Gregorio IX. Quo seculo expeditiones Cruciatorum ordine fuerunt IVta, Vta, VIta, ac VIIma: viguerunt quoque tum praecipue bella cum Waldensibus, inquisitiones, et supplicia Haereticorum. Sec. XIV. fuerunt tres graviores collisiones cum Principibus, scil. inter Philippum Pulchrum et Bonifacium VIII., Henricum VII. et Clementem V., Ludovicum Bavarum et tres Papas, Johannem XVII., Benedictum XII., et Clementem VI. Et illustre, dicam an infame, fuit hoc seculum per continuas persecutiones Haereticorum, ut, ne de Arnoldo Villanovano dicam, Lollardorum, Turlupinorum et Wiclefitarum: accessit excidium Templariorum. Sec. XV. Inquisitio saeviit in Delphinatu in Waldenses; in Flandria et Artesia in eos, qui Magiae accusabantur; in Gallia in Picardos, et Waldensium reliquias; in Italia in Hieron. Savanorolam; in Germania in Joh. Hussum, et Hieronymum Pragensem; in Bohemia bellum Hussiticum grassatum est; hinc ortum quoque in Bohemos Fratres. Seculo XVI. quantopere grassata sit Sedes Romana per inquisitiones et persecutiones, cum Reformatio se ostentare incepit, quanta pepererit mala ac bella, nemini non constat: verum eo ipso seculo adeo fractae sunt vires Papales, ut bellum vix cum successu gerere potuerint, et Papae brevi ab eo debuerint desistere; cum Periodus alia exorta est.

§. DCXX. B. Secundum criterium est, quod hic casus fuerit *universalis* per totam Ecclesiam Latinam, et ex parte per Graeciam; quae per Expeditiones Cruciatorum varie collisa est, ita ut Regnum in ipsa Metropoli Constantinopoli fundaverint Cruciati. Verum quidem est, Characterem Ecclesiae Graecae in hoc casu proprie non posse constitui: sed id nobis non obest; tum quod sufficiat, si per maximam Ecclesiae partem fuerit dominans; tum non alius in Ecclesia Graeca et Latina fuerit casus, qui ullo modo cum hoc comparari potuit.

C. Tertium est, quod hic casus supra reliquos omnes eminuerit; ita ut nullus alius sit, qui ullo modo cum eo in censum venire possit.

D. Accedit, illum adeo in oculos incurrisse, ut communi fama fere constiterit, Antichristum, vel Praecursorem ejus, esse ante fores, vel jam dominari in Ecclesia: ut in Hist. Eccl. demonstrare soleo: etiam in *Oratione*, huic tractatui subjuncta, ex parte feci.

E. Denique notari velim, hunc casum produxisse alios illustres, cum illo connexos, quo ipso celebrior adhuc redditur. Fidei enim Papalis defensio produxit Ordines famosissimos Dominicanorum et Franciscanorum, ac tribunal Inquisitionis. Bellum cum Turcis quot non peperit S Ordines Militares? Quae, et similia, hunc casum et magis illustrem et conspicuum reddunt.

§. DCXXI. Superest, ut memoremus nonnullos alios casus illustriores hujus Periodi, ut eo clarius constet, casum, cujus memini, pro characteristico esse habendum. Praeter hunc enim casum alii nonnulli merentur memorari: 1 Lites variae et disputationes in Ecclesia ortae, tum inter Scholasticos, tum inter Dominicanos et Franciscanos, tum cum sic dictis Haereticis. 2. Varii Ordines Sacri, seu Monachales seu Militares, hac Periodo nati. 3. Schisma famosum Papale Sec. XIV. et XV. 4. Conversiones Populorum, quae Sec. XII. fuerunt Pomeranorum, Livonum, Norvegorum, et Finlandorum,

XIIItio.

XIIItio. Borussorum et Tartarorum, sed horum posteriorum minus durabiles. 5. Ecclesiae imminutio per Imperii Graecorum destructionem Sec. XV. Hi et similes casus licet fuerint notabiles, alius magis, alius minus, nullus tamen est, qui aut cum bello Papali comparari, aut characterem Ecclesiae constituere, potest: quod ut ulterius exsequar, necesse non est.

§. DCXXII. Veniamus nunc ad Statum Ecclesiae *Moralem*, ejusque casum characteristicum. Qua facie si Ecclesia consideretur, nil magis in ea se offert conspicuum, quam ardentissimum studium, magis minusve purum, majore minoreve cum successu, Ecclesiam, omni parte corruptissimam, reformandi, eamque tum a vitiis et superstitione, tum a dominio Papali, liberandi. Quod studium, sed minus purum, et sine magno successu, demonstrarunt *primo* Imperatores et Principes, se Paparum dominio opponentes; *secundo* Synodi, quae Sec. XV. illum praecipue in finem coactae sunt, ut Ecclesia in Capite et Membris reformaretur; *tertio* Viri singulares, qui et declamarunt in vitia sui temporis, quorum Catalogus in Hist. Eccl. contexitur, et studia S. Scripturae, ac humaniora, e tenebris revocarunt. Sed longe purius, et majore cum successu, studium hoc demonstrarunt Waldenses, Albigenses, Wiclefitae, Hussitae, et Bohemi per totam hanc Periodum, qui se separarunt ab Ecclesia corrupta, eamque in Doctrina aeque ac in Moribus reformare conati sunt; de quo satis constat. Quare varia certamina non recusarunt subire. Hoc studio, praesertim in Waldensibus, et similibus, nihil fuit in Ecclesia illustrius, nihil quod eam hac parte magis characterizare potest.

§. DCXXIII. A. Est illud huic Periodo quid proprium, antea non visum, nec post adeo conspicuum. Usque ad Sec. XI. Superstitio sensim vires acquisivit, et ad summum tetendit fastigium, uti corruptio quoque fecit: donec summum gradum utraque sit consecuta: sed a Sec. XII. imprimis ea oppugnari coepit per Politicos et Ecclesiasticos aliquos viros, etiam Coetus integros saepe, qui se a communione Ecclesiae

corruptae coeperunt separare. Unde ortum est multiplex id bellum Papale ad Religionem stabilitam defendendam, et propagandam. Duravit quidem superstitio et corruptio sub hac ipsa Periodo, sed characterem ejus constituere nequit, quod insignius fuit studium Eccles. purgandi, quod longe lateque propagatum est, ante non visum ea ratione. Durarunt haec conamina usque ad Synodum Tridentinam, quae partim ora membrorum Ecclesiae Papisticae clausit, partim Protestantium separationem fecit perfectam; adeoque, cum spes Ecclesiae reformandae decolasset, ab hoc opere cessatum est; ita ut singulae Ecclesiae proprium suum statum defendere, et res suas agere, contentae fuerint; manifestum ergo est, hoc studium recte statui huic Periodo proprium.

§. DCXXIV. B. Continuus fuit per totam Periodum conatus, nec unquam cessavit; licet majore minoreve gradu se exeruerit.

C. Nil magis in Ecclesia conspicuum fuit ac singulare, nil quod in omnium oculos magis incurrit.

D. Accedit, inter utrumque characterem dominantem, et externae Ecclesiae faciei, et status Moralis, quem supra consignavi, esse arctissimum nexum, qui alterum sine altero esse non sinit. Bellum enim Papale eo tendebat, ut huic studio obex poneretur, et status Ecclesiae superstitiosae et corruptae aperta vi defenderetur, et confirmaretur: adeo ut superior character dominans, in bello Papali situs, hunc pro hypothesi habeat, et de eo testetur.

§. DCXXV. Subjungam jam nonnullos casus *Politicos*. Eminent inter eos, *1mo* terribiles Christianorum divisiones, contentiones, et pugnae secum invicem: ut inter Pontificiae sectae, et Imperatorum ac Principum partis, homines, Guelfos et Gibellinos; qui horribilem confusionem in Orbe Rom. produxerunt, et per omnia fere hujus Periodi secula durarunt. *2do* Regni Turcarum ortus, et per totum Orientem propagatio. *3tio* Expeditiones Cruciatorum, quae, sicut ad Religionem, ita et Politicam spectarunt Civitatem. *4to* Regni Chris-

tianorum

tianorum in Oriente interitus per Turcas Sec. XV, poſtquam eclipſin eſſet paſſum per Latinos, qui Conſtantinopolin occuparunt, ibique aliquamdiu regnarunt. *5to* Inter Caſus Judiciales inprimis commemorandum eſt Judicium terribilis Peſtis, quae in China incepit, et per Aſiam, Europam ac Africam pervagata eſt; quaeque *quinque* Menſes praecipuis in locis ſaeviit; qualem peſtem Orbis non vidit nec ante, nec poſt huc uſque. Vid. Mezeraeus, ſed fuſius explicavit Deguignes Prof. LL. OO. Pariſ. in accuratiſſima Hiſtoria Hunnorum T. IV. L. XXI. ad a. 1347. quo tempore maxime ſaeviit.

§. DCXXVI. Sequitur Prophetica tractatio: ubi primo liber *Sigillorum* inſpiciendus eſt, cujus IVtum Sigillum in ſcenam produxit equum pallidum, cui Mors inſidebat, poſt ſe habens infernum; ſeu vaſtam aliquam et tetram voraginem terrae, quae mortuos recipiebat. Huic Equiti poteſtas eſt data quartam terrae partem occidendi gladio, fame et peſte, (eam enim vox *θάνατος* ibi deſignat) ac per feras terrae. Quod Emblema expingit terribilem et tyrannicum aliquem Dominum, qui, poteſtate vitae et necis ſibi pro arbitrio exercenda arrogata, efficeret, ut per tertiam Terrae partem graſſarentur mille mortes, hominesque gladio, fame, peſte, et per feras beſtias abſumerentur. Ad ejus intellectum ſufficere poſſunt, quae Cl. Vitringa attulit. Addo tantum, non male *gladium* quoque referri ad ſupplicia capitalia a Magiſtratu infligenda; *feras* ad Populos Barbaros; *famem* et *peſtem* ad vaſtationes, ad privationes Bonorum, ad incarcerationes et earum mala, ad excluſiones ab omni hominum conſortio, inſtar Peſtium Terrae. Quaeritur jam, quo pertineat Emblema? Cl. Vitringa, qui recte refutat eos, qui de morte ſpirituali per Antichriſtum inducenda cogitant, oculos vertit ad Saracenorum et Turcarum, terribilium illarum Gentium, vaſtationes: in quas Emblema quidem non male quadrat: verum

A. Nulla Ratio eſt, ſi eo tendat Emblema, illud reſtringendi ad Saracenos et Turcas, praeter hypotheſin

de ordine Periodorum: quae sicut varie possunt constitui, ita id solum non sufficit sensui Prophetico definiendo.

B. Id magis obstat, quod a Sigillorum conspectu illa ratione discederetur: cum enim Sigilla exhibeant fata Ecclesiae, seu characteres Periodorum Ecclesiae; Saraceni hic locum non inveniunt; multo minus ut vastatores Orbis. Saraceni enim Ecclesiam neutiquam characterizant, ad eam non pertinentes; quare inter Tubiciniorum Emblemata, non vero inter Sigillorum, locum habere debent.

C. Ordo Periodorum nos ducit non ad Sec. VII, quo grassari coepit Muhammedanismus; sed ad Sec. XI, ut ex *supp.* liquet.

§. DCXXVII. Ex nostra ergo Sententia Emblema referendum est ad terribilem illum Tyrannum Sec. XI in Ecclesia ortum, qui, summa sibi vindicata potestate, in bona et vitas Christianorum grassatus est in Orbe Christiano, maxime Occidentali, per quaevis mala lethifera, bella excitata cum Imperatoribus, cum Haereticis et Infidelibus, quibus infinita hominum copia per gladium, famem, pestem et feras est absumta, ut supra vidimus. Huc Ordo Periodorum, huc Emblema, huc Sigillorum verus conspectus, quo Characteres Ecclesiae in illis ducuntur, nos manifeste vocant. Verum quidem est, causam, ob quam grassaretur Antichristus, seu Religionem, hic non memorari: Sed (1) vera causa Tyrannidis Papalis erat Dominii et Potentiae defensio et amplificatio, quae agere solent omnes terrae Vastatores. (2) Cum causa non memoretur, aeque Religio intelligi potest, ac aliud quid: sicut et fit in Sigillo II*do*. (3) Sigillum sequens clarius exponit superiorum caedium causas, ut ibi videbimus. Regnum vero Papale, quod notandum, hic repraesentatur in vero suo conspectu Tyrannidis, perinde quo praetextu Tyrannidem exerceat; quia nil nisi mortes et caedes produxit; ut ex Hist. liquet.

§. DCXXVIII. Quod si quis velit, quae modo de gladio, feris et peste dixi, huc applicare, is notabilem forte hic inveniet

veniet convenientiam. *Gladius* ficut Bella fignificat, ita et fupplicia capitalia a Judice inflicta: quod per Papale Dominium fit, dum Haereticus traditur brachio feculari. *Ferae* agri fi funt Populi Barbari, quam exacte id quadrat in Bellum Papale cum Turcis, per Cruciatos, quivis Hiftoriae gnarus percipit. *Fames* et *Peftis* eodem modo quoque fe facile applicari patiuntur: fed in his nihil difficile, nil obfcurum. Nec obftat Sigillum Vtum, ac fi illud ageret de Tyrannide Papali; ut ibi videbimus: contra confirmat noftram Hypothefin, cum in illo Sigillo fanctorum mactatio repraefentetur ut jam facta, et non tempore illius Sigilli facienda.

§. DCXXIX. Succedat Epift. VIta Apocal. Cap. III: 7 *feqq.* in qua

A. Duae Partes Ecclefiae maxime oppofitae exhibentur, *altera* eorum, qui veritatis et virtutis ftudiofi erant, ad mortem ufque: *altera* eorum, qui fub praetextu et larva verae fidei et Religionis tegebant animum Tyrannicum, et ab omni vera pietate alienum: priores v. 8. pofteriores v. 9. defcribuntur; priores veram, pofteriores corruptam Ecclefiae Partem conftituebant. Cl. Vitringa recte evicit, v. 9. Pfeudo-Chriftianos defcribi; fed addendum, eos non qualefcunque, fed Tyrannidem fpirantes et exercentes, ficut tum e phrafi *Synagogae Satanae*, tum ex Perfecutione verorum Chrifti cultorum ab illis inftituenda, quae v. 8 et 9. traditur, colligi poteft. Synagoga Satanae eft coetus hominum, qui veritati et pietati bellum indixerunt, et in eo funt, ut humanum Genus perdant. Vid. Cl. Vitringa ad Cap. II: 13. Apocal.

B. Melior Ecclefiae pars laudatur, quod occafione veritatem et pietatem propagandi, a Deo conceffa, ufa fuerit; non obftantibus Perfecutionibus, quas patienter tulit: hic enim fenfus eft v. 8*vi*, quod idem Commentator recte explicuit.

C. Laudationi additur confolatio, qua promittitur, (1) opus a piis fufceptum fore perenne, vel ad

 ftabilem

stabilem statum esse perducendum, non obstantibus modicis illis viribus, quibus pii pollebant v. 8. (2) Multos e Synagoga Satanae sese piis illis submissuros, et eorum opus volentes nolentes agnituros esse v. 9. (3) Piorum illorum Societates liberandas esse a generali illa tentatione, quae incolis terrae aliquando eveniret, ut v. 10. praedicitur.

§. DCXXX. Ad hoc argumentum Epistolae, quale id ob oculos posui, qui recte attenderit, is facile perspexerit, characterem illius Periodi Ecclesiae poni in melioris Ecclesiae Partis ardente studio, veritatem et pietatem confitendi et propagandi, inter varios cruciatus et multa pericula, quibus a deteriore Ecclesiae parte subjiceretur, donec in stabilem statum res purioris Ecclesiae sint adductae. Qui character unice quadrat in Ecclesiam a temporibus Waldensium Sec. XII., usque ad perfectam Reformationem, post medium Sec. XVI. seu potius circa ejus finem, quando Reformatio in Belgio quoque stabilem nacta est sedem. Toto enim hoc Intervallo temporis

A. Duae insignes fuerunt in Ecclesia Partes, altera Pseudochristianorum, qui se coetum Satanae demonstrarunt per bella et oppugnationes Testium veritatis: altera eorum, qui se grassanti superstitioni opposuerunt, et veritatem professi sunt; ut Waldenses, aliique supra recensiti.

B. Hoc quoque tempore melior Ecclesiae pars tota in eo fuit, ut multa inter mala et pericula Ecclesiam depravatam emendaret, quaeque occasione a Deo concessa ad veram Religionem propagandam bene usa est; simul patientiam suam Deo comprobavit, in ferendis Persecutionibus fidei causa: de quo nemini non constat, vel ad superiora attendenti.

C. Consecuta quoque est Ecclesia promissa, quae illi in hac Epist. facta sunt; ut (1) quod Opus Reformationis ad finem perductum sit, seu firmum et stabile factum; (2) opus illud a multis ex Pseudochristianis illis sit agnitum; dum, Foederibus quoque pactis, permissum fuit Reformatis,

Reformatis, ſuae Religionis partes agere: multi quoque ex Synagoga Satanae ad Eccleſiam illam acceſſerint, id quod hic per τὸ *adorare* exprimitur. Sed notari debet, luculentius adhuc hac parte inplementum eſſe exſpectandum; ſicut et (3) de liberatione e generali illa Tentatione incolarum terrae; quae v. 10. occurrit: de qua generali Perſecutione adhuc exſpectanda poſtea dicam.

§. DCXXXI. Cum hac noſtra hypotheſi reſtat comparemus Magni Commentatoris Apocal. explicationem, cui hic ex parte tantum accedo. Intelligit Cl. Vitringa

A. Eccleſias Proteſtantium Sec. XVI. a Papiſmo ſe ſeparantes, donec ubique ſtabilem nactae ſint ſedem Eccleſiae Reformatae: nos altius repetimus hanc Periodum, a temporibus Waldenſium Sec. XII.: (1) quia eo nos duxerat ſuperior Epiſtola, quam Cl. Vitr. de Periodo a Sec. XII. ad Sec. XVI. fuerat interpretatus. Uterque ergo Hypotheſibus noſtris convenienter inſtituimus. (2) Quia initium ſuum debet, ex quo *janua* coepit aperiri, et Eccleſia in duas Partes oppoſitas dividi; quod utique a Sec. XII. factum eſt. (3) Quod de modicis viribus melioris partis Eccleſiae habetur; id rectius in Reformatores Sec. XII. et deinceps quadrat, quam in Proteſtantes.

B. Per Pſeudochriſtianos intelligit falſarum doctrinarum Autores Sec. XVI. exortos; in ſpec. Anabaptiſtas et Antitrinitarios: ſed ex mea ſententia depingitur oppoſita Eccleſiae Pars, quae ſe veris Chriſtianis oppoſuit, et quidem hoſtiliter cum Perſecutionibus. Utique in hos Adverſarios, ſimul Perſecutores, rectius convenit (1) epitheton *Synagogae Satanae*, quo directe ducimur ad hoſtiles impetus in purioris animi Chriſtianos; ut ſupra vidimus, (2) quod illi agnituri dicuntur opus, a meliore Eccleſiae parte perfectum; argumento, eos ſe ante oppoſuiſſe Reformationi: aſt nunc ipſam Reformationem, qua talem, ab ipſis laudandam eſſe, ut a Deo profectam; quae omnia in illos Haereticos non conveniunt.

§. DCXXXII. Pergamus nunc ad prolixam Bestiae Descriptionem Apoc. XIII. Cujus vaticinii inplementum in ipsam hanc cadit Periodum. Satanas Regno suo, quod in Imperio Romano Pagano obtinuerat, privatus; et Fluvio Persecutionum, quo Ecclesiam putabat absorbendam esse, a Terra, Ecclesiae succurrente, absumto, adeoque Paganismo deleto; Satanas, inquam, iram concepit magnam, secumque deliberavit, qua ratione progeniem Ecclesiae Sec. IV. infestaret. Praeparavit ergo se ad Bellum, alio modo gerendum cum reliquis ex semine illius, sc. Mulieris, de qua supra, observantibus praecepta Dei &c. ut habetur Apocal. XII: 17. Ubi, quod notandum, characteres eorum, quos denuo instituerет persequi Satanas, iidem ducuntur ac eorum, qui violentiam sub Imperio Romano Pagano experti erant; unde merito colligitur, Satanae in animo fuisse, eodem modo persequi Ecclesiam, sed non per Infideles, ut antea, verum ipsos Ecclesiae Christianae Confessores. Haec praeparatio Satanae ad novum id bellum per longum tempus duravit; intercedere enim debebant definitiones multorum capitum fidei et cultus, antequam Persecutio commode fieri poterat. Praeterea erigi debebat universale aliquod Caput, cui talis Persecutio demandari poterat: adeoque omnes illae lites de Doctrina, Cultu, et Regimine Papali, praecedere debebant, tanquam praeparationes Satanae ad veterem illam tragoediam renovandam. Quae praeparatio duravit per multa Secula, a Sec. IV. usque ad XImi medium; quando, omnibus rebus paratis, scenam aperuit juratus humani generis, et praecipue Ecclesiae, hostis, quae scena pluribus describitur Cap. XIII. ubi Cl. Vitringa consulatur. Sed hic locus foret inquirendi in characterem Antichristi et Bestiae, nec non ortum ejus: sed hoc executus sum in *orationibus methodo Propheticae* subnexis.

§. DCXXXIII. Conferamus ergo nos ad Tubicinium IVtum; quo deliquium tertiae partis Luminarium Coelestium, adeoque tenebrae in tertiam eorum partem inductae repraesentantur

tantur Cap. VIII: 12. quemadmodum Emblema Cl. Vitringa et alii recte explicuerunt. Quaeritur quid ſibi velit, et quo pertineat Emblema? Ex noſtra opinione illud

A. Ingentem confuſionem inter Rectores Civitatis et Eccleſiae expingit: Solem enim ad Civitatem, Lunam et Stellas ad Eccleſiae Rectores et Doctores expingendos adhiberi, recte evictum eſt a Cl. Vitringa. *Tenebras* vero eſſe confuſionis Emblema, conſtat. Haec vero confuſio quam apte in hanc Periodum quadret, patet illi, qui ad colliſiones Imperatorum, Regum, Paparum, ad factiones Guelforum et Gibellinorum, ad Expeditiones cruciatas, ad Bella cum Albigenſibus, Huſſitis etc. attenderit.

B. Inminutionem et *proſtitutionem* probroſam Dignitatis et autoritatis eorum Rectorum quoque repraeſentat; ut recte idem Cl. Vitringa exponit, tum ad h. l., tum ad Cap. XVI: 10. In hac autem proſtitutione characteriſticum Dei Judicium in eos hac Periodo fere ſitum fuit. Majeſtas Imperatoria et Regia quantopere fuerit fracta, et ludibrio habita in colliſionibus Paparum, cuique in promptu eſt. Sed et Paparum Dignitas et Autoritas ſummopere obſcurata eſt

א. Per Regum non tantum, ſed et ſic dictorum Haereticorum, oppoſitiones; hi enim eorum Vitia, Tyrannidem et Superſtitionem in claram protraxerunt lucem; quod a Waldenſibus per totam hanc Periodum factum eſt, et perfectum per Reformatos.

ב. Per publicas magnae iſtius Eccleſiae Membrorum partis ſeparationes ab eorum communione, quibus dignitatem et poteſtatem ſuam magnopere viderunt inminutam.

ג. Per pudendum id Schiſma Papale Sec. XIV et XV. quo valde eſt proſtituta Sedes Papalis, ipſi Papae depoſiti, et Conciliis univerſalibus ſubjecti.

ד. Per graviſſimas Calamitates in hanc Sedem, per Imperatorum et Regum invaſiones, inductas, teſte Hiſtoria; in ſpecie per Carolum VIII., Ludovicum XII. et

Franciſcum I., Galliarum Reges; et ipſum Carolum V. Imperatorem; qui omnes per Italiam, et ipſam Romam, ingentes circumtulerunt caedes et vaſtationes. Romae captae et diriſſime tractatae ex. gr. a ducibus Caeſaris Car. V. adcurata exſtat narratio in *nova collectione monumentorum* Hofmanni tom. I. quam nemo ſine horrore legerit: rapinae, caedes, peſtis et fames, concurrerunt, et terribile dederunt ſpectaculum, ſacrae quoque perſonae et res indigniſſime ſunt tractatae. vid. *Adami Reisneri* teſtis oculati acta Friensperglca lib. VI.

n. Reliquorum vero Doctorum et Rectorum Eccleſiae obſcurationes; ut in tot Monachorum Ordinibus exortis, qui de Rectorum Eccleſiae dignitate et puritate multum detraxerunt: ſic in Doctoribus Scholaſticis, eorumque ſubtilitatibus et vanis quaeſtionibus, quibus veram doctrinam et pietatem multum obſcurarunt, conſpicuae ſunt. Ne nunc de Waldenſium aliorumque doctrina, qua errores et ſuperſtitiones Doctorum et Rectorum Pontificiorum in lucem protraxerunt, aliquid dicam.

§. DCXXXIV. C. Addo, quod huc prae reliquis quadrat, Rectorum, et Civitatis et Eccleſiae, per totum Orientem multifariam obſcurationem, non tantum per Latinos, qui ipſam Regni Metropolin Conſtantinopolin aliquamdiu tenuerunt, et varia mala Graecis inflixerunt per Expeditiones Cruciatas: ſed praecipue per Turcas Oſmanidas, qui per maximam hujus Periodi partem ab initiis Sec. XIV. graſſati ſunt, et tandem ipſum Regnum Orientis deſtruxerunt, ſede Inperii fixa Conſtantinopoli. Haec utique in emphaſi fuit ſic dicta obſcuratio Luminarium Coeleſtium, ut illud Emblema ſumi ſolet.

Sed quare tertiae tantum Partis fit mentio? Reſp. reſpectu univerſi Orbis Chriſtiani, qui hic complexe ſumitur; quum Sol, Luna, et Stellae memorentur, ut bene notavit Cl. Vitringa. Qua ratione ſi res capiatur, facile apparet, quam apte tertiae partis obſcuratio hic exhibeatur; ſi Orbis Chriſtianus Orientalis per tertiam eam Partem intelligatur.

telligatur. Quantae vero tenebrae in Ecclesias Orientis per hunc casum fuerint inductae, in vulgus est notum. Nec fuit aliud illustrius Dei judicium, quod in hanc Periodum incidit, aut quod in oculos incurrit magis. Plura non addo, et ab aliorum opinionibus recensendis, et refutandis, abstineo.

§. DCXXXV. Pergo itaque ad alias tum V. tum N. T. Prophetias, inquisiturus, num illae aliquid suppeditent, ad hanc Periodum pertinens. Ubi ante omnia nobis occurrit illustre vaticinium de Antichristo 2 Thess. II., sed de quo agam ad calcem hujus tractationis Propheticae. Praeter vero hanc Prophetiam passim huc refertur pericopa Matth. XXIV: 23. ... 29., sed sine solida ratione, uti ostendi ad Periodum I., ubi hujus Cap. conspectum exhibui. Mitto porro quae hic illic ex Parabolis Christi proferuntur, quae demonstratione carent.

§. DCXXXVI. Transeo ad V. T., non eo animo, ut omnia nonnullorum interpretum commenta ad examen revocem, quod nec necesse est, nec utile; sed ea tantum tangam, quae magna se specie commendant. Quo refero

Primo, Vaticinium Danielis de parvo cornu Cap. VII., et de Rege superbo Cap. XI. 36. *seqq.* verum cum de his locis egerim in Comment. ad Dan., ubi ostendi, perverse hic quaeri Antichristum, opus plane non est, ut hic moras nectam.

Ergo consideremus potius Pericopam illustrem Jes. LVI. 10 -- Cap. LVII., de qua mentem hic explicabo. Multis interpretibus, Cl Coccejo viam praeeunte, sedet opinio, fata Ecclesiae Christianae, praecipue a Sec. IV., ordine praenunciari Jes. Cap. LVI -- LX.; ita ut Cap. LVI: 8. multiplex Ecclesiae propagatio, tribus vicibus repetita, exhibeatur; v. vero 9. Periodus invasionum Gentium Barbararum a Sec. V., quando a v. 10 ... LVII. 14. terribilis Ecclesiae corruptio, in capite et membris, sub dominio Antichristi describatur: dein a. v. 14. usque ad fin. Cap. LVIII. et LIX. usque ad v. 15. horrenda corruptio et confusio Ecclesiarum Protestan-

Protestantium, inprimis sub finem temporis ultimae Persecutionis ingruentis, depingatur. Denique usque ad finem Cap. LX. liberatio Ecclesiarum in omni suo complexu, cum glorioso Regni statu in terra, ob oculos ponatur. Hujus Hypotheseos, quam Cl. Vitringa in clarissima collocavit luce, duo sunt fundamenta: *alterum* in nexu cum super. *Capp.*, *alterum* in magnifica Ecclesiae descriptione Cap. LX. Verum *prius* fundamentum pro hypothesi habet, concionem Prophet. praecedentem, quae omnium consensu de Ecclesia N. T. agit, continuari v. 8. *seqq.* Cap. LVI. Sed haec Hypothesis corruit, si nova hic statuatur incipere Concio Prophetica, quod aeque facile statui potest, ac quod continuetur: imo ratio suppetit non spernenda pro nova Concione, tum quod v. 8. incipiat cum usitata formula *Dixit Jehova*, quae Concionibus Prophet. saepe praemitti solet: tum quod Pericopa Cap. LVI: 1---7. recte haberi possit pro clausula superioris Concionis de Ecclesia Christi: cum enim de Messia, et bonis ab eo adducendis, nec non de Ecclesia ejus, luculenter esset vaticinatus Jesaias Cap. LIII---LV., se vertit commode ad eos, qui ab illo tempore, quo illa acciderent, prope abessent; ut se tum ad haec bona praepararent, tum eorum spe se erigerent, id quod Prophetis saepe in more positum est. *Alterum* vero fundamentum, in glorioso, et omni parte prospero, Ecclesiae statu Cap. LX. positum, solidius foret, nisi constaret, Prophetas de Ecclesia Christi passim ea ratione loqui solere, ut in superioribus jam observavimus: imo de Ecclesia Maccabaica, seu ab adflictione Epiphanica liberata, una cum complemento suo, Ecclesia sc. Christi, considerata, eundem plane in modum agere solent; ut fit inter alia Jes. XXV., XXVI., ut et LXV. et LXVI., Dan. II. et VII., aliisque Prophetiis. Ratio autem magnificae orationis de Ecclesia Christiana haec est, quod fata intermedia Prophetis V. T. non fuerint revelata; adeoque Ecclesia Christi ipsis ob oculos posita sit in ea conditione, quam vere quidem, sed non nisi post longam fatorum seriem, haberet. Ecclesiam vero

Maccab.

Maccab. passim contemplari solent, tanquam quae in Regno Christi terminaretur, et perficeretur; sic Zachar. XIV., et alibi, de quo saepe dixi, ut in *Dissert. ad Dan.* Ad haec accedit, gloriosum Ecclesiae statum non esse manifestandum, nisi post gravissimam adflictionem, et miraculosam Ecclesiae liberationem, hostiumque prostrationem; ut in harmonia fatorum V. et N. T. hoc tempore sibi invicem respondeant; de quo suo loco dixi. Ergo et hoc fundamentum facile ruit. Ceterum primo sensu Ecclesiam Judaicam Cap. LX. intendi, et ex eo liquet, quod Hierosolyma ibi occurrat ut sedes Religionis et Ecclesiae: quo ipso restringimur ad Ecclesiam Judaicam, sed in Christiana consummandam.

§. DCXXXVII. Hisce fundamentis destructis, facilior est singularum hujus hypotheseos partium refutatio: sed quam nunc instituere non licet. Tantum pauca proferam, et viam ad intellectum illustrium horum Capitum aperiam:

A. Cap. LVII: 3---13. non ad Ecclesiam Christi superstitiosam et tyrannicam pertinere, sed ad Populum Judaicum, ut fuit tempore Manassis, et paulo ante exilium Babylon., quae mea est opinio, ex eo non tantum patet, quod in id tempus cuncta exacte quadrent, adeoque nulla sit ratio, a Populo Judaico, vero ac proprio orationum Prophet. objecto, discedendi, non tantum, inquam, sed et quod non obscura exstent criteria temporis, quod signavi, tum in Idololatriae descriptione, qualem tunc fuisse exercitam constat, tum in liberorum mactatione Molecho, et Prophetarum occisione; tum denique in perfugio ad Regem AEgypti auxilii causa, multis cum muneribus v. 9., quod non nisi remote admodum in Ecclesia Pontificia demonstrari potest.

B. Pericopa seq. a vs. 14. ad fin. Cap. se longe aptius ad Populi Judaici conversi liberationem ex exilio Babyl., quam ad Ecclesiae Reformationem, et separationem ab Ecclesia Pontificia, transferri patitur: tum quod mons Sanctitatis Dei jure haereditario dicitur a piis possidendus;

dendus; tum quod Populus v. 14. occurrat, tanquam rediturus ad possessionem terrae suae, via facta plana et facili; tum quod Populus ille, cui Deus ob peccata longo tempore fuerat iratus, dicitur in favorem Dei restituendus, et instaurandus.

§. DCXXXVIII. C. Cap. LVIII. introducit Populum, qui, Religionis studium praeferens, in jejuniis continuo erat, ut rerum suarum perfectiorem instaurationem consequeretur: sed, cum gravioribus vitiis laboraret, frustra luctabatur, et incassum emergere studebat; cui populo vitia sua exponuntur in hoc Cap., quae impediebant, quo minus studii Legis et jejuniorum suorum fructus carpere, et in statum felicem, a Deo promissum, emergere posset. Quae omnia exacte conveniunt in reduces ab exilio Babyl., ut ex Prophetis Haggaeo, Zach. et Malach., ut et Historia Nehem. et Josephi clarum est. In specie notetur, Characterem status reducum esse, cum tenuitate rerum suarum luctari, et spe feliciorum temporum se continuo, sed frustra, lactare; porro eam prosperitatem a Legis externo studio, inprimis statis jejuniis, ut est Zach. VIII., exspectare. Haec vero quo fundamento (si ab hypothesi discesseris) applicentur Ecclesiis Protestantium, ut viri illi docti faciunt, mihi vix liquet, maxime cum *Sabbathi et haereditatis Jacobi* expresse fit mentio.

D. Denique Cap. LIX. tum major corruptionis gradus, tum terribilis Populi totius confusio, quae ad totalem ejus ruinam spectare videbatur, tum hostium inpetus in eos, ita ut, omnibus rebus desperatis, exitus malorum nullus videretur, tum miraculosa Populi Dei liberatio, per ipsum Deum efficienda, vivis depingitur coloribus. In quibus omnibus nil est, quod in tempora Epiphanica et Maccabaica non exacte quadrat. Et alibi apud ipsum Jesaiam de temporibus illis simili modo agitur, ut Cap. XXIV---XXVI.; item Cap. LXIII: 1. Et Cap. LXV. ut LXVI., ut ad ea loca a Cl. Vitringa fuse et feliciter expositum est. Quid igitur, praeter hypothesin, nos hic cogitare jubet de Ecclesiis Protestantium?

§. DCXXXIX.

§. DCXXXIX. Ut itaque nexum omnium harum partium hic explicem, mentem paulo clarius exposuisse juvabit.

א. Pericopam, quae Cap. LVI: 8--- Cap. LVII: 2. occurrit, habeo pro generali propositione, tum liberationis Populi a calamitatibus per hostes inducendis; tum corruptionis ejus, praecipue Rectorum, quae illas calamitates pareret; denique signorum antecedentium in piorum decessu et morte: v. 8. etiam exhibetur recollectio Populi, tam ex Babylon. exilio, quam dispersione Epiphanica, et Proselytorum accessus ad Ecclesiam: cum vero illa recollectio supponat dispersionem, v. 9. exhibentur ferae *agri* et ferae *sylvae*, quae Populum depascerentur, quae *ferae* repraesentant Chaldaeos et Syro-Macedones; Chaldaeos ferae *agri*, Syros ferae *sylvae*, quo facit, quod Sylva, vel Saltus, sit *Syria* Jes. X: 34. ubi vid. Cl. Vitringa, ob montem Libani. *Ager* vero est tractus Babylonicus, locus fertilis et planus. Praeterea cum horum hostium invasio, a Deo ipso quasi excitata ad Populum puniendum, praesupponat corruptionem Populi, illa mox in genere subjicitur, praecipue respectu Procerum, qui Populi curam neglexerunt, et harum infestationum occasionem praebuerunt. Quae omnia facilia sunt.

§. DCXL. ב Hac generali Propositione facta, ut passim solent Prophetae generalem hoc modo praemittere propositionem; Propheta ordine procedit in fatis Populi distincte praenunciandis; adeoque

a. Populi ante exilium Babylon. corruptionem vivis coloribus depingit, et excidium ejus describit, Cap. LVII: 3---13.

b. Populi conversionem, recollectionem, et in terram Canaanis reductionem, repraesentat, additis luculentis feliciorum temporum promissis, modo Populus praestet officium requisitum, v. 13. in fine----21.

c. Quam male Populus officio suo fungeretur in Canaanem redux, adeoque spe perfectae instaurationis se frustra lactaret, fuse traditur Cap. LVIII.

 d. Popu-

d. Populum reducem ad summum corruptionis, et inde ortae omnium rerum perturbationis, gradum, novorum hostium invasione accedente, delapsurum esse, pluribus traditur Cap. LIX: 1---15. hinc

e. Ad miraculosam liberationem praedicendam, per Maccabaeos quae effecta est, pergitur v. 16---18. Quando

f. Propheta se in glorioso et felicissimo Ecclesiae statu describendo copiosissime et emphatice diffundit v. 19.-- fin. Cap. LX: de quo supra egi. Tantum hic notari velim, v. 20. Cap. LIX., qui in genere loquitur de adventu Messiae, adeoque primo loco comprehendit primum Messiae adventum, ab Apost. Rom. XI: 26. recte referri ad secundum Messiae adventum, cum totius Populi Judaici conversione connexum, quae tum perfectum complementum demum consequeretur; quemadmodum quicquid de glorioso Ecclesiae statu Cap. LX. praedicitur. Prophetae enim, ut saepe jam observavi, fata Ecclesiae N. T. intermedia vel ignorantes, vel negligentes, de Messia, ejusque Regno, loquuntur in summa emphasi, ac si mox foret felix ea Ecclesiae conditio, quam non nisi post multa fata intermedia consequeretur. Quum igitur Apostolus animadverteret, primum Messiae adventum hanc, quae hic praedicitur, salutem, universo Populo Judaico non adtulisse, hinc recte collegit, id postea suo tempore esse implendum; et ideo dictum hoc ad id tempus applicuit.

§. DCXLI. Nihil in tractatione hujus Periodi nobis nunc superest, quam ut harmoniam fatorum V. et N. T. persequamur. Judae et Israelis divisa Regna ad Ecclesias Orientis et Occidentis, Sec. IX. separatas a se invicem, retuli in superioribus. Restat, insigniora ab utraque parte fata secum invicem comparemus.

A. Utriusque Populi Judae et Israelis corruptio in cultu veri Dei, cum superstitione et Idololatria copulato, corruptisque moribus, occurrit.

B. Corrup-

B. Corruptionis inſanabilitas et pertinacia, fruſtra reclamantibus, et Populum emendare conantibus, Prophetis, et viris piis aliis.

C. Utriuſque Populi triſtiſſimum fatum, quo in ſervitutem duram inciderunt; Iſraelitae ab Aſſyriis, Judaei a Chaldaeis, oppreſſi, et in exilium deportati ſunt.

Haec omnia qua ratione in Chriſtianos Orientis et Occidentis quadrent, verbo erit explicandum.

A. Cum *Iſraelitae* repraeſentent Eccleſias Orientis, ut ſupra vidimus, Aſſyrii hic alii eſſe nequeunt ac Turcae, Aſſyriorum terras tenentes; quemadmodum eandem ob rationem Syro-Macedones quoque Aſſyrii appellantur; de quo leg. Cl. Vitringa in Jeſ. XIV. Hi autem hoſtes Regnum Iſraelis irreparabiliter deſtruerent, et Populum in medio ſui arcta ſub ſervitute in perpetuum tenerent: quod ipſum Graecorum Inperio et Eccleſiae a Turcis accidiſſe, nemini non conſtat. Sed accedit id peculiare, quod Iſraelitae ab Ægyptiis auxilium fruſtra petierint, ſeſeque inani hac ſpe lactaverint: quod idem Graecis accidit reſpectu Eccleſiae Occidentalis, quae eſt myſtica Ægyptus; de quo Cl. Commentator conſulatur ad Jeſ. XXX.

§. DCXLII. B. Quod attinet ad ſimile Fatum *Judae*, ſed temperatum, quo, a Chaldaeis oppreſſi, in medio Babyloniae per ſat longum tempus, ſub durorum Dominorum imperio, degere debuerunt, eo expicta cenſeri poteſt ſervitus Eccleſiae Occidentalis ſub Antichriſtianiſmo, qui etiam cum Babele comparari ſolet. Quemadmodum enim Eccleſia, quatenus veram Religionem, ſed multiplici tamen ſuperſtitione infectam, profitetur et exercet, cum Judaico Populo comparatur, ita ex quo Dominium ſuperbum, imperioſum, et tyrannicum, in medio ſui habere et exercere, Populumque Dei dura ſervitute premere coepit, ita tamen ut Populus Dei manſerit ſeparatus, recte induiſſe dicitur conſpectum Babylonis; et Populus Dei ibi tanquam in exilio eſſe cenſetur. Vid. Cl. Vitringa ad Jeſ. XIV. l. c.

# ERRATA CORRIGENDA.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Pag. 51 | Lin. 4 | Leg. | Parisiensis |
| 163 | 6 | | fame |
| 297 | 9 | | Galliae |
| 300 | 33 | | ipsum |
| 309 | 10 | | partibus |
| | penultima | | Alcasar |
| 322 | 19 | | Joelis |
| 323 | 12 | | celebres |
| | 29 | | Vecci |
| 357 | 14 | | vipera |
| 395 | 21 | | incitatis |
| 630 | 1 | | votorum |
| 640 | 10 | | detestati |